UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.|| An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Visual Library

Th. 2244.

G II
17.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TRACTATVS

DE CONFESSIONIBVS MALEFICORVM ET SAGARVM SECVNDÒ RECOGNItus, & auctior redditus.

An, & quanta fides ijs adhibenda sit?

AVCTORE PETRO
Binsfeldio Suffraganeo Treuirensi
Doctore Theologo.

Soc. Jesu Paderbornæ.

Adiungitur Commentarius, eodem Auctore, in Tit. C. lib. 9. de Malefic. & Mathematicis, Theologiæ & iuris scientiæ, secundum materiæ subiectæ naturam, accommodatus, iam primum reuisus & auctus.

In fine adijciuntur Bullæ & extrauagantes Pontificum successu temporis emanatę contra Astrologos, Diuinatores, Magos, Maleficos & alios superstitiosos.

Exod. 22. cap.

Maleficos non patieris viuere.

AVGVSTAE TREVIRORVM,
Ex Officina Typographica Henrici Bock,
ANNO cIↃ. IↃ. XCVI.
Cum Priuilegio Cæsar. Maiest. ad decennium.

AD MODVM REVERENDO DO[MINO] IOANNI BALEAE celebris Monasterij S. Hilperti Ordinis D. Benedicti, Ardenna Abbati, amico suo.

Petrus Suffridus S. P.

QVM præclara in secu-
lum omnium vitio-
rum colluvies erup-
erit, & de die in diem
manibus in deteriora
fluxerit mat, Admo-
dum in Christo Reverende Pater, recte
quod antiquitus Horatius docuit, de-
plorare licet:

Heu parcentum pectora
Tulit nos nequiorem in aurum
Prog[enies] vetus precedenti
Ea de causa prius ego tenebrarum

ADMODVM REVERENDO DOMINO IOANNI BALLAE celebris Monasterij S. Huperti Ordinis D. Benedicti in Ardenna Abbati, amico suo,

Petrus Suffraganeus
S. P.

CVM præsens in seculum omnium vitiorum colluuies eruperit, & de die in diem mundus in deteriora flagitia ruat, Admodum in Christo Reuerende Pater, rectè quod antiquitus Horatius cecinit, deplorare licet:

AEtas parentum peior auis
Tulit nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ea de caussa princeps tenebrarum

nunc maioribus viribus,& grauiori tyrannide, quàm vnquam miserum genus humanum inuasisse videtur: ita vt nunquam dormiendum dormitandumque ei sit,qui custodit Israël: Cùm leo rugiens, iuxta Apostolicam doctrinam,semper circumeat quęrens quem deuoret, nec dormiat, aut dormitet, qui hominis salutem impugnat. Deus enim Optimus Maximus prauis mortalium operibus irritatus, malis spiritibus qui à se pessimam in nos habent voluntatem, permittit, vt suam etiam exerceant potestatem,& machinentur omnia mala in perniciem non solùm animæ, sed etiam in interitum corporis & totius substantię ordinatę in conseruationē generis humani. Verè enim quidam dixit: Iustus & omnipotens, cùm præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cæca mens etiam in alijs labatur. Quoniam autem hoc tempore scientia Dei plurimis deest: aut si Deum cognoscunt, non vt Deum timēt & venerantur, sed sequuntur sua desideria, voluptates seculi, concupiscentiam carnis,& superbiam vitæ, Deus multos

Gregor. Hom. 11. in Ezech.

tradit

tradit in reprobum sensum, permittendo Dæmoni, vt suum in eos exerceat tentandi officium, & inducantur ad faciendum ea, quæ non cõueniunt, repleti omni iniquitate & malitia. In quorum numero supremum sibi vendicant gradum ij, quos propter facinorum magnitudinem vulgus maleficos appellat. Quo hominum genere nullum nequius, nullum damnabilius, nullum Deo ingratius, nullum reipublicæ pernicioſius, & Dæmonibus propitiũquius inuenitur. Qua de cauſſa leges ciuiles naturę peregrinos, & generis humani inimicos nominant. Quando-quidem autem effectus ſunt ſigna naturæ, & ex fructibus arbor qualis ſit, cognoſcitur, libet paucis ob oculos ponere opera maleficorum, quę frequentius contra diuinam maieſtatem, hominũ ſalutem, & publicam vtilitatem perpetrare non verẽtur: Deum in primis abnegant, ſuſcepto Baptiſmatis Sacramẽto renunciant, fœdus cum morte & inferno ineunt, Dæmoni cultum reuerẽtiamq; exhibent, eiuſq; perpetuo miniſterio non rarò ſe deuouent, Dæ-

cap. Nec mirum. 26. q. 5. L. Nemo. C. de maleſic & Math.

L. Multi. L. Etſi. C. de malef. & math.

monibus incubis & succubis abutuntur, ijsdemque euehentibus, peraërem ad longinqua loca de nocte transportantur, vbi conuenticula celebrant & conspirationes faciunt aduersus communem omnium prosperitatem, vt nimirum suis incantationibus, sortilegijs & diabolicis coniurationibus elementa concutiant, tempestates & cœli iniurias moueant, terræ & arborum fructus destruant, homines iumentaq; interimant, partus humanos suffocent, suffocatos igne in cineres resoluant, & sic resolutis vtãtur in nephandis suis maleficijs, viros impotentes reddant ad generandum, & mulieres ineptas ad concipiendum, necnon alia plurima horrenda & abominanda operantur, quæ mens humana recti conscia memoria comprehendere erubescit, vt Pontificum, Patrumq; decretis, legibus, rationum firmamẽtis, proprijs maleficorum confessionibus, iudicum testimonijs, plurimis experimentis exemplisq; tam in hoc tractatu de maleficorum confessionibus, quàm in commentario in tit. Cod. de malefic. & mathem.

them. adiuncto contra multorum errores, ac pernicioſas falſaſq; opiniones declaramus, demonſtramus, & vſq; ad ſatietatem omnium oculis ſubijcimus. Cùm autem malefici tam enormiſſima crimina, vt nemo ſanæ mentis dubitare poteſt, committant, & perditi alios perdere non deſinant, ſeducti alios in errorem & malitiam ſeducere tentent, non immeritò ſecundum legem diuinam humanamque morte mulctandi, & ab hominum ſocietate tollendi ſunt. Indecens & indignum eſt eis relinquere vitam, qui multorum vitæ inſidiantur, & crudele eſt eis parcere, qui iniuſtè etiam in inſontes ſæuiunt. Innocentes enim tradit exitio, qui parcit multorum exitia cogitãtibus. Longo tempore hoc crimen latuit, ſecretumq; fuit, prout eius exercitij natura eſt, quippe quod magnam communionem habeat cũ principe tenebrarum, qui odit lucem, & amat noctem, & ſic longè lateq; ſuum virus diffudit, ita vt non ſine moleſtia, labore, & difficultate aliqua ex parte extirpari valeat, ſicut experientia rerum omnium magiſtra

edocemur, publicis argumentis & iudicum quotidianis querelis cognoscimus. Querunt autem multi, qui plus æquo misericordia erga hoc pessimum hominum genus mouentur (si tamen misericordia dicenda sit, quæ impenditur eis, qui humanitatis expertes sunt, & insontium non miserentur) quando sit tandem futurus finis incendij in maleficos & sagas. Quibus absque longis ambagibus respondetur: Tam diu esse locum pœnæ, quàm diu culpa non cessat. Interest enim reipublicæ ad conseruandum illæsam suum statum, prouincias purgari hominibus malis. Cesset ergo culpa, & cessabit pœna, quę culpæ mensuræ respondet. Quemadmodum enim, quàm diu fures & publici latrones inuenientur, manebit vsus furcæ & rotarum: Sic, quanto tempore malefici & sagæ modo humano & iuris ordine reperientur, tanto incendium perdurare necesse est. Cum feruore, ait Propheta, Gladius ad Chaldęos, gladius ad diuinos, gladius ad fortes illius: cum zelo iustitiæ, & salute reipublicæ præsides prouinciarum, quàm diu malefici sunt,

L. Congruit. ff. de offic. præsid.

Hiere. 50

sunt, sententiam proferre possunt: Ignis ad maleficos, ignis ad sagas, ignis ad magos. Sed vt finem his faciam, quia hoc vitium plurimum, proh dolor, inualuit in diuersis nostræ Germaniæ Prouincijs, & multi Iudices nunc experientia malorum excitati, diligẽtius inquirunt, Priores tractatus nostri de maleficis editiones omnes diuenditæ & distractæ sunt, & passim tam in nundinis Francofurdiensibus, quàm alijs officinis, vt multorum relatione didicimus, plura exemplaria expetuntur, sepositis alijs negotijs, statuimus publicę vtilitati laborem nostrum accommodare, & hanc tertiam editionem cæteris auctiorem operæ Typographi subijcere, quæ etsi non tam perfecta (quamuis Prouerbio tritum sit: Omne trinum perfectum esse) quin possit esse perfectior, tamen plurima prioribus addit, quæ maximè faciũt ad clariorem multorum lucem, & lectorum eruditionem. Ne autem huic nostræ editioni fautor & patronus deesset, Admodum Reuerende Domine, te meritò delegi protectorem contra Zoilum, qui fre-

quentius oblatrare solet contra offensionem maleficorum & noctiuagarum strygum, maximè quod etiam occasionem augendi librum dederis superiori hyeme Treuiris, cùm à Typographo venalia exemplaria postulasses, nec habuisses propter omnium distractionem, & tum temporis spem dederim iterum breui latius excudendum. Mouent etiam ad hoc singularia beneuolentiæ amicitiæque officia, quibus me Tua admodum Reuerenda Paternitas sibi deuinxit in Monasterio vestro S. Huperri, cùm ante aliquot annos locũ illum miraculis multis clarum, & religione cõspicuum peregrinationis caussa visitassem. Præterea etiam idem suadent humanitatis & obseruantiæ argumenta, quæ sæpè alibi mihi in conuentu magnorum, & honoratorum virorum ostendit. Grato ergo æquoq; animo hunc nostrum, quem dedicamus & offerimus laborem accipito. Precamur interim summis votis DEVM Optimum Max. vt Tuam admodum Reuerendam Paternitatem diutissimè in spiritus & corporis valetudine robustam con-

conseruet, vt valeat fœliciſſimè ſuum monaſterium antiquum & valdè celebre iniuria horum infœlicium temporum incendio dirutum, vti proſperè cœpit, in religione ſancta D. Benedicti, ib quo militat, & ędificijs erigere, & ad finem optatum perducere. Treuiris, Calend. Septemb. Anno Domini 1596.

(·.·)

CARMEN CONTRA MALEFICOS.

Ad beneuolum Lectorem.

Vltima quis dubitet versare volumina cœlos,
Quando tot ex Orco monstra luesq; ruunt?
Illic prædo furens sceleratis militat armis,
Destruit & puræ religionis opus.
Hîc & in amplexus ditis venit impia Saga,
Fœdat & horrendo membra torumq; stupro.
Ictaq; cum Christo, cum Sanctis fœdera soluens
Ferrea connubij cum Styge pacta ferit.
Hinc amor, hinc facies aditus, hinc mutuus vsus,
Hinc ad nocturnos dextera iuncta choros.
Hinc tot aquis clades populis tot funera surgunt,
Dum mala, quæ Dæmon suaserit, illa patrat.
Si iubet hic tristes membris infundere morbos,
Tecta parat tacitis hæc aconita dolis.
Si iubet hic denso fruges subuertere nimbo,
Hæc pluuias Stygio carmine cogit aquas.
Si iubet hic terram syluasq; boare tonitru,
Efficit: & montes rumpere posse putat.
Quò magis indoleas, vereareq; Numinis iram,
Stant ea patronis crimina tuta suis.
Qui scelus ingenuæ titulis hoc artis obumbrant,
Vnde vetant meritas igne piare strigas.
Sed nihil iniusta prodest defensio caussæ,
Binsfeldi docta præsulis arte cadit.

Dæmo-

Dæmonis hic fraudes pandens caligine tectas,
Publica, quæ scribit, per monumenta probat.
Quæq; dat infœlix Plutonis damna propago,
Hæc Sophiæ & Patrum detegit arte, fide.
Adijcit antiquo pœnas his iure dicatas,
Tartaream fugiant hac ratione necem.

Ex nouo Collegiò, seu Seminario Metropolitano Treuirensi,

A. v. Bruele, S. Th. D.

TRA-

TRACTATVS QVAESTIONIS,

AN FIDES SIT HABENDA Maleficorum Confessioni?

PRO intelligentia sensus quæstionis cognoscendum est, maleficos confiteri, se quædã opera fecisse, & damna intulisse, quæ facultatem humanæ naturæ, ingenijq; nostri captum superare videntur: quare à multis, qui rerum naturas suo cerebro, & non veris fundamentis metiuntur, somnia & meræ phantasię creduntur. Deinde malefici de se confessi, de alijs cõfitentur, eosque tanquam criminis participes denunciant. Duo ergo membra quæstionis pertractanda erunt. Primum, præsuppositis aliquot præludijs, quæ vniuersæ materiæ aliquod lumen cognitionis adferant, resoluet veritatem operum mirabilium, quæ fatentur se fecisse & facere. Secundum, in quo nodus difficultatis consistit, aperiet, an maleficorum confessioni contra socios & participes criminis aliquid fidei tribuendum, & quantum in ordine ad torturam: per decursum dubijs incidentibus satisfiet, & tandem argumenta in oppositum dissoluentur. *Diuisio operis.*

Maleficia fieri certũ esse.

1. Præludium. *Certissimum est, & nulla ratione dubitandum, maleficia propriè dicta, siue opera diabolica, mediãte hominum auxilio, in rerum natura fieri, & hoc secundum sacras literas, canones, leges ciuiles, & rectam rationem.*

Maleficij variæ significationes.

Dictum (maleficia propriè dicta) quia apud antiquiores Iuris peritos & leges, maleficium generaliter accipitur pro omni crimine, hîc autem sumitur pro opere malo ope diabolica perfecto, singulari modo, & ad singularem effectum.

Probatur nunc Præludium, Exod 22. Maleficos non patieris viuere, Leuit. 19. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí, vt polluamini per eos: & c. 20. Vir siue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos. Deut. 18. Nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atq; auguria, nec sit maleficus aut incantator, neq; qui Pythones consulat, nec diuinos. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. In iure Canonico, *in titulo de frigidis & maleficiatis, & 26. per totam quæstion. & 33. q. 1. cap. si per sortiarias.* In iure Ciuili, C. *de maleficis & mathematicis.* Hinc argumentum firmissimum sumitur: cur enim sacræ literæ tam seuerè maleficia, incantationes, & opera magica damnant, si nullius sunt virtutis

tutis & efficaciæ? Cur canones & Pontificum decreta prohibent? Cur leges ciuiles capitales in maleficos & incantatores statuunt pœnas? An fortè istas leges Christiani instituerũt, quibus artes magicę puniuntur, secundum quem alium sensum, nisi quod hæc maleficia generi humano pernitiosa esse non est dubium? Sic enim arguit S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 19. Veneficia ergo & Magia, non vanum nomen sortita sunt, sed vim quandam possident, vt rectè ait Michaël Psellus in lib. de Dęmonibus. Accedit etiam ratio. Reperiuntur aliqui effectus, & reperti sunt in rerum natura vt dare responsa de occultis, ferri per aera ad remotissima loca, *&c.* qui non possunt referri ad causas naturales, sed Dęmones. *De his legendi S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 17. & 18. & lib. 15. cap. 23. & lib. 2. de doctrina Christiana à cap. 20. & lib. 3. de Trinit. à cap. 5. S. Thomas lib. 3. contra Gentiles à cap. 104. S. Bonauent. in 2. sentent. d. 7. & 8. & in 4. d. 34. cum Magistro senten. Alexander Halen. 2. parte, q. 43. Franciscus Victoria in relectione de arte Magica. Alfonsus à Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, à cap. 14. Malleus maleficorum. à par. & alij, qui in progressu allegabuntur.*

Ex dicto præludio infero, hæreticum esse, & à fide Christiana alienum, qui cum pertinacia asserit, maleficia nihil aliud esse quàm somnia & imaginationes. Nec talis hæresis noua est, sed antiqua, *vt est videndum apud S. Thomam &*

Bonauent. in 4. d. 34. & Ioan. à Turrecre. in 33. q. 1. cap. Si per sortiarias. Procedit autem hic error ex alia maiori infidelitate, nempe qua creditur: Dæmones non esse, nisi in opinione vulgi. Fuit Democriti, Alexandri, Simplicij; Auerrois, & Aristotelis secundum communiorem sententiam, nec non aliorum Peripateticorum opinio, nullos esse Dæmones. Putat autem Auerr. in Epistola de Resurrectione, persuasionem & opinionem de existentia Dæmonum inde inuectam, quod viri sapientes hæc terriculamenta commenti fuerint ad arcendos & terrendos improbos à sceleribus, quasi post hanc vitam supersint vltores malorum, quos nos Dæmones appellamus. Huius inuenti Simplicius in libr. de Anima, primum inuentorem tradit fuisse Pythagoram. Et quamuis Augustinus Eugubinus libr. 8. de perenni Philosophia, ca. 26. contendat docere, Aristotelem sensisse Dæmones esse. Communior tamen sententia est, secundum Philosophiam Aristotelis, nullos esse Dæmones, cùm nullas nouerit substantias separatas à materia, præter motores orbium, quod in 12. suæ metaphysicæ libro demonstrare contendit. Ex hoc fundamento originem trahit error Hermetis Trismegisti, & aliorum Philosophorum, referentium omnia opera magica in virtutes & causas naturales. Saduceiquoq;, vt in Actis Apostolicis apertũ est, spiritum & angelum esse nega-

negabant. Hos secuti sunt quidam hęretici dicti Dositheani, quos ex Simonis Magi schola prodijsse Theodoretus putat. Horum opinionem impietate plenam adhuc nostro sęculo quidam secuti sunt, quos confutat Franciscus Feuardentius lib. 1. aduersus hæreses, in verbo Angeli. Similem errorem Origenes tribuit medicis, tract. 3. in Matth. verba 17. cap. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur. Primò autem quæramus, ait, quid est, quod sequitur: quia lunaticus est, & malè patitur? Medici loquuntur, quæ volunt; quia nec immundum spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem, & dicunt humida moueri in capite secundum aliquam compassionem ad lumen lunare, quod humidam habet naturam. Nos autem qui Euangelio credimus, dicemus hanc compassionem immũdum spiritum operari. Obseruat enim quædam schismata lunæ, & sic operatur, vt ab obseruatione lunæ pati homines mentiantur, & per hoc culpabilem DEI creaturam ostendat. hæc Origenes. Adidem accedit, quod Michael Psellus antiquissimus Philosophus Platonicus, sed Christianus, in lib. de Dęmonibus refert, se conuersatum cum homine in Chersoneso Græciæ contermina, solitariam vitam agente, cui nomen Marcus erat, qui in primis Dæmonum studijs adhæserat, deinde palinodiam cecinit, verisq; nostris dogmatibus ad-

hæsit. Cum hoc homine multa contulit de natura Dæmonum, vt ex libro clarum est, & inter cætera de Dęmonum operationibus in arrepticijs & alijs, obijcit Marco in hæc verba: Sed ego, ô Marce, inquam, retentiora quædam sapere nos medicorum sectatores adducunt, asserentes passiones eiusmodi nõ esse effectus Dæmonum, sed humorum, vaporumque, & venti malè sese habentium. Itaq; pharmacis & dieta, & non carminibus incantantium, expiationibusq; curare hæc aggredi solent.

Tum Marcus respondit. Nihil mirum est hæc medicos dicere, qui nihil nouerint præter sensum, sed corporibus tantum incubuerint cognoscendis. Illa fortasse decebat malorum humorum putare incommoda capitis somniferam grauitatem, atrę bilis angustias, phrenesis deliramenta, quæ lauacris, potionibusque, vel euacuationibus, vel emplastris sedare consueuerunt. Inspirationes autem, occupationesq;, quibus, qui obsessus est, agere nihil potest, non intellectu, non ratione, non phantasia, non sensu. Aliud verò est, quod mouet atq; ducit, dicitq; insuper, quæ non nouerit occupatus, & futura nonnunquam prædicit: quo inquam pacto dicemus hæc esse erraticas materiæ motiones: A Philosophorum & antiquorum Medicorum falsa & impia opinione non videtur nostris temporibus etiam aliqui Physici esse alieni, qui ferè omnia, quæ Dęmonum ope-

operatione, circa hominem aguntur, vt contingit in energumenis, obsessis, maleficis & incantatoribus, referunt in humores melancholicos, complexionem corruptam, perturbatam phantasiam, aliasq; causas naturales: & fortasse etiam cum superioribus animo verè sentiunt, neq; Dæmones esse, neq; infernum, sed animam simul cum corpore interire, licet verecundia & timore impediti non prodant. Quam impiam doctrinam aliqui etiam Itali medici & physici ex Philosophia quorundam Ethnicorum hauserunt nostris temporibus.

Sit ergo.

2. Præludium. *Fides Catholica firmiter tenet esse Dæmones.* *Dæmones esse, est fidei.*

Probatur Iob 1. Cùm venissent filij Dei ante faciem Domini, adfuit etiam inter eos Satan. Leuit. 19. Prohibetur immolatio Dæmonibus fieri, & Deut. 32. & alibi, & in nouo Testamento Christus sæpe eiecit à corporibus obsessis Dæmonia, & S. Paulus ad Ephes 6. ostendit periculosum certamen, quod cum rectoribus tenebrarum habemus. *Matth. 8. 9. Luc. 9. 11. Marc. 9.*

Si ergo sunt Dæmones, necesse est eos operari, cùm non sint otiosi, sed semper circumeant quærentes, quem deuorent.

Ad maleficiũ tria cõcurre re, & quæ.

3. Præludium. *Vt maleficium fiat, de quo hîc agimus, tria concurrere necesse est; Diuinam voluntatem permittentem, Diaboli potestatem perficientem atq; instigantem, & hominis malefici voluntatem liberè consentientem.*

Cùm enim Deus rerum omnium, quæ cœli terræque ambitu continentur, prima sit causa, Principiumq; mouens, in ipso sumus, viuimus ac mouemur, necnon omnia per ipsum facta sunt, & fiunt, & sine ipso factum est & fit nihil: ideo cuncta diuinæ prouidentiæ subduntur, vt nec capillus capitis pereat sine ipsius nutu; id quod probat in suorum consolationem, dum ait: *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* Si ergo Deus noluerit, diabolus cum omni sua potestate nihil poterit in terra nocere hominibus. Permittit autem Deus, hanc Dæmonibus & & maleficis potestatem: tum ad manifestandum hominibus altitudinem diuitiarum suæ sapientiæ, & scientiæ, quæ etiam nouit ex malis elicere bonum, tum ad declarandum iustitiam in eos, qui peccant, & non agunt pœnitentiam: tum ad cognoscendum, quod illi, qui contempta veritate ad patrem mendacij conuertuntur, iustè decipiantur, & in varios errores perducantur. Dicet quispiam: Quare

Deus

Deus permittit, vt etiam in sanctos & innocentes diabolus suam exerceat potestatem, vt constat ex historijs Iob, S. Anthonij, Hilarionis, aliorumq; sanctorum Patrum? Certissimum est, quod ratione malitiæ & demeritorum, maior conceditur Dæmonibus potestas in malos, quàm bonos: quia mali meruerunt peccatis subijci tanquã vilissimi serui: à quo enim quis superatus est, eius seruus est. Super bonos autem Dæmon non habet potestatem ad perdendum, sed tantum ad probandum, *Iob. 2. Ecce omnia quæ habet, in manu tua sunt: verumtamen animam ipsius serua. Et Tob. 12. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Adhæc Deus Opt. Max. qui suauiter omnia disponit, permittit vt boni aliquando maleficijs afficiantur: partim in argumentum meritorum, quæ augentur ratione tribulationis patienter toleratæ: partim in custodiam humilitatis, dum enim huiusmodi Dæmonis exercitijs se cognoscunt subiectos, humiliãtur, cùm ignorent, amore ne an odio digni sint: partim vt reuocentur ad frugem melioris vitæ, maiori studio & diligentia rebus diuinis, sacramentis mysterijsq; nostræ salutis incumbant, quæ sunt oportuna arma ad euertendas aereas potestates. In horum confirmationem pulchra adferuntur à S. Augustino in Psal. 77. in illum versiculum: Misit in eos iram indignationis suæ, &c. In filijs diffidentiæ, inquit, tanquam

Quare Deus maleficia permittat.

2. Petr. 2.

in suis mancipijs operatur, quemadmodum homines in pecoribus suis : Et illic tamen quantum Dei iusto iudicio sinitur. Sed aliud est quãdo potestas eius etiam suis sicut ei placet, tractandis maiore potestate prohibetur: aliud quando ei potestas etiam in eos, qui ab illo alieni sunt, datur. Sicut homo de pecore suo pro humano captu facit, quod vult, nec sanè facit, si prohibeatur à potestate maiore. De alieno autem pecore vt faciat, expectat sibi potestatem dari ab illo, cuius est. Ibi ergo potestas, quæ fuerat, prohibetur: hîc autem, quæ non fuerat, tribuitur.

Dæmon non plus potest, quàm Deus ei permittit.

4. Præludium. *Permissione diuina præmissa, Dæmon operatur tantum, quantum ei conceditur, & non plus.*

Patet in Iob. Ecce in manu tua est: veruntamen animam illius serua. & in Apocal. 20. Angelus catena ligauit Dæmonem. & in Exod. cap. 7. & 8. Magi Pharaonis serpentes fecerunt, & alia similia, vbi ad Ciniphes, quæ sunt muscæ minutissimæ, ventum est, defecerunt malefici, & dixerunt ad Pharaonem: *Digitus Dei est hic, vt rectè notat S. Augustinus li. 3. de Trinit. cap. 7. & 9.* A bonis etiam angelis, quibus orbis & hominum custodia commissa est, aliquando Dæmones impediuntur, ne possint omnia, quæ cupiunt, in effectum deducere. Quando Dæmonis potestas apud Doctores dicitur ligata ad sensum Scripturæ,

non

non ita intelligendum, quod per mortem Christi ita sit religatus in infernum, vt non possit ad nos accedere tentationis & vexationis gratia, vsq; ad aduẽtum Antichristi, quando eius potestas soluetur, vt malè Franciscus Ponzinibius in tractatu de Lamijs & excellentia vtriusq; iuris, num. 56. videtur intelligere. Hoc enim argumento vtitur contra transsubstantionem realem. Diabolus ligatus est in inferno: Ergo non potest exire ad tentandum & portãdum sagas. Sed hic sensus sapit hæresin, vt probè ostendit Barth. Spin. in Apologia 2. c. 5. contra Ponzinibium, cùm sacræ literæ contrarium doceant. 1. Petr. 5. Aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens, quem deuoret. & Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Vbi præmisit Apostolus hæc verba. Induite vos armaturam Dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Et Christus Apostolis reliquit potestatem eijciendi Dæmonia. Tandem experientia compertissimum est, multos in dies vexari, tentari, & non raro possideri à Dæmonibus. Quare non omnes Dæmones sunt ligati in inferno, sed magnus numerus eorum habitat in aere isto caliginoso, iuxta Apostoli Petri doctrinam. De qua re Magister sententiarum &

Docto-

Doctores in 2.d.6.tractant. Et præclarè Guilhelmus Parisien.scribit in 2.part.de vniuerso. Cùm doctrina,inquit,Christianorum habeat euidenter in aëris parte caliginosa Dæmones quasi in carcere habitare vsq; ad diem iudicij: quæritur qualiter inde tam liberè exeant,& in multitudine tanta? Aliquando enim totam terram quasi occupasse videntur in templis& statuis,ac receptaculis alijs,in domibus ac penetralibus, limitibusq; agrorum ac syluis, in fontibus atq; fluminibus & locis amœnis, in quibus colebantur &respondebant. Autergo pauciſsimi remanebant in aëre:aut incredibiliter numerosa est multitudo eorum. Vnde videntur liberum habuisse,imo adhuc habere egressum,cùm ad incantationes,inuocationesq; magorum, & Necromanticorum mox veniant. Quid etiam dicam de opere maioris, minorisq; circuli,in quibus tãta eorum multitudo apparet,vbi & quatuor reges eorum à quatuor mundi partibus cum exercitibus suis innumerabilibus venire dicuntur? De exercitibus quoq; nocturnis, quid de fatis ac dominabus nocturnis, quarum principem vocant Abundiam seu Satiam ab abundantia & satietate, quas largiri creduntur domibus, quas frequentant,præsertim à mulieribus,quæ anilibus deliramentis intendunt,cùm hęc omnia maximè maligni spiritus videantur? Quomodo ligati aut incarcerati censentur, qui ita dis-

cur-

currunt? Nam & Euangelium proteſtatur in vno homine legionem vnam fuiſſe. Veruntamen ob hæc nullatenus debes de veritate doctrinæ Chriſtianorum prætactæ ambigere. Quod ſi reminiſcaris ſermonis eius, qui dixit, quod tot legiones in vnoquoq; ſeparatarum ordine ſubſtantiarum conſiſtunt, quot ſunt perſonæ in vna legione: videbis in vnoquoq; ordine eſſe ſex millia, & ſexcentas, & ſexaginta ſex legiones. Vnde nequaquam putandum eſt, quod ad libitum poſsint ſæuire in homines. Nec ſine permiſsione prouidentiæ creaturis egredi queunt, & noſtram habitationem intrare: imò iuſto Dei iudicio illudunt, & pœnas varias infligunt iniquis, in quibus omnibus creatoris intentio ſancta & recta eſt, vtpote decor iuſtitiæ, correctio peccatorum, punitio medicinalis culparum, exercitatio electorum. Hæc Guilhelmus. Sed nunc ad propoſitum reuertamur, alligata eſt poteſtas Dæmonis non ita vt tentare non valeat, ſed ne tantum tentet, quantum tentare deſiderat, vt S. Auguſtin. lib. 20. cap. 8. de Ciuit. Dei docet, cùm ait. Sed alligatio diaboli eſt, non permittere exercere totam tentationem, quam poteſt vel vi, vel dolo ad ſeducendos homines, in partem ſuam cogendo violenter, fraudulenterúe fallendo. Per aduentum CHRISTI & mortem eius ligata eſt poteſtas Dæmonis, quia aperta eſt ianua paradyſi, quæ ante clauſa erat

erat cunctis,& nunc aditus mundis animabus patet ad cęlum per redemptionem Saluatoris nostri,& vbi abundauit delictum,superabundauit & gratia. Non tamen negãdum est,quin ex parte tentatorum,Dęmonis potestas respectu aliquorum magis sit soluta, quam ratione aliorum. Quod S. Augustin. in ser. 197. de temp. qui est sermo secundus de Dominica prima post Trinitatis docet : Ante aduentum Christi,ait,fratres charissimi,solutus erat diabolus: veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio dictum est:Nemo potest intrare in domum fortis,& vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem. Venit ergo Christvs,& alligauit diabolum. Sed dicet aliquis. Si alligatus est,quare adhuc tantum prævalet? Verum est,fratres charissimi, quia multum prævalet: sed tepidis & negligentibus, & Devm in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte fratres,quàm stultus est homo ille,quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates seculi noli coniungere,& ille ad te non præsumet accedere: latrare potest, sollicitare potest,mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo,sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Ex dictis constat

stat maiorem concedi potestatem Dæmoni in peccatores, & maximam in eos, qui maxima crimina commiserunt: cùm gratia DEI, quæ Dæmoni resistit, & ei manus ligat, longe à sceleratis hominibus sit. Quare falsum quoq; est quod Pózinibius arbitratur, Deum non permittere, vt diabolus portet sagas: Cùm omniũ iniquorum, maximè tamen maleficorũ princeps & caput sit diabolus, & ipsi sint membra eius, qui Deo permittente, potest eos mouere, non est ambigendum, cùm peccata eorum maxima maximè iram Dei prouocent, Deum permittere: qui enim permisit filium suum, in quo nullum vestigium peccati vnquam extitit, à dæmone in montem duci, & ad pinnaculum templi constitui, necnon à membris suis Iudæis flagellari, & crucifigi, quomodo non permittet sceleratos maleficos & magos, vexare & mouere? Prædictæ doctrinæ admodũ conforme est, & in sequentibus magis elucescet, quod pro verisimo habeo, in crimine nefando maleficorum & sagarum cõtra quorundam hominum ignorantiam, qui sæpius admirantur, quomodo homines minima data occasione in tam graue & horrendum crimen incidant, maxima crimina antecedere casum. Exempli gratia, vt ex quotidianis maleficorũ confessionibus percipimus: mulier ex aliqua desolatione redditur pusillanimis, statim aggreditur eã Dæmon: aut vir aliquam displicẽtiam

tiam concipit aduersum propriam vxorem, voluptateq; accenditur in aliam, in cuius forma se offert mille artifex & vincit. Vel iuuenis aliquis voluit obambulans solus cogitationes in animo turpes de rebus venereis, in promptu apparet traditor in specie formosissimæ fœminæ, & his habitis leuibus occasionibus, Dæmon statim proponit consilium, & promittit quod velit facere voti compotes, si Deo abrenuncient, & castra sua velint sequi, his propositis miseri morem traditori gerunt, de his omnibus exempla plurima sunt in processibus nostrorum iudicum. Dico ergo has leues occasiones & causas proximas, quæ Dæmoni portam aperiunt, multo grauiora peccata præsupponere, quę diuina sic exigente iustitia, demeruerunt casum in tam abominabile facinus. Quia & diuinis literis, & doctissimorum virorum auctoritate comprobatur, qđ præcedentia peccata quandoq; sint causa aliorum. Sic Paulus Rom. 1. Quia non probauerũt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quę non conueniunt, & in desideria cordis eorum. Esai. 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Sap. 2. Excæcauit enim eos malitia eorum. Sic etiam in sacris Devs dicitur excæcare & aggrauare aures, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. His accedunt Doctores, S. Gregor. homil. 11. in Ezechielem.

Iustus

Iustus & omnipotens DEVS, cùm præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cęca mens etiam in alijs labatur. S. August. in lib. 83. quæstionum. q. 79. S. Thom. 1. 2. q. 79. art. 3. & q. 87. art. 2. & alij alibi. Quare omnes, qui vident, quando diabolus Dei abnegationem proponit, & abrenunciationem eorum, quæ in Baptismo promittũtur, desiderat, (quod Dæmonis negotium sit) necesse est, quod excęcati non videant: quis enim nisi cæcus tam oculis corporis quàm cordis, si audiat sibi proponi Dei abnegationem non exhorrescat? quis tam à mente alienus, si adhuc scintilla verę lucis irradiet, metu non concutiatur, si tale scelus obijciat? Certum ergo videtur, talia præcessisse scelera, quorum pœna est, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Atq; hoc singulare est inimici & hostis studiũ, nec Dei prouidentia permittit, quod animam inuadere possit, quæ peccatis & sceleribus prius se nõ priuârit amicitia & gratia Dei. Sic Cassian. in collationibus Patrum, collat. 8. quæ est Abbatis Sereni ex collatione S. Anthonij, probat & definit, nullatenus Dæmonem posse mentem cuiusq; vel corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam penitus irruendi: nisi eam primò destituerit omnibus cogitationibus sanctis, ac spirituali contemplatione vacuam nudamq; reddiderit. Quod idem rectius suo more similitudine ostendit D. Chry-

ſoſt.lib 2 de Prouidentia Dei. Quemadmodum,inquit,hi,qui parietes ſuffodiunt noctis tempore extincto lumine,& furari opes,& earum dominos cum omni facultate iugulare poſſunt: Ita & hic (intellige Dæmonem)per cæcæ noctis errorem ac tenebras mœrorem offundens, cogitationes omnes, quæ ad munimen noſtrum eſſe poſſunt,ſubducere prius ac furari nititur,vt deſertam ac ſine adiutorio animam inuadens, plagis innumeris cõfodiat. Ad idem facit Gloſſa Matth.4.in illa verba.Si cadés adoraueris me,cùm infert.Ergo qui adoraturus eſt diabolum, ante corruit. Si quis obijciat:Deus Optimus Maximus in Iob,Anthonium, alioſq; viros ſanctos etiam reliquit Dæmoni, ad tentandum & vexandum poteſtatem.Ergo ratione peccatorũ non permittit Deus tentationem & deceptionem. Facile eſt ad hoc Reſponſio:Conceſſa eſt in viris ſanctis Dæmoni poteſtas ad exercitium & coronam, in læſione & vexatione aliqua corporali ſine vllo animæ vulnere:vt patet in Iob. Ecce omnia in manu tua ſunt, veruntamen animam eius ſerua. At reſpectu maleficorum eſt conceſſa poteſtas ad interitum etiam animarũ, quia dæmon tam animam eorum ſibi vendicat per conſenſum in tam immane ſcelus,quàmetiam in corpus dominatur, quod verberibusque ſubijcit, ſi maleficus pro ſuo benepl acito ſeruitutem ei non impendat.Sunt enim maleſici

fici & sagæ quasi asini diaboli, ipsum quasi portant, & ab eo deferuntur, & tamen ex permissione diuina id demerentibus peccatis, in tanta sunt cæcitate, quod videntes non videant, & audientes non intelligant. Quod si quis obijciat contra dicta illud Apocalypseos cap. 20. Cùm consummati fuerint mille anni, soluetur Sathanas de carcere suo, & exiet, & seducet gẽtes: quod erit tempore Antichristi, quãdo erit tanta tribulatio, vt etiam, si fieri possit, electi moueantur: Ad quam auctoritatem videtur alludere Ponzinibius loco citato. Respondeo cum Magistro & alijs in 2. d. 6. quod cùm hæc de Lucifero intelligantur, siue in infernum demersus sit, siue non: credibile est, eũ non habere potestatem tantam accedendi ad nos, quantam habebit tempore Antichristi, in quo fraudulenter ac violenter operabitur. Et ideo tunc dicitur soluendus, quia maior e potestas propter maiorem hominum malitiã, & incredulitatem dabitur à Deo ad tẽtandum homines, quàm modo habeat. De hac autem alligatione & solutione diaboli latè agit S. Augustinus lib. 20. cap. 8. de Ciuit. Dei, quem studiosus lector videre poterit.

5. Præludium. *Ad maleficium præter diuinam permissionem, & diaboli potestatem, requiritur hominis libera volũtas, quæ ex malitia consentit in maleficium, qua*

In maleficiũ etiam maleficus liberè consentire debet.

diabolus tanquam instrumento vtitur ad effectum.

Affectat enim diabolus in suis maleficijs quandam imitationem diuinorum operum: Vnde sicut Deus in mysterijs nostræ salutis & sacrámẽtis, hominum salutem eorundem ministerio operatur, etsi de absoluta potestate non sit alligatus sacramentis & visibilibus signis: ita diabolus in perditionem, maleficorũ opera, suam malitiam diffundit, quamuis etiam Deo permittente, per se possit hominibus nocere, vt patet in Iob, Anthonio, & alijs: tunc tamen non est maleficium, sed purum diaboli opus. Accedat ergo consentiens hominis liberum arbitrium ad perfectionem maleficij, necesse est, quod quidem arbitrium potest diabolus, vt rectè Cyrillus ait, *Catechesi 4. Illuminatorum*, incitare, cogere autem præter voluntatem omninò non potest. Subijcit tibi scortationis cogitationes, si vis, probas: si nolis, improbas. Quàm diu ergo homo in statu præsentis vitæ est, cùm liberi arbitrij permaneat, à Dæmone cogi non potest ad malum, sed tantum persuadendo, vel terrendo moueri. Dei enim omnipotentis solum opus est, efficaciter voluntatem hominis impellere, iuxta illud, *Prouer. cap. 21. Cor regis in manu Domini.* Ex hoc fundamento error multorum imperitorum in vulgo confutatur, qui censent haud

Malefici cõuerti possũt, Verum.

fieri

fieri posse, vt malefici iterum cõuertantur ad saniorem mentem, quando semel Dæmoni sua nomina dederunt, & Christianæ fidei abrenunciârũt. Sed hic error cùm sit falsissimus, à Concionatoribus ab humanis mentibus extirpandus est: multos enim trahit in desperationis peccatum, qui ad Christum redirent; tollit libertatem arbitrij, gratiã Dei extenuat, & diabolum potentiorem facit ad perdendũ, quàm Christum ad saluandum, contra veritatem ab Apostolo traditam. *Rom. 5. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Videmus etiã, quod aliqui se voto religionis solemni, corpore & animo in perpetuum Deo consecrârũt, ipsiusq; castra multis annis secuti sunt, qui quãdoq; in fine vitæ Dæmonis suggestionibus impulsi, apostatæ fiunt, & suaue Christi iugum derelinquunt. Quanto magis, qui infœlicis Dæmonis sodalitium sequuntur, etiãsi eius obsequio se deuouerint, poterunt gratia Dei adiuuante, quæ omnibus petentibus datur, ad communionem fidelium, si velint, redire, & duram diaboli seruitutem excutere, & hæc doctrina hoc infœlici tempore sæpius populo inculcanda est.

6. Præludium. Præcedenti affine. *Omnia opera maleficorum effectum sortiuntur ex pacto expresso, vel tacito cum Dæmone, ita vt semper, quando vult maleficus*

Omnia maleficorum opera fiũt ex pacto cũ Dæmone tacito vel expresso

operari, expreſsè vel tacitè inuocet Dæmonem in auxilium, vt concurrat ex pacto.

Hoc præludium, cum tota opera magorum & maleficorum fundetur in pacto & quaſi condicto cum Dæmonibus, vt atteſtantur Doctiſſ. in Theblog. Franciſcus Victoria in Relect. de arte Magica, & Ioſephus Angles, in 1. par. Florum qq. Theologicarum in 2. in q. de eadem materia, latius quàm in priori editione eſt extendẽdum, maximè cùm Ioannes VVierus celebris in medicina, & vir variæ lectionis, qui ferè totam machinam maleficorum & magarum in phantaſmata, melancholiam & illuſionem refert, hoc fœdus etiam & pactum imaginariũ, & impoſsibile iudicet, & ſatis congruè ad ſuum propoſitum: Quia deſtructo fundamento, quæ ex ipſo ſequuntur, deſtructa cenſentur: & cùm dictus Doctor Medicus in ipſo fundamento cæcutiat ſicut etiam in quibuſdam alijs principalibus punctis huius materiæ, habeatq; aliquos ſuæ opinionis diſcipulos: fuſius doctrina de pacto Magorũ & maleficorum ſtabilienda eſt, vt firmo iacto fundamẽto, ædificium firmius ſtet. Impugnat dictus auctor pactum hoc & fœdus præcipuè in lib. de Lamijs ca. 7. & 8. & 23. & de præſtigijs Dæmonum lib. 6. cap. 27. & in d. cap. 23. non conſtare dicit de pacto, niſi ex propria ſtupidarum deluſarumq; anicularum confeſsione. Et in d. ca. 27. argumentis impoſsibilitatem pacti arguit, quæ infra ſoluentur.

Vera & Catholica doctrina eſt intercedere poſſe pactum, & de facto interuenire in operibus Magorum & maleficorum. Probatur in primis ex illo Eſaiæ 28. Dixiſtis, percuſsimus fœdus

fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Quod ad præsentem sensum, allegârũt S. Thomas 2.2.q.95.art.4.in corpore. Alphonsus Castren. lib 1. de iusta hæreticorum punitione, cap.14. Mart. Nauarr. de pœnitentia d.1. cap. Nunquid Cain. Paulus Grilland lib.2. de Sortilegijs, q.3. Atq; hæc Esaiæ verba ad propositum etiam accommodant Pontifices, Ioannes 22. in extrauag. incip. Super specula edita contra Magos & magicas superstitiones. Et Sixtus V. in Bulla contra Astrologos, incantationes, diuinationes & sortilegia. Quare non rectè Censor nostertam pactum, quàm hunc sensum verborum Esaiæ impugnauit. Quandoquidem sacra Scriptura non solùm vnum habet sensum, sed etiam plures. Clarius idem probat illud Euangelij Matth. 4. Iterum, inquit scriptura, assumpsit eum in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus. Vade Satana. Scriptum est enim, Dominum DEVM tuum adorabis, & illi soli seruies. Hîc percunctor, an hæc non sit species & forma pacti: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris. Quis enim Iurisperitorum dubitauit pacta fieri hoc modo, per si, dabo hoc, vel tantum, si hoc feceris. L. hoc iure. ff. de donationib. L. Labeo scribit, si mihi Bibliothecam. L. Iuris gentium. ff. de pactis. Baldus in

Tract.de pactis,à num.20. Ioan.Baptista Caecialupus in Tract.de eadem materia,q.6.&alij in ll.allegatis.An non etiam formę contractus innominati sunt, secundum leges & omnes Doctores hæ? Do vt des, do vt facias,facio vt facias,facio vt des. ff. de præscriptis verbis: & in factum actionib. L. Naturalis meus,Glossa & DD.ibidem.Angelus,Sylvester, Aurea Armilla,& omnes summistæ in verb.Cõtractus. Quid ergo aliud sonant secũdum legitimum, naturalem & verum sensum hæc verba. Hæc omnia tibi dabo,si cadens adoraueris me, nisi pactum? dabo,si exercueris actum adorationis,do,si hoc feceris: hoc modo etiam semper nostros maleficos & sagas in primis aggreditur.Si Deo & suis abrenunciaueris,mihiq́; adhæseris, liberabo te à tali desolatione, aut tribulatione, aut paupertate, dabo diuitias, aut offeram voluptatem ad libitum,aut faciam te voti compotem,*&c.* Vt nõ modo percipimus ex confessionibus stupidarum anicularum, sed etiam virorum doctorum vtriusq; status, Ecclesiastici & ciuilis, hominum,iuuenum & senum,(quod sanè dolendum)imò etiam cõuersorum & pœnitentium.Deinde ad probationem dictæ veritatis accedit canon.26.causa.q.2.cap.Illud:ex August.in hæc verba:Omnes artes huiusmodi , vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum &Dęmonum,quasi pacta infi-

delis,

delis,& doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudiandæ & fugiendæ Chriſtiano. Nec abhorret lex ciuilis hoc pactum. C. de malef. & mathem. in l. multi: dum ait, manibus accitis, id eſt, ſecundum Gloſſam, Dijs infernalibus, quomodo vocati veniunt Dęmones, niſi ex pacto? Certè humana poteſtas, cùm ſit inferioris ordinis, & longè infirmioris virtutis, Dęmonem ne minimum quidem cogere poſſet vt accitus compareret, niſi pactum intercederet. Sed plura pro explicatione iſtorum verborum adducimus in Commentario in titul. C. de malefic. & mathemat. in d. l. Multi: quem præſenti tractatui ſtatim ſubijcimus. Comprobat etiam hoc pactum communis Theologorum ſententia. D. Cyprian. in li. de duplici martyrio atteſtatur, quod qui magicis artibus vtuntur, tacitè Chriſtum abnegent, dum cum Dæmonibus habent fœdus. S. Auguſtin. li. 2. de doctrina Chriſtiana, à ca. 20. cuius verba relata in d. cap. Illud: S. Thom. in 2. 2. loc. citat. & in quæſt. 96. ſæpè. S. Anthonin. 2. part. titul. 12. Guilhelmus Pariſienſis in tract. de fide & legib. fol. 45. col. 2. in edit. Pariſienſi de Anno Domini 1516. Scotus in 4. diſt. 34 Gabriel. in 2, d. 8. q. 2. art. 4. dub. 2. Sylueſt. & Angel. in verb. Superſtitio, & maleficium. Ioan. Gerſon in 1. parte, in Triologio Aſtrologiæ Theologizatæ. Martinus Arles in tract. de ſuperſtitionibus, à num. 85. Ioannes Trittemius

de reprobis & maleficis ad quæstiones propositas a Maximiliano Cæsare. Franciscus Victoria, Castrensis & Iosephus Angles loc. citat. Ioan. à Turrecremat. in d. c. Illud: 26. q. 2. Martin. Nauar. in manuali confessariorum, cap. 11. nu. 25. & alij communiter alibi. Consentiunt Iurisperiti Paul Grillan. in d. q 5. de Sortilegijs. Iodocus Damhauderus in cap. 61 Practicę criminalis. Ioannes Bodinus lib. 2. cap. 3. & 4 de Dęmonomania Magorum, & in confutatione opinionis V Vieri, pag. 440. in editione Basiliensi de Anno Dom. 1581. accedit Thomas Erastus Medicus in Dialogo de Lamijs, qui doctissimè confutat opinionem V Vieri, ad propositum, tacito nomine. Atq; hanc Catholicã sententiam determinauit Vniuersitas Theologica Parisiensis Anno Domini 1398 19. Septemb damnando errores aliquos circa materiam superstitionum . Hos autem articulos ponunt Gerson in 1. parte suorum operum: & Bodinus in initio sui libri, & alij alibi.

Tertius articulus ad nostrum intentum talis est. Quod inire pactum cum Dæmonibus tacitum, vel expressum, non sit idololatria, vel species idololatriæ, error. Et intendimus esse pactum implicitum in omni obseruatione superstitiosa, cuius effectus nõ debet à Deo, vel natura rationabiliter expectari. hæc in d. articulo.

Non desunt apud Scriptores præclara pactorum

ctorum explicitorum exempla, quæ ad ædificationem & instructionem lectorum placet asscribere. S. Amphilochius in vita Basilij Magni, quam inserit Laurentius Surius tomo primo, refert, quendam infimæ sortis adolescentem Protherij Senatorij ordinis viri filiam deperisse, qui quod se humili & obscuro genere natum cognosceret, Magum adijsse, promittendo ei multam auri vim, si eius opera puella posset potiri. Magus hominem ad Dæmonis voluntatem paratum animaduertens, cum literis ad diabolum mittit, quas ille ea noctis hora & loco, vt incantator constituerat, in aëra tollit, simulq; operam Dæmonis alta voce implorat. Literarum autem talia erant verba: Quandoquidem, mi domine, non cunctanter in eam curam mihi incumbendum est, vt à Christiana religione homines abstraham, & tuæ adiungam voluntati, quo tua pars fiat auctior: En mitto ad te hunc qui præsentes perfert literas, puellæ cupiditate inflammatum, petoq; vt liceat ei adipisci quod appetit, vt & in illo glorier, & cum multa alacritate congregem alios, qui placeant tibi. Mox adsunt Principes potestatis tenebrarum spiritalis nequitiæ, & lætabundi apprehensum miserè errantem ad diaboli conspectum ducunt, monstrantq; eum illi in sublimi throno sedentem, vallatumq; vndiq; turbis malignorum spirituum. Accipiens autem ille literas à mago

mis-

missas dixit ad miserum, Credis in me? At ille inquit, credo: Et abnegas Christum tuum? respondit, abnego. Tum diabolus, manu tua scriptas mihi exhibe literas, quibus Christo tuo & Baptismati vltro renuncies, meq; sponte in æternum profitearis, & quod in die iudicij præparatas pœnas sempiternas mecum libens sis subiturus, & ita confestim efficiam te rei optatæ compotem. Scripsit ille manu propria ad diaboli petitionē. Statim fornicationis spiritus mittitur, vt puellam perditi iuuenis amore inflammet, iussis obtemperat, atq; tantam mox in puellæ pectore amoris ignem excitauit, vt se morituram diceret, nisi de parentis consensu famulus sibi matrimonio iungeretur. Basilius deinde hominem diabolo deuotum, Christo reconciliauit.

Nota est etiam historia de Theophilo, quam Metaphrastes descripsit ex Eutychiano Patriarcha Constantinopolitano, qui testatur se scribere ea quæ à Theophili lingua audiuit, & eam historiam adiunxit suis etiam Surius tomo 1. ex Simeone Metaphraste. Meminit eius etiam breuius S. Anthoninus 4. parte tit. 15. cap. 45. §. 6. Hic Theophilus, cùm esset in oppido Ciliciæ Adana Ecclesiæ OEconomus, vel vt S. Antonin. ait, Archidiaconus, iniustè per æmulorum calumnias administratione siue dignitate exutus, impatiens tantæ iniuriæ, Iudæi insignis magi in ea vrbe auxilium implo-

plorat. Qui eum admonet, ne viso prodigio, aut aliquo percepto sonitu, signũ crucis formaret, & sic in cõdicta nocte accepit eum magus in hippodromum ciuitatis, vbi viros plurimos lænis indutos cum multitudine lampadum & satellitum conspicatur, atq; in eorũ medio principem tenebrarum considentem cum assecliss suis: mox ad Iudæum hæc proferentem verba. Quod nam possum ei dare auxilium, qui seruit Deo suo: sin autem vult reuera meus esse seruus, & in meorum numerũ referri, ego opem ei feram, vt plus quàm ante possit facere, & omnibus imperare. Neget itaque filium eius qui dicitur Mariæ, & illam ipsam, & illorum negationem ac renunciationem mihi scriptis mandet, & quæcunq; vult à me impetrabit. Tunc protinus Theophilum ingressus est Sathanas, & pactus cum diabolo, negauit Christum, & sanctissimam Dei parentem, & cùm scriptis mandasset suam negationem, cera obsignauit, & principi tradidit, & cùm se inuicem essent amplexi, ambo recesserunt à principe; Theophilus quondam Oeconomus, & proditor ex hippodromo, magna affecti lętitia propter suum interitum. Sequẽtia autem die Episcopus qui Theophilum officio priuauerat, pœnitentia ductus, eundem cum omni honore restituit, Theophilus etiam memor sui discessus à Deo, intercessione B. Mariæ Virginis, cum pœnitentia redit ad Deum,

Deum, à quo defecerat, & tandem charta abiurationis cum bulla ceræ Theophilo redditur.

Nec huic multum dissimile est aliud relatum à Cæsario Heisterbacensi monacho in libr. illustrium miraculorum & historiarum mirabilium, quem scripsit circa annum 1222. per modum dialogi, in lib. seu distinct. 2 cap. 12. Vbi sic incipit & persequitur: Infra hoc quinquennium, iuxta Floreffiam, cœnobium Ordinis Præmonstratensis, in Diœcesi Leodiensi, adolescens quidam nobilis habitauit, cui pater moriens, vtpote vir magnus & potens, multas diuitias reliquit. Factus miles idem iuuenis, vt gloriam sibi conquireret temporalem, breui ad magnam deductus est paupertatem: caussa laudis humanæ torneamentis totus deditus erat, histrionibus sua larga manu tribuebat, & quia ad tales effusiones reditus annui minus sufficiebant, hæreditatem paternam vendere compellebatur. Erat autem in proximo manens miles quidam dives & honestus, ministerialis tamen: huic iuuenis iam dictus allodia, siue feuda sua partim vendebat, partim in vadimonio expendebat. Et cùm iam non haberet quod venderet, vel exponeret, cogitabat exulare; tolerabilius iudicans, inter extraneos mendicare, quàm inter notos & affines egestatis confessionem sustinere. Habebat autem villicum,

cum, hominem quidem malignum, nomine, non re Christianum, & dæmonum ministerio totum mancipatum. Videns hic dominum suum tristem, & tristitiæ non ignorans causſam: dicebat ei: Domine, vultis diues fieri? Respondit, libenter diues fierem dummodo diuitiæ esse possent cum DEO. Et villicus: Nolite timere, sequimini tantum me, & bene erit vobis. Statim secutus est miserum, tanquam serpentis vocem Eua, quasi sibilum aucupis auicula, in laqueum diaboli celerius deponendus. Et duxit eum in ipsa nocte per quoddam nemus, in locum palustrem, & cœpit quasi cum aliquo habere sermonem: cui iuuenis, cum quo loqueris? Respondit domino suo villicus ille iniquitatis: Tacete tantum vos, nec sit vobis cura cum quo loquar. Cumque secundò loqueretur, & iuuenis iterato sciscitaretur, respondit, cum diabolo. Et cœpit iuuenis nimis horrere. Dicebatque villicus diabolo: Domine, ecce virum hunc nobilem, dominum meum adduxi gratiæ vestræ, maiestati vestræ supplicans, vt vestro auxilio pristinis honoribus, atq; diuitijs restitui mereatur. Ad quem diabolus: Si mihi deuotus & fidelis esse voluerit, dabo ei diuitias magnas: Insuper addam gloriam & honores, quales non habuerunt patres eius. Respondit villicus, libenter vobis obsequiosus erit & fidelis, si

lis, si talia fuerit consecutus. Et ille, si voluerit illa à me consequi, abrenunciare debet in instanti altissimo. Quod cùm iuuenis audiret, & facere renueret, dicebat homo ille perditionis: Quid timetis proferre verbulum vnum? dicite, abrenuncio. Tandem miser iuuenis à villico persuasus, creatorem suum ore suo negauit, manu exfestucauit, diabolo homagium faciens. Hoc scelere perpetrato, diabolus adiecit: Adhuc opus imperfectum est, etiam abrenunciare debet matri altissimi: illa enim est quę maximum nobis adfert damnum: quos filius per iustitiam abijcit, mater, quia nimis misericors est, ad indulgentiam reducit. Sibilauit iterum serpens in aure adolescentis, vt domino suo in hoc obediret, vt sicut filiũ ita etiam & matrem abnegaret. Ad quod verbum iuuenis nimis expauit, turbatusq; supra modum, respondit: Hoc nunquam faciam. Quare, inquit villicus, feciſtis quod maius est, facite nunc quod minus est: maior est creator quàm creatura. Et ille: Nũquam negabo eam, etiamsi me oportuerit ostiatim mendicare per omnes dies vitæ meæ, & non acquieuit. Sicq; infecto negocio ambo reuersi sunt, nihil quidem honoris consecuti, sed maximo peccati pondere grauati, villicus suadendo, iuuenis consentiendo. Hæc ille. Deinde subiungit, iuuenem merito & intercessione B. Virginis contritum de peccato & liberatum,

nec non tandem honestissimo matrimonio donatũ, quo mediante, sub nomine dotis omnia sua bona recuperauit: Et adijcit auctor hæc verba: Adhuc, vt puto, viuit, viuunt & soceri, post quorum mortem, eorum hæreditas ad ipsum reuertetur. His etiam addere possumus factum D. Cypriani, qui etiam ante conuersionem suam magiæ deditus, chyrographo se obstrinxerat Dæmoni, vt ex eius actis colligitur. Verùm hîc paucis moueri potest dubium: An Cyprianus martyr & Episcopus Carthaginensis fuerit ante conuersionem magus: vel alius. In primis certum est ex probatissimis historijs, duos fuisse eiusdem nominis martyres: Alterum Cyprianum Episcopum Carthaginensem, & scriptorem præclarissimorum operum. Alium martyrem Necomediensem, vbi martyrium subijt. Nunc ad dubium. Cyprianum Episcopum Carthaginensem Magum fuisse, apertè sentiunt Niceph. li. 5. hist. Eccles. c. 27. Greg. Nazianz. in orat. in laudem Cypriani mart. Prudent. in hymno de S. Cypria. Metaphrastes apud Lypomanũ to. 6. de vitis Sanctorum, & Lauren. Surium tom. 5. in mense Septemb. & cęteri græci, vt attestatur Cæsar Baronius in notat. ad martyrologium Roman. 14. Septemb. Nec video, ex antiquis etiam quis Latinorum in contrarium eat, nec Baronius aliquem allegat. Non fuisse hũc Cyprianum Magum, sed alium Necomedien-

sem contenduntex recentioribus Pamelius in vita S.Cypriani, ante eius opera, Pamelij opera edita, leui argumento motus, & diligentius Cæsar Baronius, vir vitæ sanctitate, eruditione, indefesso labore in annalium Ecclesiasticorum scriptione, & matura senectute celebris, in notat. ad d. martyrologium 14. & 26. Decemb. & breuius se referendo ad prius dicta tom.2.annalium ecclesiasticor. sub Anno Christi 250.pag.439.in editione prima Plantiniana, & alij quidam iuniores. Hanc sententiã apud antiquos non puto reperiri. Nec refert, quod Pontius Diaconus, qui vixit cum D.Cypriano Carthaginensi Episcopo, eiusq; vitam conscripsit, quę à Surio to.5.14.Septem. inseritur, non dicat Cyprianum magũ fuisse: Quia Pontius, vt satis constat ex initio vitæ ab eo descriptæ, eius acta tantum repetit à conuersione, & tempore quo cœlesti curię inscriptus est: Quem ordinem etiam D.Hieronym. licet breuissimè de scriptorib. Eccle. de S. Cypriano insecutus est. Fatendum sanè est, auctoribus antiquioribus multum fidei tribuendum in re tam antiqua. Si enim ea inspiciantur, quæ Lypomannus tom.6.de vitis Sanctorum, ante gesta & vitam martyrum, Cypriani martyris & Iustinæ, & auctor annotat. in orat. Gregorij Nazianz. in laudem D.Cypriani, post Scholia maxima oritur difficultas circa huius historię veritatem, & difficilimum est conciliare auctorum

ctorum scripta, nisi ponatur vtrumq; Cyprianum fuisse Episcopum Carthaginen. vt etiam Aloysius Lypomann. fatetur. Nec vsque adeò laborioſum videtur dissoluere ea, quæ Baronius adfert ex dictis à Lypomanno, & Metaphraste, si altius omnia considerentur: Verùm historiæ scriptoribus hæc exactius considerãda relinquimus. Hæc à nobis adiecta sunt propter quendam Censorem scripti mei postremi, in quo tribus aut quatuor verbis secutus antiquorum sententiam, significaueram, Cyprianum Carthaginen. Magię fuisse cultorem: Quę cùm Censor animaduertisset, annotauit, atq; etiam alijs simplicioribus tanquam ingentem ignorantiæ labem, ad diminuẽdam meam auctoritatem, ingesit: & quia fortasse latius Censoris mentio incidet, paucis aperiam rei seriem. Cùm enim Anno Dom. 1591. auctius prodijsset scriptum meum de Confesionibus Maleficorum & Sagarum, quidam etiam Theologicæ facultatis (quem honoris gratia nominare nolo) tractatum in libros distinctum scriptis cõcepit, & ad describendũ alijs tradidit, descriptum prælo tradidit. Aliquibus folijs iã impressis, Typographus Colonienſis imperio magistratus fuit impeditus, ne pergeret, vt ipsemet in literis manu propria impressoris scriptis legi. Finis scripti erat ostendere, (quod tamen nullis apparentibus argumentis, sed solùm splendidis verbis & di-

cterijs præstitit) omnia quæ dicuntur de maleficorum & Sagarum Confessionibus & operationibus, esse vana, falsa, & somnia, ideoque magistratum summo scelere, & maximo peccato perstringi, qui huiusmodi personas persequitur. Ad persuasionem huius intenti, librum multis verborum ambagibus, adiunctis etiam nonnullis iniurijs, ac alijs erroribus, etiam contra fidem Catholicam, & communem omnium DD. Theologorum certissimã doctrinam, onerauerat. Tamen quia filius Ecclesiæ erat, errores recantauit, ad commissionem Reuerendissimi & illustrissimi Octauij Episcopi Tricaricen. Nuncij Apostolici, & veniam de iniurijs deprecatus est. Hæc scripsisse sufficiat in gratiam eorum, penes quos vel in albeolis, ac chartis, vel in memoriæ cellulis adhuc aliquæ illius libri reliquiæ resident. Sed his omissis ad institutum redeamus.

Dicet aliquis: Quare seruant huiusmodi pacta & promissa Dæmones, cùm tamen sint mẽdaces & fallaces? Dico in primis, q̃ nec semper seruant, nec seruare possunt, cùm non sit in eorum potestate. Hinc Christo promittebat Matt. 4. dare omnia regna mundi & gloriam eorum, quę tamen non erant in eius potestate. Vnde Remigius in illum locum. Miranda est diaboli dementia: illi promittebat dare regna terrena, qui suis fidelibus dat regna cælestia, & gloriam mundi, qui est cœlestis glorię Dominus.

nus. Et Hieron. in eadem verba, tom. 9. Arrogans & superbus de iactantia loquitur. Non enim potest omnia dare, cùm sciamus plerosq; sanctos viros à Deo reges factos. Alludere ad idem Euangelij videtur Michael Psellus in li. de Dæmonibus: quando dicit: Etsi Dæmonia diuitias nobis & gloriam promittunt, nihil tamen ex se tradere possunt: Quippe cùm imperium nullum habeant, sed visu tantum quę dã inania suis cultoribus afferunt, varia prorsus & instabilia. Sic innumerabilibus processibus cõstat, quod maleficis in principio subuersionis pecunias argẽteas, sicut etiam S. Anthonio Sportam argenteam ostendebat, promittat, ostendat, & det. Quas cùm putant se habere, & eis volũt vti, pecuniæ resolutæ sunt in stercora equorum, aut aliam vilem materiam. Non tamen negandum, Dæmonem aliquando veras pecunias dare, vt sua mancipia confortet in malo, ne si ipsum semper mendacem inueniant, fidem non habeant, scit enim illud commune pronunciatum, Mentiri solito, verum non creditur vlli. Huius rei exemplum libet hîc inserere de fœmina nota Treuiris, Colonię, & in locis vicinis Ex cuius processu iudiciali & criminali Authentico manu notarij scripto, corã iudice & scabinis, aliqua puncta ad instructionem congruis locis inseremus præsenti editioni: Quare altius cursus rei repetendus est. Fuit fœmina satis diues in

Pago distanti à Treuirensi Ciuitate paruo miliari, nomen Pago Rouer, & Fœminæ Meisenbeins Anna. Hæc cùm multorum suę sectæ virorum & mulierum denunciationibus, & alijs indicijs in vehementem veniſſet maleficij ſuſpicionem, ab incolis Pagi Rouer apud officiatum ſiue præfectum loci accuſata tanti criminis, clàm ſe ſubtraxit, & aliquot ſeptimanis in locis vicinis delituit. Tandem à nobili & valido viro Ioanne Pieſport, Officiato Abbatis monaſterij S. Maximini extra & prope muros Treuirenſes, cuius iuriſdictioni ratione domicilij ſubdebatur, requiſita & monita ad comparendum & purgandum ſuper indicijs. Requiſitione non obſtante, criminis conſcia mulier, adhuc ætatis mediæ, prima habita oportunitate, nauigio in flumine Moſella Coloniam ſe recipit. Deinde temporis ſucceſſu, Deo ſic diſponente, vt occulta & nefanda crimina prodantur & puniantur, dicta rea ab alijs pluribus, imò à proprijs filijs & filiabus, quos etiam tanti ſceleris, & aliorum grauiſsimorum participes reddiderat, vehementius adhuc delata. Seduxit enim duos proprios filios, & duas filias: alter filius, & vna filia ante capturam matris, in magna pœnitentia cum multorum mœrore, vitam laqueo finiuerũt, & corpora igne conſumpta: alius filius, & filia adhuc impuberes in cuſtodia detinentur, & inſtruuntur. Deus det ipſis bonam mentem,

& con-

& constantem conuersionem. Cùm autem maior natu filius, cuius infra aliquoties mentionem faciemus, cui nomen proprium fuit Ioannes Cuno, sententiam criminalem in confessu Officiati, Prętoris & Scabinorum, coram Tribunali acciperet, vehementer & impensè, zelo salutis maternæ, vt pium decebat filium inflammatus, rogauit iudices, vt studio cogitarent, & industria laborarent, si qua ratione & via matrem ream comprehendere possent, vt tandem in hac vita conuersa ad Deum, per pœnitentiam, temporali ignominia, & momentanea morte æternum & infinitum redimeret supplicium tantis criminibus debitum & præparatum, si in hac vita pœnitentia non expientur. Iuuenis, honestissima, & plenissima misericordiæ petitione, necnon etiam scelerum multitudine magnitudineq;, quæ rea mater commiserat, dictus Officiatus rectè excitatis, Senatui Colonienſi, & bonis amicis Colonæ, qui negotium promouerent, proprio & ad rei expeditionē exercitato nuncio scripsit. Amplissimi & nobilissimi Senatus prouidentia, & diligēti dispositione, Rea Coloniæ inquisita, & cùm subinde ædes & domicilium mutasset astutia, vt non facilè inueniretur, tandem reperta, & missa Officiato S. Maximini prædicto, comitantibus tribus, aut quatuor fortibus & armatis custodibus, & sic 5. Octobris Anno Domini 1590. adducta, &

tradita in custodiam Monasterij S. Maximini, Octaua eiusdem mensis, Officiatus reproducta copia indiciorum coram prætore & scabinis, eorum consilium & iudicium requisiuit: Qui iudicârunt, quod rea benevolè & seriò interrogaretur, & nisi veritatem sic fateretur, moderata tortura adhiberetur. Et sic factum est, prius constanter negauit, adhibita tortura, confessioni initium dedit, & paulatim continuauit. Inter reliqua confessionis pũcta, confessa fuit, quod cùm à proprio marito durius tractaretur, & vnius prolis mors subsequeretur, grauius commota cogitare cœpit, sea Deo derelictam esse, animumq; abiecit. Quas cogitationes & similes cùm mente volueret; Dæmon in forma viri nigris vestibus indui, nocte prope lectum apparuit, & dixit: Si Deo, à quo deserta esset, vellet abrenunciare, sibiq; adhærere, & operam addicere, quod patem se procurante esset habitura. Sic excæcata statim fidem Dæmoni dedit, Deo, B. Virgini, quam *Latam* malus spiritus appellabat, atq; omnibus sanctis abrenunciauit, & dixit: Deus, ex quo auxilium ferre recusas, intermitte. Statim amasius, qui se Fedderhans nominabat, frõtem tetigit, ac si crisma eradicaret, pedes habebat asininos. Cùm Dæmoni deceptionem obijceret, eumq; mendacem assereret, pro consolatione dedit ei duplicem ducatum, verum, legalem & bonum, quem in marsupium reposuit,

fuit, & alijs pecunijs adiunxit. Hæc mulier 20. die mensis Octob. Anno Dom. 1590. viua igni tradita est, & bonum vitæ finem habuit. Deinde, vt ad propositum reuertamur, secundum Scotum, & Gabrielem locis citatis, & alios alibi, Dæmones seruant pacta & promissa, non quia veraces, sed vt alij eis adhæreant, quia si nulla pacta seruarent, nulli homines eis seruirent.

Annotandum etiam, quod quemadmodum secundum leges & Iurisperitos, duplex est pactum; Tacitum & expressum. L. Labeo. L. Item quia conuentiones. ff. de pactis. Barth. Bald. Iason & DD. ibidem: Ita etiam duplex intercedere potest pactum inter hominem & Dæmonem: Tacitum & expressum. Tacitum est, quando aliquis contendit facere aliquid per causas, quæ nec virtute naturali, neque ex diuina aut Ecclesiastica institutione possunt illud efficere, vel quando huiusmodi causæ tanquam necessariæ adiunguntur alijs, quæ possunt talem effectum producere, vt explicat Nauar. in manuali Confessariorum cap. 11. nu. 25. & satis colligitur ex d. artic. Parisien. Sic tacitum pactum ineunt quandoq; viri ex curiositate, quando vident suas vxores se vngere, vt ad cursum & congregationem nocturnã proficiscantur, ipsi eodem vnguento se vngunt, & sequuntur. Cuius rei exempla Grillandus & alij referunt. Quia enim fidem habent, quod

Duplex pactum potest esse inter hominem & Dæmonem.

tali vnguento vis insit, tacitè consentiunt in opus diaboli, qui accurrit, & auxilium fert. Pactum expressum est, quando consensus exprimitur per verba, nutus, aut signa. Cuiusmodi est illud, quod vt plurimum malefici faciunt, quando Deo abrenunciant, & Dæmoni in seruitutem se tradunt. Grillandus in d. q. 3. Damhauderus, Castrensis & alij duplicem etiam distinguunt Sortilegorum professionem. Tacitam & expressam. Tacita professio est promissio quædam, quam quis facit alteri professo de obseruando, quæ sibi mandauerit sub promissione, quod grandia faciet, & mirabilia in vita sua, cognoscet futura, & multa alia his similia: dummodo fidem Catholicam abijciat, & omnia Ecclesiastica Sacramenta cõtemnat & repudiet, atq; adhæreat cultui & obediẽtiæ sui magistri, & hæc professio dicitur tacita, quia non fit propriè cum Dæmone, sed cum eius ministro: nec interueniunt solennitates extrinsecæ, quæ interuenire solent in expressa professione. Expressa est, quæ fit cum proprio Dæmone: & ista adhuc duplex est. Vna quæ dicitur solemnis siue publica: & altera priuata. Solemnis est illa, quæ fit cum Dæmone, dum publicè residet in solio Maiestatis, more principis, quãdo fiunt vniuersales congregationes certis nocturnis horis, & quatuor anni temporibus. Solent enim, vt nostri malefici & sagæ referunt, in quatuor anni tempo-

Sortilegorũ professio duplex.

ribus

ribus nocte quæ interceditinter diem iouis & veneris celebriores habere conuentus: in quibus multi coueniunt omnis sexus & conditionis homines. Priuata est, quæ fit cum ipso Dæmone pacto expresso, citra tamen solemnitates & hominum multitudinem. Hanc solent facere statim, quando transeunt in societatem Dæmonis. Tunc relinquunt prius Deum, abnegantes eius nomen & baptismum, & reliqua sacramenta Ecclesiæ. Deinde adhærent Dæmoni, eidemq; perpetuam obedientiam spontanea voluntate promittunt, ita vt penitus subditi Diaboli efficiantur. Et sicut veri Christiani secundum Scripturam admonentur, vt omnia opera sua bona faciant, & incipiant in nomine DEI, & ad eius honorem dirigant: Ita hi Diaboli clientuli iubentur omnia facere & incipere in nomine Dæmonis, & ad eius cultum dirigere. Nunc ponenda sunt fundamenta d. Doctoris, quibus pactum hoc impugnat, quod fieri nequeat. Primò, ratione personarum: naturarum diuersitas non patitur, quia cùm nulla communio sit inter Dæmonem & hominem, nullum potest esse pactum, aut cõtractus. 2. Ratione rerum: Quia quę dari fieriúe non possunt nec de iure, nec naturaliter, eorum nulla est penitus obligatio. 3. Ratione conditionis adiectæ stipulationi, pactoúe: Quia nec in stipulantium est potestate, nec ita in casu posita, vt natura sit possibilis. 4. Ratione for-

ne formæ: quia non ea fit, quæ dat esse rei, cuiusq; omissio vitiat actum. 5. Ratione dissensus: Quia semper de alio & aliter sentit Dæmon, quàm homo. 6. Et postremò non nisi imaginarium est vniuersum negotium. 7. Præterea aniculæ, quæ plerunq; lamiæ dicuntur, circumueniuntur dolo, fraude, astu, ignorantia ac errore: ergo non potest esse contractus & pactum. Hęc argumenta ponit lib. 6. de pręstigijs Dæmonum cap. 27. pag. 779. In lib. de Lamijs cap. 7. aliter improbat pactum. Dæmō cùm spiritus sit, carnem & ossa non habet, quare extensa manu, firmaq; stipulatione lamiam recipere non potest, vt tractatur & dicitur de professione sagarum. Præterea dolosa hæc stipulatio, in pernitiosum finem conficta, contra Dei voluntatem, si tantum habebit momenti, vt nulla queat rescindi ratione, & necessariò eius virtute alter alterius voluntatem sequi, illiusq; præcepto morem gerere compellatur: Cur pactum illud prius in Baptismo, ex peculiari Dei voluntate & mādato, solemnibus verbis verè sancitum, & quidem interpositis fideiussoribus, tanquam prærogatiua, non pręponderabit? Alia profecto contractus est firmitas inter Deum veracem & sanę mentis homines. Quicquid ille stipulatur, & in suo verbo addicit, hoc fideliter, & indubitatè prę-stat, nec data manu præstigiosa deludit, non saltat, nec conuiuatur, vel similibus rebus ludicris

dicris, quibuſcum paciſcitur, nequiter fallit, dementatúe, quemadmodum hic commentitio carnali corpore amaſius. Diſparitatem hîc qui negauerit, neſcio quid veritatis hic ſit admiſſurus. Hæc ibidem ille Doctor.

His argumentis facilè eſt reſpondere, ſi clarè & dilucidè res intelligatur, & diſtinguẽda diſtinguantur. Pactum enim definitur eſſe, Duorum, vel plurium in idem placitum & conſenſus. L. 1. ff. de pactis, & dicitur à pactione, id eſt, pacis actu. Paciſci enim eſt actus concordiæ: Sic poteſt dici pactum, quaſi ad pacẽ habendam factum. Panorm. in ca. 1. de pactis. Vnde pacta diriguntur ad cõſeruationem paais, concordiæ & ſocietatis. Hinc optimè intelligitur Caietani doctrina, ſuper 2. 2. S. Thomæ, q. 95. art. 4. quod pactum initum cum Dæmone dupliciter intelligitur. Vno modo, pro conuentione cum Dæmone facta: vt, faciam hoc, vt facias illud, *&c.* Alio modo pro ſociali actu cum Dæmone: Et licet pactum & fœdus propriè ſonent conuentionem, tamen etiam in materia ſuperſtitionum, & Sortilegiorum accipiuntur & intelliguntur ſecundo modo: & tunc pactum tacitum intelligitur, ſicut inuocatio tacita. Deinde pacta diſtinguuntur à iure & Doctoribus, in vtilia, vel, vt aliqui vocant, valida: & inutilia, ſiue inualida, vel nulla. Et ſic pacta vtilia ab inutilibus diſtinguuntur per eſſentiam. Nam vtilia pacta habẽt eſſe.

Quomodo pacta diſtinguantur.

Inu-

Inutilia non. L. Iuris gentium. §. pactorum, & §. si ob maleficium. ff. de pactis. & L. pacta quæ contra. C. eod. tit. & in reg. Quæ contra ius, de reg. iuris, in 6. Caccialup. in tract. de pactis, q. 6. Bald. in tract. de eadem materia. & in d. l. Iuris gentium. Bartol. Alberic. Iason & alij in d. §. Si ob maleficium. Ad quam materiam multas adfert allegationes Bertachinus in Repertorio Iuris, in verbo Pactum, vers. Pacta inualida. Hanc distinctionem si perpendisset dictus auctor, vidisset argumẽta sua, quæ ponit, nihil probare. Probãt enim hoc, quod omnes concedimus, & iure tam canonico, quàm ciuili probatur: pacta, quæ fiunt cum Dæmone, non esse vtilia, sed inualida, nulla, turpia, contra legem diuinam & humanam, nullam inducere obligationem, repudianda, & rescindenda. Quia pacta contra bonos mores, & ob maleficia perpetranda inita, cùm sint turpia, contra legem Dei, sunt inualida, & nulla. De talibus pactis tractant DD. Iuris in d. §. Si ob maleficium. Quare auctor rectè dixit: disparitatem qui negauerit inter pacta, quæ fiunt inter Deum & hominem, & inter maleficum & amasium, nescio quid veritatis sit admissurus. Pacta enim, quæ fiunt Deo, fiunt de rebus ad salutem animę & corporis spectantibus, ideoque sunt vtilia, valida, & habent essentiam, inducunt obligationem. Quæ verò maleficus cum Amasio, sunt in perditionem animæ & corpo-

Disparitas est inter pacta hominis cum Deo, & hominis maleſici cum Dæmone.

corporis, diuinam maiestatem lædunt, & sunt in fauorem inimici Dei & hominum. Atq; hîc si bene aduertisset, in argumentis proprijs cõtrarietatem admittit, cùm dicat, disparitatem naturarum arguere impossibilitatem contractus & pacti, & tamen probet contractum & pactum inter Deum & hominem esse: & sacræ literæ ita esse clarissimè attestantur. Quia cum Abraham, Moyse, & alijs patribus Deus habuit pacta & fœdera. Genes. 9. Recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum Et iterum ibidem: statuam pactum meum vobiscum. Gen. 17. Ponam pactum meum tecum, & eris Pater multarum gẽtium. Deut. 5. Deus noster pepigit nobiscum fœdus. & 7. cap. & alibi. Si ergo propterea repugnat fieri pactum inter Dæmonem & hominem, quia naturarum est diuersitas, cùm homo sit corporeus, Dæmon spiritualis: quomodo non magis repugnat fieri cum Deo, cùm maior disparitas, si verum sit fundamentum, arguere debeat maiorem repugnantiam? Maior enim est disparitas quantum ad compositionem hominis ad DEVM, quàm ad spiritualem creaturam. In Deo nulla omninò compositio admittenda: At in spirituali creatura licet non sit compositio physica ex materia & forma, siue corpore & anima, est tamen metaphysica ex actu & potentia. Vnde liquidum est, quod homo cum spiritu potest paciſci, & quod nihil disparitas prædicta impe-

impediat. Est enim similitudo & communicatio inter spiritualem & corporalem creaturam, quantum ad intellectum & voluntatem, quarum potentiarum actus cõcurrunt ad pactum, vt ex definitione pacti clarum est, qua definitur esse duorum vel plurium, intellige, personarum, in idem consensus. Consensus spectat ad volũtatem. Voluntas autem in spirituali creatura etiam est. Membra corporea, non tam requiruntur ad essentiam contractus & pacti, quàm ad eius expressionem & manifestationem, vt noster cõsensus alijs, cum quibus volumus pacisci & consentire, innotescat. Quare sicut spiritualis creatura in corporibus assumptis nobiscum conuersatur, sonum vocalem, articulatũ, & quasi humanum format: ita etiam potest consensum & pactum exprimere, & cum homine conuenire. Nam si Dæmon Christo verbis expressis, vt Euangelica historia claris verbis loquitur, pactum obtulit: quid obest, quo minus alteri idem offerre possit? Etsi tamen verũ est, quod homo debeat dissentire à Dæmone: tamen tanta est Dæmonis astutia, & hominis tum infirmitas, tum malitia, vt liberè ei consentiat sæpius in multis, vt omnibus ratione vtentibus constat. Nec etiam quicquam ad rem facit, quod dicatur, sagas dolo, astutia & errore decipi: & ideo non esse pactum: sed tantùm arguit tale pactum non esse seruandum, sed rescindendum: Dolo malo,

Matth. 4.

malo, ait prætor, pactum se non seruaturum. Dolus autem malus fit ex calliditate & fallacia. L. Iurisgentium conuẽtiones. §. Pactorum autem. ff. de pactis. & dicitur iniquum dolo factum & fraudandi causa. ibid. §. Sed si fraudandi. Quod etiam dicitur non nisi imaginarium esse vniuersum negotium. Qua facilitate asseritur, eadem etiam reijcitur: nec solùm constat propria anicularum illusarum confessione, sed etiam Doctissimorum in Theologia & Iure auctoritate, & innumerabilium vtriusq; sexus & status hominum testimonio, qui tale fœdus non dormientes, sed vigilantes, solutis sensibus, cum Dæmonibus inierũt in Germania, Italia, Gallia, & alijs locis. Qui autem omnia imaginaria & phantastica opinatur, quæ sacræ literæ, graues Doctores, & mille hominum expertorum testimonia confirmant, multum phantasia perturbatus est. Quod verò plurimi vtriusque sexus homines confiteantur, quod in abnegatione fidei, quãdo fœdus initur, Dæmon malefico aut sagæ Chrisma è fronte eradicare contendat: id sanè intelligendum, quia Dæmon, qui vbiq; suum lucrum & humanæ salutis interitum quærit, hîc etiam Christianis hanc vult suggerere superstitionem, vt credant, aliquem effectum hanc eradicationem habere, & se minus hoc modo potentes fieri ad resipiscendum à tam infœlici statu, & ad rumpendum fœdus iniquum,

quum, per pœnitentiam & veram ad Devm conuersionem. Chrisma, quo Christiani more Catholico in Baptismo vngũtur, in corpore & fronte amplius non hærer, sed diu aqua idem detersit, nec tam chrismate vngimur ob corporis commodum, quàm animæ salutem. Chrismatis virtus animam afficit. Vnde eradicari Diaboli vngulis nõ valet. Qua de causa nec de nouo Sagę chrismate inunguntur, sicut nec baptizantur, quãdo ad cor redeunt, & suo creatori corde contrito & humiliato reconciliantur. Character, qui secundũ Conciliorum & Theologorum Catholicam doctrinam efficit, ne sacrum Baptisma reiteretur, indelebiliter animæ inhæret, corrumpi nequit : Cùm quicquid corrumpitur, ad corruptionem subiecti intereat, aut à contraria qualitate expellatur. Character autem inest animæ tanquam subiecto, quæ corruptioni non est obnoxia, nec etiam characteri quicquam contrarium est, à quo expelli queat. Nec puto quod omnes maleficos aut Sagas in fronte vngulis tangat, sed tantum minus instructos in fide, & superstitiosos, qui ea laborant persuasione, quod talis eius tactus in fronte aliquem sortiatur effectum.

Modus cognoscẽdi, quousq; maleficorum opera se extẽdant.

7. Præludium. *Vt cognoscamus, adquæ maleficorum opera se extendant ex permissione*

sione diuina, necesse est intelligere, quæ operationes Dæmonis potestati subiectæ sunt.

CVM autem tanta eius potestas sit, vt nulla vis super terram comparetur ei, attestante Iob cap. 41. impossibile est hominem scire, quid possint Dæmones per naturę suæ conditionem facere, nisi per donum Dei iuxta Apostolum dicentem 1. Cor. 12. *Alia dijudicatio spirituum, vt S. August. docet lib. 3. de Trin. cap. 9.* Si autem ex sacris literis cõstet, aliquid Dęmonum potestatem excedere, id nullatenus credendum est, maleficos, aut magos posse efficere. Ex hoc fundamento dicitur, Maleficos & magos multa posse ope diabolica facere, quæ homini imperito impossibilia vidẽtur, cùm proportionem nostri intellectus superent, nec sub sensus & phantasmata cadant, à quibus nostra cognitio initium sumit.

8. Præludium. *Firmum illud, ad multas difficultates tollendas in hac materia statuendum est pronunciatum,* cum D. Dionys. de diuin. nominibus, c. 4. approbatum à S. Thom. 1 part. q. 64. art. 1.. In Dæmonibus dona naturalia nequaquam mutata, sed integra & splendidissima mansisse.

Dæmones retinuerũt post lapsum dona naturalia.

CONSENTIT D. Gregorius super Iob lib. 34. moral. cap. 13. exponens illa verba Iob

41. cap. Non est super terram potestas quæ cõparetur ei. Potestas eius, ait D. Gregor. statim in initio cap. super terram cunctis eminentior perhibetur: quia etsi actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditione transcendit. Quamuis enim internæ fœlicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen magnitudinem non amisit, cuius adhuc viribus humana omnia superat. Atq; hoc Dionysij dictum communiter apud Theologos tritum & receptum est, licet illud sine ratione reiecerit Cẽsor noster, tanquam in multis suæ intentioni contrarium. Rationem illius Dionysij doctrinæ S. Thomas, altissimus rerum diuinarum scrutator resoluit in simplicitatem substantiæ angelicæ, à cuius natura aliquid subtrahi non potest, vt sic per subtractionem naturalium puniatur. Hinc Dæmonis potestatem non dicũt diminutam, sed ligatam Theologi. S. August. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 8. Alexand. Alensis in 2. part. q. 112. per tot. Alij Scholastici in 2. d. 6. & 7. latè Ioseph. Angles in Floribus Theologic. qq. post d. 11. in q. vnica de Dæmonibus, art. 2. & alij alibi.

Quare tanta est eorum pura naturalis cognitio, & operandi potestas, quanta Angelorum. Subiecta autem est materia horum inferiorum Angelis tam bonis quàm malis, quantum ad motum localem, idq; ex naturali rerũ ordi-

ordine, quia cùm natura corporalis infra spiritualem sit, tanquam imperfectius sub perfectiori, nata est moueri in ordine ad locum vnde Aristo. 12. Metap. posuit cœlum moueri ab intelligentijs, quas nos Angelos dicimus, numerumq; intelligentiarum, tanquam ex notiori è numero motuum, in corporibus cœlestibus inuestigauit.

9. Præludium. *In operibus maleficorum quædam adhibentur, quæ naturalem actionem ex rei natura habent, in ordine ad effectus, quos producere intẽdunt: exempli gratia, venena ad interficiendum, herbæ ad sanandum, vel occidendum: Quædam verò tantũm sunt signa & characteres, nihilq; habent virtutis ad effectus producendos; sed operatio sequitur ex pacto cum Dæmone, solum consensum præbente malefico, & signum adhibente.*

Quædam maleficis operibus adhibita naturaliter operantur; quædam ex pacto tãtum.

DELECTANTVR enim Dæmones multum signis, cùm imitari studeant Deum, qui mediantibus signis sacramentalibus, salutem operatur in terris, quam ipsi, pro eorum nequitia multiplici, adminiculo signorum, euertere conantur. *Quod pulchrè S. Augustin. lib. 21. cap. 6. de Ciuit. Dei innuit his verbis: Dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non vt animalia cibis, sed*

vt spiritus signis, in quantum scilicet hæc eis exhibentur, in signum diuini honoris, cuius ipsi sunt cupidi. Ex prædicta rerum, quę in maleficijs assumuntur, diuersitate, ad cautelam hominum obseruandũ, periculosius esse opus maleficorum, quando veneno alijsq; rebus naturalibus vtuntur, quã quando tantùm signis. Quia naturalia naturali modo applicata, effectum sortiuntur tam in bonis, quàm in malis, secundum proportionem actiuorum & passiuorum, nec valent impediri, nisi miraculosè ab eo, qui dixit de discipulis: *Et si quid mortiferum biberint, non eis nocebit.* Itaq; nec cruces, nec reliquiæ, nec sacramentalia naturalium rerum cursum impedient, nisi ipse præter naturam, qui omnium motuum est primum efficiens, effectum caussæ particularis suspendat. At in alijs alia ratio est: quia spiritualibus armis sæpissimè Dæmonum insultus propulsantur, & actiones impediuntur, ne effectum sortiantur.

Sic Epiphanius contra hæresin 30. de incantationibus, quæ maximè verbis, signis, characteribus, alijsq; rebus similibus perficiuntur, quæq; nullam caussalitatem in ordine ad effectum habent, ait, huiusmodi incantamenta contingere simplicibus, & idiotis hominibus, qui per præceptorum negligentiam non sunt muniti doctrina. Sic & ibidem ostendit exemplis per signum crucis in nomine Christi virtutem diaboli & incantationis impeditam, & postea

postea infra in confirmationem mysteriorum nostræ religionis, Iudæorum incantamenta & præstigia, aqua benedicta in nomine Iesu Nazaræi cum signaculo crucis dissoluta tradit. Nec solùm Epiphan. sed etiam alij Patres docent, aquam benedictam salutarem esse contra diabolicas & magicas artes & operationes. D. Hieron. in vita Hilarionis, vbi Hilarion aspersione aquæ benedictæ, gẽtilis aurigæ magicam molitionem dissipauit. Pulchrè Theodoret. lib. 5. histo. Ecclesiasticæ, cap. 21. Beda de gestis Anglor. lib. 1. cap. 17. & Alexand. primus in cap. Aquam de cõsecra. d. 3. & alijalibi. Vnde constat antiquissimam hanc esse traditionem, contra Nouatores.

10. Præludium. *Sicut inter angelos beatos, sic inter Dæmones est ordo & prælatio, & id fide tenendum ex sacris literis.*

In Dæmonibus vt S. Angelis, est subordinatio.

Iob. 41. Ipse est rex super omnes filios superbiæ. Matth. 12. & Marc. 3. In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principes & potestates, aduersus mũdi rectores tenebrarũ harum. Hinc Christus in Euangelio regnum Sathanæ attribuit. Luc. 11. Matth. 12. Si enim Sathan Sathanã eijcit, quomodo stabit regnũ eius? Hic autem ordo, naturæ est, non gratiæ. Nam naturæ dona retinuerunt, gratiæ autem amiserunt. Sicuti autem Dæmones natura sunt superio-

res & inferiores: sic eorum actiones etiam sibi inuicem subordinantur: qualis enim ordo inter causas, talis quoq; inter effectus. Hinc superiores Dæmones non omnia per seipsos exequuntur, sed inferioribus non rarò sua committunt officia, & prouincias disponunt, qui libenter se subijciunt in perniciem generis humani, sicq; eorum ordo & concordia non ex amicitia, qualem nullam inter se habẽt, sed ex nequitia, qua homines communi studio odio prosequuntur, & Dei regnum impugnare moliuntur, procedunt. Talis autem ordo inter Dæmones post vniuersale iudicium cessabit, quia tũc finis ipsius nullus erit, qui est hominum tẽtatio, & ad malum inductio. Quod confirmant verba illa Glossæ 1. Cor. 15. super verba Apost. *Cùm euacuauerit omnem principatum, &c. Quamdiu, inquit, durat mundus, Angeli Angelis, homines hominibus, & Dæmones Dæmonibus præsunt.* Videntur aliqua obstare huic ordini, quę mouet Guilhel. Paris. 2. part. principali, p. 2. c. 14. & 15. de vniuerso. Vbi pax non est, ibi non est concordia, iuxta illud Sapientis; Inter superbos semper iurgia sunt. Spiritus autem illi maligni sunt superbissimi, cùm etiam diuinæ maiestati renuerint subesse; cùm autem vnus superbus iugum alterius abijciat, quomodo superbissimi spiritus patiuntur sibi aliquem prę sidere? aut inuiti faciunt, aut voluntarij. Si inuiti, igitur semper sunt rebelles pro viribus

præ-

præsertim cùm ex superbia æquè appetãt principatum ac dominationẽ, sicut superior. Aut cum iam deiecissent millesies à suo principatu, si viribus prçualerent: aut necesse est, quod ipse omnibus sic præualeat, quod singulos & omnes potẽtia superet: quum ex eadem causa omnes simul contra ipsum moueantur ad rebellionem. A ratione autẽ alienũ est, quod ipse superior potentia & viribus, tot, & tam multa milia fortissimorum spirituum superet: quum in rebus eiusdem speciei non inueniatur vnum indiuiduum, quod naturali perfectione & potentia vincat omnia alia simul coniuncta. Sic vnus homo naturali virtute & fortitudine non potest multos superare, nec vnus equus fortior est alijs multis simul aggregatis: Si quis dicat: Vnꝰ rex in regno omnibus imperat. Respondetur hoc nõ prouenire ex natura, aut naturali regis potentia, eo qdꝰ rex sit, sed ex voluntate & obedientia subditorum, vt constat experientia, quando obedientia dissoluitur, & rebellio sequitur, rex non magis ex viribus naturalibus, quàm homo priuatus valet, imô non rarò minus est exercitatus ad pugnandum, quàm gregarius miles sit. Si voluntarij principi subijciuntur: quomodo ergo iugum suaue potentissimi creatoris ferre recusauerunt, cuius potentiæ etiam omnes simul resistere non potuissent? nec hoc ipsis erat ignotum ex viribus naturæ.

Amplius, si sæuissimi Tyranni sui principis imperio voluntarij subsunt: quomodo non semper inter eos ira & odium, cùm superbia eorum ascendat semper, vnde continua rebellio sequitur? Ad horum clariorem resolutionem considerandum est, ordinem in angelis esse naturalem, & à Deo cum natura inditum. Qui enim magis accedunt ad perfectionem primi & summi principij, alijs sunt potentiores & superiores in naturalibus. Sic Doctores tradunt primum gradum inter omnes spiritus tenuisse Luciferum. Deinde, vt supra insinuatum, concordia Dæmonum est ex communi nequitia, qua homines persequuntur. Est enim proprium impiorum, vt eis se adiũgant & subijciant ad propriam nequitiam exequendam, quos potentiores esse viribus cognoscunt. Sic licet hæretici non rarò inter se sint discordes, tamen omnes conueniunt ad impugnationem Ecclesiæ Catholicæ. Sicut autem ordo in Dæmonibus est naturalis, sic prælatio etiam, quæ naturæ ordinem comitatur, est naturalis. Quare argumentum sumptũ ex humanis, non valet ad propositũ: Quia homines natura sunt pares in naturalibus, & secũdum naturalia nullus inter eos ordo est. Quod autem in Dęmonibus inferiores superioribus subdantur, non est ad eorũ scilicet superiorũ bonum, sed magis ad malum. Quia cùm malefacere maximè ad miseriam pertineat, præesse in ma-

in malis, est esse miserum. Atq; hic etiam notandum ex Magistro Sententiarum, in 2. d. 6. quod secundum modum & gradum scientiæ maioris, sunt etiam gradus in præsidétia. Quidam enim vni prouincię, alij vni homini, aliqui etiam vni alicui vitio præsunt. Sic Lucifer superbiæ, Mammon auaritiæ, Asmodæus luxuriæ, Sathan iræ & discordiæ, Beelzebub gulæ, Leuiathan inuidiæ, Beelphegor accidiæ præest, & quisq; horum præsidentium maximè ad illud peccatum inducere nititur, cui præsidet, & à quo nominatur. Quando autem dicitur, quod vnus alicui vitio præsit, non est putandum, vt ait Glosla super Iosue 11. quæ est sumpta ex sermone Origenis, in illa verba: Omnes bellando cepit: quod vnus fornicationis spiritus seducat eum, qui in Britannia fornicatur, & eum qui in India seu alijs locis: neq; vnum duntaxat esse spiritum iræ, qui in diuersis locis diuersos exagitat homines: sed potius fornicationis esse spiritum vnum superiorem, atq; innumeros, qui ei in hoc vitio pareant. Similiter iracũdiæ principem vnum esse, innumerosq; sub eo, qui homines diuersos ad huiusmodi peccatum solicitent, & sic de cęteris vitijs: De diuersis Dæmonũ studijs doctissimè Cassian. in collat. Patrum, coll. 7. Abbatis Sereni c. 32. Tot aũt esse, ait, immũdos spiritus, quot in hominibus studia nõ dubiè comprobantur. Nam nonnullos eorum, quos etiam

Quomodo diuersi dæmones diuersis vitijs præsint

sau-

faunos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestũ est, vt certè quæq; loca seu vias iugiter obsidentes: nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur, sed derisu tantummodo & illusione contenti, fatigare potius eos studeãt, quàm nocere. Quosdam verò solummodo in nociuis incubationibus hominum pernoctare: alios ita esse furori ac truculentiæ deditos, vt non sint contenti illorum tantummodo corpora, quos suppleuerunt, atroci dilaceratione vexare, sed etiam irruere super eminus transeuntes, quales illi in Euangelio de-
Matth. 8. scribũtur, ob quorum metum per viam illam transire iam nullus audebat. Alios reperimus non solùm studere mendacijs, sed etiam blasphemias hominibus inspirare. Cuius rei etiã nos testes sumus, qui audiuimus Dæmonem confitentem, per Arrium & Eunomium, se impietatẽ sacrilegi dogmatis edidisse. Quod etiam in 3. Regum lib. vnum ex eisdem ipsis manifestè legimus prędicantem. Egrediar, inquit, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Esse autem alia dæmonum genera, id est, mutorum & surdorum, Euangelia testantur. Incentores etiam libidinum
Ose. 4. atq; luxurię quosdam spiritus propheta commemorat. Spiritus fornicationis decepit eos. Nocturnos quoq;, diurnos ac meridianos dęmones similiter scripturarum auctoritas docet,

cet. De quorum diuersitate longum est, si volumus omnia scripturarum volumina perscrutantes sigillatim percurrere. Qui per Prophetam Onocentauri, qui pilosi, qui serenæ, qui lamiæ, qui vlulæ, qui struthiones, qui ericij designãtur: Qui aspis, qui Basiliscus in Psalmo, qui Leo, qui Draco, quiúe Scorpius in Euangelio nũcupetur. Qui princeps mũdi huius, qui rectores tenebrarum harum, qui spiritualia nequitiæ ab Apostolo nominẽtur. Quę vocabula non casu, aut fortuitò indita illis debemus accipere, sed significatione istarum ferarum, quæ apud nos vel minus noxiæ, vel magis pernicioſæ sunt, illorum rabies ferocitatesq; distingui. His ad eruditionem & delectationem lectoris lubet annotare, quæ ad idẽ propositum faciunt, & ea tradit Guilhelmus Parisiensis Doctor grauissimus in 2. parte de vniuerso. Dico, ait, iuxta verisimilitudinem, non iuxta certitudinem, quod sicut omnipotens bonitas creatoris permittit hominum Principes impios, diuersos ordines in principatibus ac ditionibus collocare, qui & malos solent exaltare, ac bonos deijcere, imò indignissimos & pessimos in dignitatibus potestatibusq; statuere: Ita permisit & principi malignorum spirituum iuxta suę peruersitatis malignitatem alios de malignis spiritibus sublimare, varijsq; operibus malis præficere, alios ab eisdem officijs remouere. Quod Deus permittit *Esai. 34.*

mittit propter innumeras vtilitates, quas inde elicit. Cuius signum est, quod in Collationibus Patrum narratur. Apparuit quippe cuidam sancto viro princeps malignorum spirituum, in solio sedens regali, & ante eum horribilium multitudo spirituum, qui de singulis venientes regionibus, interrogabantur, quid perpetrassent: & quos modicum mali iudicauit egisse, flagellari præcepit, quorum cùm vnus retulisset se quẽdam sanctum heremitam per quadraginta annos tentasse, & in ipsa nocte in fornicationis facinus deiecisse, cum ingenti gaudio & festiuitate ab illo receptus est, ita quod eum iuxta se collocârit, & proprij capitis coronam deponens, Dæmonis illius capiti imposuerit. Etenim sicut ab initio ambitiosissimè affectauit assimilari altissimo, ita nunc vsq; regnum suum tenebrosum ac sceleratum contendit inanissima impietate, conformare regno ac militiæ creatoris, deputando angelos tenebrarum diuersis iniquitatis obsequijs, secundum quod angeli sancti deputata habent ministeria pietatis: Sic & Ecclesiam malignantium suam, assimilare conatur Ecclesiæ sanctorum, quatenus sicut Deus & Saluator in Ecclesia sua constituit veros Apostolos, veros Prophetas, sanctos martyres, fidelissimos confessores, virgines q; mundissimas: Sic & ipse habere satagit pseudoprophetas, falsos Apostolos, martyres vanos, fictos con-

Colla. 8. c. 16.

confessores, ac virgines fatuas. Enimuerò qui ab exordio fuit signaculũ similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, factus est simia ridiculosæ ac deformis imitationis: sic & totum regnum ipsius sua vanitate, ambitione & iniquitatum congerie versum est velut in simiam quandam Ecclesiæ electorum, quæ verè est regnum Dei. Hæc Guilhelmus.

Nec dissimilis est historia, quam narrat D. Gregor. lib. 3. dialogor. cap. 7. de Andrea Fundanæ ciuitatis Episcopo; nec etiam res est dubia, ait Gregor. quia penè tanti in ea sunt testes, quanti & eiusdem loci habitatores existunt. Hic namq; venerabilis vir (intelligit Andream Episcopum) cùm vitam multis plenam virtutibus duceret, seq; sub sacerdotali custodia in continentiæ arce custodiret: quandam sactimonialem fœminam, quam secum prius habuerat, noluit ab Episcopij sui cura repellere, sed certus de sua, eiusq; continẽtia, secum hanc permisit habitare: ex qua re actum est, vt antiquus hostis apud eius animum aditum tentationis exquireret. Nam cœpit speciẽ illius oculis mentis eius imprimere, vt illectus nefanda cogitaret. Quadam verò die Iudæus quidam ex Campaniæ partibus Romam veniens, Appiæ carpebat iter: Qui ad Fundanam glebam perueniens, cùm iam diem vesperascere cerneret, & quo declinare posset minimè reperiret, iuxta Apollinis templum

fuit,

fuit, ibiq; se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quãuis fidem crucis minimè haberet, signo tamen crucis se munire curauit. Nocte autem media ipso solitudinis pauore turbatus peruigil iacebat: & repentè conspiciens vidit malignorũ spirituum turbam quasi in obsequium cuiusdam potentis præire: eum verò qui cæteris præerat, in eiusdem gremio loci consediſſe, qui cœpit singulorum spirituum obsequentium sibi causſas actusq; discutere, quatenus vnusquisq; quantum nequitiæ gesisſet, inueniret. Cumq; singuli spiritus ad inquisitionem eius exponerent quid operati contra bonos fuissent: vnus in medium prosilijt, qui in Andreæ Episcopi animum per speciem sanctimonialis fœminæ, quæ in Episcopio eius habitabat, quandam tentationem carnis commouisſet, aperuit. Cùm verò malignus hoc, qui præerat spiritus inhianter audiret, & tanto sibi factum lucrum grande crederet, quanto sanctioris viri animam ad lapsum perditionis inclinaret: ille spiritus qui hæc eadem fatebatur, adiunxit: quia vsq; ad hoc quoque die præterito vespertina hora eius mẽtem traxerit, vt in terga eiusdẽ sanctimonialis fœminæ blandiens, alapam daret. Tunc malignus spiritus, atq; humani generis antiquus inimicus adhortatus hunc blandè est, vt perficeret quod cœpisſet, quatenus ruinæ illius singularem

rem inter cæteros palmam teneret. Cumque Iudæus qui aduenerat, hoc cerneret, & magno formidinis anxietate palpitaret: ab eodem spiritu qui cunctis illic obsequentibus præerat, iussum vt requirerent, quisnam esset ille, qui iacere in templo eodem præsumpsisset. Quem maligni spiritus pergentes & subtilius intuentes crucis mysterio signatum viderunt: mirâteſq; dixerunt: Væ, væ: vas vacuum & signatum. Quibus hoc renunciantibus cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit: Iudæus verò qui hęc viderat, ilicò surrexit, atque ad Episcopum cum festinatione peruenit. Quem in Ecclesia reperiens, seorsum tulit, qua tentatione vrgeretur, inquisiuit: Cui Episcopus verecundia ductus, noluit tẽtationem reuelare. Cùm autem Iudæus omnia quæ viderat, & audierat in conuentu Dæmonum, referret, veritatem confessus est, atq; non solùm sanctimonialem, sed etiam omnes fœminas à sua habitatione remouit. Deinde etiam ipsum Iudæum ad fidem CHRISTI & salutem perduxit.

De præsidibus spirituum malorum, eorum nominibus, natura, numero subiectorum, formis apparendi, plurima curiosa, & minus vtilia tradit quidam libellus inscriptus, liber officiorum spirituum, vel de principibus & regibus Dæmonum, & à quodam Pseudomonarchia Dæmonum: In illo libello

multi principes & præsides numerantur, ex quibus quidam 50. aut 60. aut pluribus legionibus præsident, & dominantur. Legio autem continet 6666. Curiosum est his rebus multum adhærere, periculosum & superstitiosum eisdem fidem tribuere, cùm nemo scire possit citra diuinam reuelationem, qui non didicerit à Dæmone, à quo cognoscere non licet. Hoc loco considerandum est, quòd cùm Dæmones ordinatam & disciplinatam nequitiam habeant, vt ex dictis constat, prout Cassian. in collat. 7. cap. 18. loquitur, instituunt talem ordinem & disciplinam inter suos subditos maleficos & sagas. Sic Bodinus lib. 2. cap. 4. rectè attestatur teneri quemq; maleficum suorum malefactorum rationes exponere, aut cædi, nisi fecerit, grauissimè Hoc mihi, ait, Bodinus Castelli Russi præfectus, Biturigum nomine delegatus apud Blosenses, affirmauit. Magam se iudice crematam fuisse, quam filia accusauerat, quod ipsam in conuentus deduxisset, & diabolo instituendam obtulisset: hæc inter alia scelera istud confessa est, se saltasse in hirci ambitum, & tandem singulas rationes rerum à postremi cætus tempore gestarum reddidisse, & qua in re puluerem occupassent: hic à se infantem enectum aiebat, alter equum, ille arborem. Vna autem nihil ab eo tempore fecisse comperta est: hæc frequentes ictus accepit baculo ad plantam pedum, & ab alijs omnibus deri-

derisa est. Hæc Bodinus. Et sic comperimus etiam multis confessionibus, quod sagæ, quãdo alijs nocere nequeunt, sibi ipsis damna inferunt. Certissimum etiam est, si quis nequissimam disciplinam in cursu non seruet, vt nomen IESVS casu nominet, aut DEVM, aut crucem faciat, cæditur, & alijs disparentibus domum ire cogitur. Hoc se expertam confessa est Meisenbeins Anna/ de Rouer, de qua supra: quæ cùm fortuitò DEVM semel in cursu & conuentu nominasset, coacta fuit pedibus ire domum, cùm delata eò fuisset à diabolo in forma hirci. Qua de causa quod disciplinam transgressa fuisset, nominando Deum, verberata est ab alia N. superioris ordinis; quæ ante hanc etiam flammis consumpta est. Idem contigit cuidam Mariæ ex pago S. Matthiæ, quæ Anno Domini 1588. 10. Nouem. incinerata est, & detenta in custodia monasterij S. Matthiæ prope ciuitatem Treuirens. Hæc cùm in primis ad conuentum delata fuisset, à superioribus & principalioribus tractatum extitit, & propositum de perditione fructuum nascentium, & simul vuarum, & quæcunq; personæ consensum præbebat, bibebat. Cùm autem ordo bibendi & consensum dandi ad ipsam deuenisset, apud se dixit: Ah IESV, perdemus frumenta & vinum, qua ratione ergò pauperes meos pueros sustentabo, statim prolato nomine IESV, euanescente lumine, in densissi-

mis tenebris sola in loco mansit. Manè circa horam quartam, superior, comitantibus duabus alijs aduenit, & grauiter ipsam percussit, eo quod nomen Dei nominasset, & conuentum dissipasset. Quo facto auolârunt. Maria autem pedibus domum redijt. Multa in huius rei confirmationem confessus est Ioannes Cuno filius dictæ Annæ de Rouer, iuuenis naturalibus dotibus ornatus, decem & octo annis natus, qui iam Treuiris, & Mussiponti in Lotaringia literis operam impendit, & eos progressus fecit, vt iam Poësi & literis humanioribus studeret: Hic iuuenis nono suæ ætatis anno à matre propria seductus fuit, denunciatui tanti criminis à propria sorore, & alio fratre adhuc superstite in custodia. Cum detineretur, & indicia proponerentur, sine tortura actuali veritatem confessus est, & sacramentis Ecclesiasticis prę munitus, sacrisq; exhortationibus instructus, maxima pœnitentia ductus, scelera sua detestatus est, & pœnam temporalem pro peccatis maluit pati, quàm præsentem cum periculo animæ ducere vitam, & sic Anno Domini millesimo quingentesimo, nonagesimo, altera Visitationis Mariæ, vitam fœliciter, licet in pœna, finiuit. Imò cùm Officiatus & omnes misericordia ducerentur, eo quod magnam contritionem in eo aduerterent, sicq; vellet & offerret ei pœnam gladij, recusauit, & voluit comburi cum alia saga, quæ

quæ simul supplicio afficiebatur: eo quod talis pœna suis sceleribus digna esset, & sic prius strangulatus, flammis in cineres redactus est. Confessionem huius adolescentis latius in primis, vt debuit, iudicialiter Notarius excepit, deinde ipsemet iuuenis proprijs manibus per puncta descripsit germanicè, additis & permistis verbis latinis & tradidit. Ex propria eius scriptura sunt, quæ præsentibus inserimus. Occasio casus eius hæc fuit. Cùm enim amore carnali incenderetur erga filiam quandam illius pagi, oblata oportunitate, commercium cum ea habuit. Deinde Dæmon in forma illius puellæ apparuit, quem personam amatam existimauit, & ei in auri specie quatuordecim coronatos dedit, quam pecuniam tandem conuersam in putredinem reperit, vt eius formalibus verbis vtar. Quam primum factum matri significauit, & conquestus est de casu. Mater verò, quæ iam Dæmoni se subdiderat, maleficij & rei gestæ conscia, eum consolata est dicendo, fili, cõsolare, res ad bonum statum dirigetur. Sub principium noctis, mater filium scopis insidentem, camino eduxit, ante ianuam hircum repererunt, cui insederunt in nomine diaboli, & delati sunt ad locũ planum & latum, dictum Hexenroderheidt/ quì distat à Rouer fortè miliari, vbi frequentissimi sunt conuentus Maleficorum, præsertim celebriores, & quasi prouinciales. Cùm verò

ad dictum locum veniſſent, mater diabolum, iuuenis ſeductorem aduocauit, eiq; dixit. Hic eſt filius meus Ioannes Cuno, vti promiſi. Tũc matre impia verba prędicente, abrenunciauit Deo & omnibus ſanctis. Expedita abrenunciatione, hilares extiterunt, & quaſi nuptias cum eo celebrârunt. Tunc tamen Dæmon in alia forma apparuit, quàm primo tempore ſeductionis. Poſtea Dæmonem ſuccubam habuit, qui & ei vnguentum dedit ad exercenda veneficia. Cuius vnguenti virtutem probauit in matris porcello, quem vnxit in collo, & mortuus eſt. Dæmon ſuus roſam ſe nominauit, atq; adoleſcentem capribarbam. Confeſſus quoq; eſt, matrem propriam & alias duas ſagas, in conuentu & congregatione, coram Dæmone pręſidente, & toto cœtu in Hętzenroderheydt/ iactabundam prædicaſſe, & hoc maleficium expoſuiſſe, quod patrem ſuum, id eſt, maritum dictæ Annæ, veneficijs interemiſſent. Conſentit mater in ſua confeſsione, ſicut in præcedẽti puncto de ſeductione. Singulis quatuor anni temporibus ad congregationem & curſum venire debent: Aut ſi quis in perſona realiter impeditus comparere nequit, Diabolum ſuum ſubſtituere debet, præbendo ei conſenſum in omne malum quod in congregatione tractatur & concluditur, ibiq; ſe gloriatum de quibuſdam horribilibus carnalibus vitijs, quæ hîc non eſt opus enarrare, teſta-

testatus est. Cœtus siue totus conuentus in tres gradus siue ordines distinctus est. In maiores, mediocres, & minores. Ipse consistebat inter mediocres. Semper quando conueniunt, habent propositum, & tractatum de destructione alicuius rei. In cursu quoq; sunt fistulatores, cui exercitio ipse aliquando vacauerat, & lucratus erat in bona pecunia tres aut quatuor batzios. Si quis autem non esset soluendo, in pœnam, inhonestum actum, qui saluo honore nominari non potest, subire tenetur. Sacramentum Eucharistiæ ter aut sæpius vix sumere potuit, & quando confiteri hoc voluit, Dæmon suus digito inhibebat, atq; etiam ipsum percutiebat, si quid boni faceret. Tandem in conuentu & cursu habent censorem morum, quem latinè legis mandatorem vocãt. Hic legit & iubet, quo pacto quis se gerere debeat erga Dæmonem, & quod singulis quatuor anni temporibus præcipuè cum cæteris conueniẽdum in loco destinato, & consensus dandus ad omnia maleficia. Hæc ex adolescentis confessione. Alia adhuc commodis locis inserentur. Ex his clarissimum est, quo ordine & malitia Dæmon regnum suum stabiliat, & multos mortales, Deo iustè permittente, miserè in laqueum ducat. Ex hoc ordine deducitur, quomodo Magus quandoq; Dæmonem possit cogere. Si enim pactum vel fœdus habeat cum superiore & potentiore, ad imperium

eius inferior morem geret, non autem æqualis, qui voluntariè concurret quasi coactus videatur suis incantationibus ad coniurationem Magi. De hac re legendus Franciscus Victoria in relectione de arte Magica, à numero 25.

11. Præludium. *Licet apud antiquiores Doctores res dubia fuerit, an angeli & Dæmones sint corporei, necne: tamen nunc temerarium videtur asserere esse corporeos.*

PRIMA pars certa est ex August. lib. 21. cap. 10. de Ciuitate Dei, qui fatetur multos doctos in ea fuisse opinione, quod sint corporei, & præterea addit, Si quisquam nulla habere corpora Dæmones asseuerat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut cótentiosa disputatione certandum. Aliquando iuxta Apulei & Platonicorum sentẽtiam subtilia corpora habere videtur opinari. Accedunt Origen. lib. 2. Periarchon. cap. 6. Lactan. Firmianus lib. 2. diuinarum institut. cap. 15. & alij alibi. Secunda pars confirmatur: scriptura huic parti maximè fauet, Ephes. 4. Non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinem, id est, aduersus res corporeas. Psal. 103. angeli vocantur spiritus. Qui facit angelos suos spiritus: Luc. 24. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et Marci 5. Legitur in vno homine Legio fuisse Dæmonum.

Quo-

Quomodo in vno corpore humano tot corpora latere potuissent? His accedunt Symbolum Nycænum, quod DEVM creatorem visibilium & inuisibilium pronunciat: Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, cuius verba habentur in cap. Firmiter credimus, de summa Trinitate. Creator omnium visibiliũ, & inuisibilium: Spiritualium & corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem: angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam Communis Doctorum sententia etiam consentit. D. Dionys. de diuin. nominib. cap. 4. Damasc. lib. 2. de fide, cap. 3. Grego. Nazianz. lib. 2. suę Theologię in fine. S. Chrysost. hom. 22. super Genes. S. Thom. 1. par. q. 50 art. 1. & 2. S. Bonauent. in 2. d. 8. q. 1. Gabriel. Scot. Richard. Dionys. Carthusian. & communis in 2. d. 8. Alexand. Halen. 2. p. q. 34. memb. 1. & hæc est communissima sententia, cui contradicere non caret temeritate. Aristoteles etiam 6. metaphys. t. 2. & in lib. 2. de Anima, & in 12. metaphys. & alibi tradit, intelligentias re & ratione à materia esse separatas, & in hac re nulla apud Philosophos est controuersia.

12. Præludium. *Dæmones possunt assumere corpora, & in ipsis apparere hominibus.*

Dæmones assumere corpora & in ijs apparere possunt.

HOc docent Magister in 2. Sentent. d. 8. & ibidem S. Bonauent. S. Thomas, Scot. Ricard. Capreol. Durand. Gabriel, Dionys. Carthus. & reliqui omnes. Alexand. Alen. 3. par. q. 30. memb. 3. art. 1. & alibi. S. Thom. 1. part. q. 51. art. 2. & ibidem eius commentatores. S. Antonin. 2. part. tit. 4. cap. 7. & 2. nec est qui in hac re dubitauerit vsq; ad nostrum Censorem, qui simpliciter negauit tẽpore Christi Dæmones corpora assumere, & ita hanc Theologorum veritatem reijciebat, & satis acerbis & duris verbis Scholasticorum doctrinam de assumptione corporum damnabat, nihil tamen omninò præter verba pro sua negatiua sententia adducebat. Præludium nunc probatur. In primis vt ex octauo patet. Naturalia mãserunt integra in Dæmonibus, sicut bonis Angelis. Sed boni possunt assumere corpora: ergò & mali, licet ad diuersos effectus. De bonis clarum est.

Gen. 18. Abrahæ apparuerunt tres viri, id est, angeli in conualle Mambre. Tob. 5. Tobias inuenit iuuenem splẽdidum cinctum, & ignorans quod angelus Dei esset, salutauit eum, & 9. cap. vocauit Tobias angelum, quem hominem existimabat. Genes. 19. Venerunt duo angeli Sodomam, quibus Lot dicebat: Domini, declinate in domũ pueri vestri, & lauate pedes vestros, &c. Quod etiam Dæmones corpora assumant, constat *Genes. 3. apparuit in forma serpentis, secundum Cyrillum lib. 3. aduersus Iulian. & Matth. 4. Christo corporaliter apparuit. 2. Cor. 11. Angelus Sathanæ transfigurat*

gurat se in angelum lucis. Idem patet ex vitis sanctorum, *vt Athanasius in vita S. Anthonij ait. Nam & bestiarum & serpentum formas induentes, omnia, vbi vir sanctus agebat, protinus impleuêre phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, nec non pardorum, atq; vrsorum, & hæc singula secundum suam frendebant naturam.* S. Martino apparebat in forma viri, purpura & diademate ornati, *vt testatur Sulpitius in vita ipsius.* S. Hilarioni in forma pueri, *vt refert Hieronymus in vita eiusdem.*

Magno Iacobo, visus est Dæmon in forma nudi Æthiopis ignem ex oculis emittentis, vt auctor est Theodoretus in religiosa historia sanctorum Patrum, cap. 21. & ibidem ipsius viri Iacobi imaginem & formam induebat: vt vir Dei ibidem refert sequentibus verbis. Sed me rursus clanculum perpetua afficiebat molestia. Nam aquam, quæ mihi bis in hebdomada inferne afferebatur, ei qui afferebat, occurrens, & meam formam imitans accipiebat, & illum iubens recedere, fluentum effundebat. Idque cùm non solùm bis, sed etiam ter feciſſet, me sitis perpessione validè oppugnauit. Cùm ergò valdè angerer, rogaui eum, qui solebat ad me afferre, cur iam quindecim diebus ad me aquam non tuliſſet? Is dixit, se iam ter & quater attuliſſe & me accepiſſe. Et vbi, inquam ego, à te eam afferente accepi? Ille locum

cum ostendit. Et si millies, inquam ego, me illuc accedentem videris, ne vas dederis, donec ad hunc locum veneris. Et paulo post ibidem eidem sancto apparuit in specie duarum mulierum de monte descendentium. S. Benedicto in mulo medici obuiam factus est, cornu & tripedicam ferens. Quem cùm sanctus pater requisisset, dicens: Quò vadis? Ille respondit: Ecce ad fratres vado, potionem eis dare. Itaq; perrexit venerabilis pater ad beati Ioannis oratorium ad orationem, qua completa, concitus redijt. Malignus verò spiritus vnum seniorem monachum inuenit aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumq; in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cùm Benedictus ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, & malignum spiritum protinus excussit, ita vt ad eum redire vlterius non auderet, vt testis est S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 30. Dæmon S. Vincentio ordinis Prędicatorum Valentiæ in specie senis venerabilis cum barba ad genua prolixa & nigerrima se repræsentabat, simulans se vnum esse ex veteribus Patribus AEgypti, & in alia nocte in figura vasti AEthiopis, vt videre est in vita S. Vincentij lib. 1. cap. 8. & 9. apud Surium tom. 2. 5. April. S. VVilhelmo Duci ac Comiti Pictauorum, ac Eremitę, cùm is nocte multis Dæmonum diuersis vocibus in vi-

In vigilijs & orationibus moleſtia afficeretur, ex omnibus illis vnus cæteris clarior, & virtute robuſtior apparuit in ſpecie proprij genitoris, & ad eum cum vociferatione clamoris dicere cœpit:

Cerne ſeneſcentem fili VVilhelme parentem
Exi continuò patre rogante tuo.
Germine non humili genitus, me reſpice fili,
Nec mea deſpicias vota, preceſq; pias.
Exi VVilhelme: tu nam q; reſumere per me.
Terras & dotes, prædia, regna potes.
Iam ſat ſeruiſti, ſupereſt tibi gloria Chriſti:
Præmia non poteris perdere, ſaluus eris.
Iam patrem ſequere, iam iam q; tui miſerere
Ad tua regredere, viſcera mota gere.
En generis ſoboles noſtri ſtat, turba q; fratrũ,
Cum quibus in theatro ludere ſæpè ſoles:
Fratres cum cuneis notorum reſpice triſtes:
Exi, ne diſtes, aſſociandus eis.
Illis iungeris pompa, ſolio q; frueris:
Cinget te generis turba, beatus eris.
Armigerorum turba decorum glorificabit.
Seruorum q; chorum copia larga dabit.
Cernẽdum mœſtum te ſpectat turba nepotũ,
His ſaltem præſta, quæſumus, antidotum.
Fili mi quid habes animi leuitate cadendo?
Magnanimi non eſt, perimi ſe velle latendo.

Qua-

Quærere vilia, spernere gaudia, tēnere remordent? (dent.
Ecce placentia sunt tibi trstia, prospera sor-
Ferrū, cauma, famē, frigus fers at q̄ ligamē,
Nec florens ætas te mouet, aut pietas.
Postpositis igitur furijs, mihi sanus obedi:
Ne tardes ergo, concitus ipse redi.

Miles Christi protectus fortitudine Dei verba deceptoria paruipendebat, ac nihil ad hæc penitus respondit.

Hæc ex vita huius sancti, cap. 19. apud Surium tomo 1. ex Theobaldo Episcopo. S. Tryphon Dæmonem, qui filiam Gordiani Augusti inuaserat, expulit, & Gordiano, alijsq; præsentibus videndum ad ipsius Gordiani petitionem exhibet: Tibi dico, ait S. Tryphon, in nomine Iesv Christi, appare eis, qui adsunt, & eis ostende tuam turpitudinem & imbecillitatem. Simulatque hoc dixisset, ecce tanquam canis aspectu deformis, niger colore, oculos habens tanquam ignem emittentes, & caput humi defixum, coram omnibus apparuit. Sic Simeon Metaphrastes in vita S. Tryphonis martyris apud Surium tomo primo de probatis Sanctorum historijs. 1. Februarij. Pluribus huiusmodi exemplis abundant Ecclesiasticæ historiæ, & acta Sanctorum Patrum. Censor

for noster cùm videret huiusmodi apparitiones & visiones sibi obstare, incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim, aliumque errorem longè intolerabiliorem scripto etiam inseruit, nempè Dæmones in natura sua sine assumptione corporis posse videri ab homine in hoc statu. Qui error tam nostræ fidei, quàm rectæ rationi repugnat: Notum est enim omnibus Symbolum Nycenum: Credo in vnum DEVM, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium & inuisibilium: & aliud in capit. Firmiter. de summa Trinitate & fide Cathol. Creator omnium visibilium & inuisibilium: spiritualium & corporalium. Præterea potentia nostra videndi cùm sit affixa organo corporeo, non potest ferri nisi in corpus: Vnde spiritus non cadit sub visum: Quare apparitiones spirituum in corporibus assumptis fiunt ad hoc, vt spiritualis creatura homini possit communicare in conuersatione prout diuinæ placuerit dispensationi. Hinc sanctitati S. Tryphonis tributum fuit, quod ad eius imperium dæmon in corpore se videndum aliorum obtutibus exhibuerit, vt supra insinuatum. Præludio nostro fortissimè obstare videtur vna auctoritas Epiphanij contra hæresin 26. pag. 4. ante finem, dum ait: Quomodo potest Dæmon, qui spiritus est

immun-

immundus & incorporeus, corpora assumere? Respondetur, prout notissimum est ibi ex antecedentibus & consequentibus, Epiphanium loqui de modo assumptionis corporũ per operationem corporalem, eamq; vitalem, qualis est conceptio animalis per susceptionẽ corporalis semínis. Confutat enim in illo loco fabulam hæreticorum Gnosticorum, qui dicebant vnam ex dæmonibus genuisse liberos ex Helia. Et ita statim post relata verba, in hunc modum Epiphanius subiungit. Si verò etiam à corporibus assumit ac concipit, non amplius est spiritus, sed corpus. Quum autem corpus est, quomodo est inuisibile & spiritus & multa est stoliditatis ipsorum absurditas, &c.

Etsi angeli boni humanam, eamq; virilem induant spéciem, quando hominibus apparent: tamen maligni spiritus varias pro negotiorum, quę in hominum perniciem moliuntur, varietate formas assumunt: Nunc virilem nunc muliebrem, nunc quadrupedum, nunc reptilium: vt exemplis iam positis satis clarum est. Id tamen obseruatum à quibusdam, quod non appareat Dæmones vnquam effigiem ouium induisse, cùm Christo domino placuerit se pastorem, & familiam suam oues nominare. Sic in Euangelio oues statuit à dextris, hœdos autem à sinistris. Oues enim sunt animalia fructifera, mansueta, humilima & patien-

tientissima, quæ proprietates conueniunt ouibus CHRISTI. E contra verò Dæmon plerunq; apparet in forma hirci, vt relatione præsertim eorum, qui maleficam sectam sequuntur, cognoscimus. Hircus enim est animal mento & cornibus terribile, truculentum capite, & suo tempore satis fœtidum, quibus proprietatibus mores Dæmonum, & maleficorum designantur. Hanc similitudinem ouium & dissimilitudinem hædorum latius ostendit Dominicus Sotus in 4. Sentent. d. 47. q. 2. art. 5. Sed nec in specie columbæ legitur malus spiritus apparuisse, quod diuinæ prouidentiæ congruit: cùm in tali forma spiritus sanctus apparuerit. Columba enim est auis munda, candida & pulchra, quare in tali forma Spiritus sancti operationes designantur. Malus autem spiritus cùm sit deformis & ferox, nigra delectatur forma. Sic S. Machar. in specie nigri Mauri, alteri in corui, alij in nigri canis figura obuiam factus est: multis sagis in specie nigri hirci apparet, præsertim quando defert eas ad congregationem. Tradunt quoque Doctores, quod Dæmones nonnunquam se repræsentent in corporibus mortuorum, sed nō bonorum, in quibus spiritus sanctus sibi præparauit habitaculum. Quoniam DEVS, in cuius manibus corpora Sanctorum sunt, id Dæmonibus non permittit. Dubium hîc esse potest, vtrum Angelus Sathanæ transfigurans

se in speciem siue formam Christi, absq; peccato possit adorari? *Tractant Alexand. Halen. 3. par. q. 30. memb. 3. art. 1. S. Bonauentura in 3. sent. d. 9. q. 6. Gabriel super canonem missa, Lect. 50. in litera R. Bartholomæus à Medina in 3. par. S. Thom. q. 25. art. 3. Iosephus Angles in Florib. Theologicarum quæstion. in 2. sent. par. 1. dist. 8. difficul. 14.* Dicendum: Qui existimat vel aduertit esse Dæmonem sub forma Christi, & adorat, committit crimen idololatriæ, quia sciens & prudens adorat Dæmonem, & ipsi tribuit cultum diuinum, quod est pessimum scelus idololatriæ. Si autem quis sit dubius, sitne verus Christus, vel Dæmon qui apparet, & adorat, mortaliter peccat, quia exponit se probabili peccandi periculo: quod qui amat, peribit, in illo, suspendendus ergo in tali casu actus, vel adoratio facienda sub conditione. Si tu es Dæmon, non te adoro: & à DEO cognitio precibus petenda, pro veritate. Sic S. Petrus cùm videret Christum, ignorans eum esse, dicebat: Matth. 14. *Si tu es Christus, iube me ad te venire super aquas.* Si quis verò ita esset ignorans & simplex, vt inuincibiliter ignoraret esse Dæmonem, talem excusari adorando, iudicat Medina, & tantùm materialiter committere idololatriam. Alij verò sentiunt ignorantiam non excusare, quia vt hoc peccatum caueremus, præmonuit ipse Christus Matth. 24. *Multi venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, & seducent multos.* & Paulus: *Ipse Satha-*

Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Deinde talis habet orationis remedium, & si petat à DEO, non deseretur, quia promisit, dicens: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quare in tali casu, qui adorat, & prius non orat, non adhibet debitam diligentiam ad euitandum ignorantiam requisitam. Deinde cùm huiusmodi apparitiones sint multum periculosæ, non facilè sunt admittendæ, sed probandi spiritus, an ex Deo sint. Exempla ad confirmationem huius rei non desunt: In primis Beatissima Virgo cùm ab angelo salutaretur turbata in sermone, priusquam consensum præberet, cogitabat qualis esset ista salutatio. & 1. Reg. 3. Samuel, secundò, tertiò & quartò vocem Domini vocantis audiuit, tunc tandem respondit: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Sic & S. Lucianus presbyter reuelationem sibi factam per Gamalielem Pauli discipulum, non statim acceptauit nec credidit, sed dubius perstitit, donec præmissa oratione visio tertiò sibi manifestaretur. Non ergò in his facilè credendum: nam locum habet illud: *Qui facilè credit, facilè decipitur, & leuis est corde.* Habuerunt ergò sancti Patres semper suspectas huiusmodi visiones. S. Martinus, cùm diabolus sub forma Christi ornamentis aureis præfulgidi appareret, respondit: Christum nunquam vsum aureis ornamentis, & se nolle eum adorare. Alius quidam Pater, cùm se Dæmon

in forma Christi offerret, clausis oculis dixit: se nolle Christum videre in hac vita, sed in cœlis. Alius sub simili specie apparenti, obiecit: *Vide ad quem mittaris: neq; enim is sum, qui Christum videre merear. Gerson in tractatu de spiritibus discernendis admonet cum Petro dicendum: Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Quãdo autem Deus per visiones vult aliquid reuelare, talia dat signa & documẽta, quibus cognosci potest veram esse reuelationem: vt patet de reuelatione facta Beatissimę Virgini, & visione Pastoribus in natiuitate Saluatoris, & alia, Mariæ Magdalenæ apud monumentum manifestata, &c. Ité in exemplo de Samuele allato, Cùm autem in huiusmodi visionibus & apparitionibus multi sæpè decipiantur, probandæ sunt secundum sacras literas, doctrinam sanctorum, & experientiam hominũ discretorum. Quare ex hac parte sæpissimè fœminæ decipiuntur à diabolo: cùm enim sint curiosæ & mollis complexionis, facilè recipiunt impressiones à spiritibus, & multum eis delectantur, suam sanctitatem hinc metientes, & sic turpiter sæpè in laqueos persecutoris incidunt. Statim vt insolita & ignota visio apparet, muniendum est cor signo sanctissimæ crucis, & mens erigenda in Deum, cum inuocatione salutaris nominis Iesv, quod Dæmonibus terribile, fidelibus autem fortissimum scutum est contra aëreas potestates. *Regulas discernendi huiusmodi visio-*

Visiones periculosæ: ideoque probandæ, & quid iis occurrentibus faciendum.

visiones, & spiritus qui legere voluerit, videat Gersonem in d. tractatu, & Bartholomæum Medinam loco citat. & eundem in 1. 2. S. Thom. q. 22. artic. vlt. prope finem.

Quæret hîc quispiam, ex qua materia tam breui tempore corpora assumunt, & quomodo ad nutum euanescunt? Communis opinio Doctorum docet, quod corpora assumant aërea. *S. Thom. 1. par. q. 51. art. 2. ad 3. S. Bonauen. in 2. d. 8. artic. 2. q. 2.* Nam licet aër in sua raritate manens, nec colorē nec figuram habeat, condensatus tamen & figurari & colorari potest, vt patet in nubibus, & aliquando etiam figurę & visiones pugnantium in aëre conspiciuntur. Aërea etiam corpora citò disparent, propter raritatem, maximè si virtus agentis & dispergentis fortis sit, vt in Dęmonibus. Huiusmodi tamen corpora à Dęmonibus assumpta, nec habent veram formam, aut organizationem, vt physici loquuntur, completam, sed solùm effigiem, quę potius artificialis, quàm naturalis est. Ex hoc fundamento verum apparet, quod malefici alijq; fatentur, esse facilè cognoscere Diabolum è manibus vel pedibus. Item non esse difficile, discernere ex membris & corporis constitutione, quando consortes criminis sint in persona, vel repręsentatione, in cursu & tractatibus.

Materia corporum à Dæmonibus assumptorum.

Vnde Diabolus in assumpto corpore cognoscatur.

Atq; vt id quod certissimum est, latius declarem, sicut iuxta prouerbium, leonem ex vnguiculis iudicamus: ita Dęmonem quando

in humana ſpecie apparet, ex pedibus & inferiori parte diſcernere licet à vero homine. Alexander ab Alexand. libr. 4. genialium dierum, capit. 19. pulchram refert hiſtoriam ad hoc propoſitum. Sed ne cui, inquit, hæc vana, vel ficta ſermonibus videantur, auctor eſt Thomas monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem probitatemque pluribus in rebus expertus didici, qui ſeriò mihi retulit, quod cùm in monaſterio & ſacris ædibus, quæ in lucanis montibus ſunt, cum pluribus iurgatus foret, & poſt immodica conuicia & rixas, animo perturbato inde ſe proriperet, cùm per nemora iter ſolus intenderet: ſpeciem hominis, vultu tetro, nigra barba, promiſsis tunicis, vultu aſpectuq; deformi & ſæuo obuiam habuiſſe: quem cùm appellaret, quid ille ſolus per deuia errabundus incederet, dixit equum, quo vectabatur, amiſiſſe, atq; in proximos campos illum euaſiſſe credere: Cumq; per ſinus inuios equum vnà quæſitum pergerent, ad perfluentem, in cuius aluo gurgites magni & formidabiles redundabãt, deueniſſe. Et cùm monachus, vt aquam traijceret, calceos ſibi eximere appararet, illum magnoperè coëgiſſe, & tandẽ peruiciſſe, vt ſuper ſpatulas ſuas aſcenderet, potiuſq; à ſe, qui corpore maior erat, vectaretur. Qui acquieſcens, cùm ſuper illius ſpatulas, vt ſuccollaretur monachus, aſcenderet, illeque iam aquam ingre-

ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, sed tetra & deformi specie conspexit. Quo animaduerso, horribili terrore percitus, Deum vt sibi præstò adesset, acclamauit. Mox Dæmonem & diram illam speciem, diuino audito verbo, stridore querulo, & vi maxima, quanta dici potest, ita è conspectu abijsse dicit, vt imminentem quercum ingenti impetu collisserit, ac perfractis ramis funditus euerterit. Hæc ex Alexandro. Meisenbeins Anna/dixit suum Amasium, qui se Fedderhans nominabat, asininos pedes habuisse. Pari modo quædam N. detenta in custodia Monasterij S. Matthiæ, ex pago eidem proximo confessa est, quod non semper in propria persona vadant ad congregationem, sed si venire non possint, dent consensum, & tunc Amasius eas repræsentet. Ex hac autem differentia hoc cognoscendum. Cùm alium vel aliam repræsentat, in superiori parte similis est homini, quem ex consensu eiusdem repræsentat, in inferiori autem parte pedes habet bouinos, equinos, aut alterius bestiæ. Hæc malefica Anno Domini 1589. 14. Iulij incinerata est. Atque vt nemo putet hæc esse à veritate aliena, quæ pluribus confessionibus confirmantur, consideret Dæmonem non sine caussa nominari à Propheta Esai. 34. cap. Onocentaurum, lamiam, & simili modo. Vbi Glossa, Beda, Dionys. Car-

thus.& alij ad propositum exponunt. Quod Onocentaurus sit animal monstruosum, superius habens effigiem hominis,inferius autem similitudinem asini. Et similiter lamia animal monstruosum , habens in parte superiori speciem mulieris, in parte autem inferiori pedes equinos. Atq; etiam ita callidus mille artifex est, quod formam inferiorem cautius abscondat, nisi quis bene aduertat,aut eiusdem artis sit peritus. Aliquando satis longo tempore potest conuersari, ita quod verus homo putetur. Lepidam ad hoc propositum historiam refert Ludouicus Cælius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 16.cap.5.ratione illius Adagij. Serpentem foues, & te serpens. Quod Prouerbium etiam nostris maleficis & sagis accommodari posset. Fuit,inquit,Menippus Lycius, annos natus quinq; & viginti, ingenio haud inscito, corpore item multa exercitatione valido, ita vt formosi athletæ,liberalisq; speciem præ se ferret. Hunc peregrinæ mulierculæ pleriq; amoribus irretitum putabant. Ea verò, vt tum videbatur, speciosa quidem erat, & permollicula,nec nõ diuitijs vbertim fulta. Cæterùm ea omnia ostentationem modò exhibebant, veri suberat nihil. In eius verò familiaritatem ad hunc modum insinuasse ferebatur. Pergebat quandoque Menippus Corintho Cenchreas solus. Ecce phantasma quoddam illi occurrit,quod

se in

se in mulieris speciem conformauerât. Atq; ex manu apprehendens Menippum, iam pridem inquit, se illius amore teneri implicitam. Esse verò se genere Phœnissam, & in suburbano iuxta Corinthum habitare, idq; etiam digito monstrans, vt illuc veniret, hortari cœpit. Quod si, inquit, feceris, intentam musicis inuenies me, & vinum bibes, quale non sæpè aliàs, nec te riualis vlla vellicabit suspicio: Pulchra siquidem pulchro contenta viuam, & moriar. His blanditijs adolescens delinitus, etiamsi Philosophiæ haud expers, amoribus tamen obniti, obluctariq; non valens, vesperi ad mulierem pergit, ac frequenter deinceps, perinde ac ad suas delitias: nec dum enim, cuiusmodi phantasma esset, callebat. Id cùm esset intuitus vir quidam, vt ipse interpretor, Magus, aut Philosophus, vt tum creditum est, & summę grauitatis ac prudentiæ, primò statuarij instar Menippum inspectans, hominem expendebat, contemplaturq;. Vbi verò rimatus abundè est visus: O formose, inquit, & à formosis expetite mulieribus. Ὄφιν θάλπεις, καὶ σὺ ὄφις. Serpentem confoues, & iste. Cùm in eis mirabundum animaduerteret Menippum: hoc proinde inquit, dixi, quoniã mulier est tibi, quæ vxor non est. Sed rogo te, ecquid te ab illa amari putas? Per Iouem, inquit Menippus, & quidem eximiè. An igitur, inquitis, eam in matrimonium ascisces? Equidem, re-

spondit. Quid enim iucundius, quàm amantem ducere? Quãdo inquit ille, futuras opinaris nuptias? Citò, ait, vel fortasse cras. Id cùm vir ille inaudisset, obseruans conuiuij tempus cùm iam vocati præstò forent, vbi illuc & ipse perrexit. Vbi nam, inquit, mulier est, cuius caussa conuiuium celebraturi conueniistis? Tunc Menippus, propè adest, inquit. Tunc is, argentum hoc & aurum, cæteraq; domus huius ornamenta, tuáne an mulieris sunt? Mulieris, inquit, ac semilaceram & pilarem omninò vestem ostendens. Tales mei, inquit, cultus sunt. At ille ad eos, qui aderant, conuersus: Tantali, inquit, hortos videtis, qui, sicuti à Homero proditum est, speciem quidem præferunt aliquam, cùm tamẽ nihil sint. Eiusmodi verò ornatum hũc omnem conspiciatis licet. Neque enim materia, quæ videtis, vlla est, sed simulachrum modò est, ac imago. Quod vt verum sciatis, Bella hæc sponsa vna est ex Empusis, quas lamias & Mormalycias plerique existimant. Hæc dictus auctor. Fuit enim bella sponsa Dæmon sub forma humana, quod magus alijs oculatior prospexit, & sic benè lamia appellata, iuxta Esai. cap. 34. citatum.

De locutione Dæmonum cum hominibus maleficis

Dicet iterum aliquis: Quomodo ergo Dæmones loquuntur & conuersantur cum hominibus, si non sunt vera corpora? Respondetur, si propriè loquamur, non loquũtur, quia vera locutio est operatio corporis actu vitam haben-

habentis, & animati anima rationali. Tale autem corpus non est, quod à spiritibus assumitur. Formant autem impropriè locutionem, quatenus producunt sonum in aere humanis vocibus similem, non secus atq; si quis summo artificio in tuba sonum instar vocis humanæ redderet.

Et in hoc sensu sæpè Dæmones loquuntur etiam in rebus sensu & voce carẽtibus, vt exẽplis etiam ex Ethnicorum scriptis deductis S. Cyrillus li. 3 contra Iulian. ostendit: Porphyrius vitam describens Pythagoræ, narrat, cùm Pythagoras multis comitatus flumẽ Causum transiret, audientibus cunctis, flumen ei locutum esse, & salutantium more dixisse: Salue Pythagora. Philostratus qui Apollonij nomen, latè scripta eius vita & factis illustrare voluit, lib. 6. cap. 5. narrat, quod cùm Apollonius venisset ad Gymnosophistas, principis eorum Thespesionis iussu, arborem vlmum, propè quam consederant, humana voce salutasse Apollonium: & hanc quidem vocem articulatam, tenuem tamẽ ac muliebri similem. Traditum prẹterea est, Dodonẹam quercum, per quam olim reddebantur oracula, humanas voces edere solitam. Quin etiam Isigonus Cithiensis in Rhodo insula dicit, Iouis taurũ humani sermonis expertem non fuisse. Dæmõ igitur per equum (intelligit enim equum, vt ex præcedentibus satis constat, quem Homerus

merus prodit indita sibi loquendi facultate, Achilli prædixisse mortem) taurum, flumen, & arbores, humanas voces fingere potuit, cur incredibile Iuliano visum est, potuisse eum per serpentem cum Eua loqui? Sic Cyrill.

Quando in antecedentibus dicitur, non esse vera corpora, in quibus spiritus apparent, id sano modo intelligendum est, ne in errorē eorum incidamus, qui dixerunt, angelos nunquam assumere corpora, vt refert S. Thomas in 1. par. q. 51. art. 2. sed omnia quæ in scripturis diuinis legūtur de apparitionibus, in visione imaginaria contigisse, vel in prestigijs. Sed hoc repugnat intētioni Scripturæ. Illud enim quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis. Vnde non videtur indifferenter ab omnibus, sicut Angeli apparentes Abrahæ, visi sunt ab eo, & tota familia, & à Loth, & ciuibus Sodomorum. Similiter Angelus, qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur. Et malus spiritus primis parentibus apparuit in vera forma serpentis, & non in imaginatione, aut prestigijs, vt Doctores attestantur. Et Christo Domino in Euangelio in forma humana reali, vt euidenter colligitur ex textu & Doctoribus ibidem. Quando ergo dubium incidit, an sint vera corpora quæ à spiritibus assumuntur, vt in eis appareant, id sub distinctione intelligendum est. Non sunt vera corpora quātum ad veritatem corporis, quod

Matth. 4.

quod denotatur, vt humani, vel animalis: sed sunt vera & realia quantum ad materiam, ex qua formantur, veram enim & solidam habẽt corporeitatem. Et licet non sint talia corpora in prædicamento substantiæ, quatenus sic efformata, & quasi artificialia, sunt tamen verè aërea. Si autẽ vera essent corpora humana, aut bestialia; vera esset caro, vera ossa membris & neruis distincta & coniuncta, quæ nec ita statim fierent, nec subitò euanescerent, quemadmodum nostra corpora post mortem permanent. Corpora autem spirituum ad eorum voluntatem in præiacentem, vt DD. loquuntur, resoluuntur materiam. Si quis autem obijciat quod legatur in narrationibus patrũ, Dæmonem discessisse relicto intolerabili fœtore: id quod etiam refertur nonnunquam factum, quando exorcizando eijcitur ab homine obsesso: fœtoris autẽ emissio verum corpus significare videtur. Respondetur ad hoc, Dæmonem huiusmodi fœtorem in suo discessu producere in aere rebus oportunis, & tali effectui necessarijs. Quod si quis iterum obijciat: si verum est corpus à Dæmone assumptum, quomodo non semper ab omnibus videtur? Aliquando in loco torturæ Dæmõ videtur à malefico, aut saga, ita vt ei signum det, ne confiteatur: Aut etiam in itinere concomitatur, & alij assistentes non vident. Respondetur, huiusmodi apparitiones dupliciter fieri possũt:

aut

aut solùm in imaginatione & visione, vt in Prophetis cõstat, quibus solis visio fiebat. Daniel.10. Vidi aut ego solus visione, aut in corpore assumpto. Quod si spiritus in corpore assumpto appareat, est in eius potestate, vt ab vno, vel pluribus longè vel propè videatur. Quia eãdem potestatem, quam animæ beatorum super corpora propria glorificata habebunt, habẽt & angeli mali in corpora ab eis assumpta. Anima autem beata talem potestatem habet in corpus suum, vt appareat vni vel pluribus, & non ab alijs videatur, vt patet exẽplo Christi, Acto.9. quãdo Saulo apparebat in via, quem Saulus videbat. Viri autem, qui comitabantur, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Sic respondet Ioseph. Angles in florib. Theolog. qq. in 2. sent. part. 1. q. vnica de Dęmonib. Quomodo angelus vni appareat & non alteri: audiatur ab vno, non ab alio licet astante. Respondet Albert. in lib. de quatuor coæuis, & super sententiarũ lib. Quod vnus percipit voces angeli apparentis, non alius, ideo est, quia locutio illa extat mirabilis. Qemadmodum enim nõ profertur per materialia organa secundum naturam: ita nec circulariter immutat medium, sicut vox naturalis. Huius etiam causa est, quia locutio angeli fit conuersione & ordine ad eũ, cui loquitur, idcirco non sonat, nisi apud illũ. Idem de apparitionibus est dicendũ. Richard.

in 2.

in 2.d.8.magis Philosophicam reddit rationē. Diabolus potest facere, vt res quæ præsens est, lateat visum, operādo extra corpus nostrum. Quia vt asserit Damascen.lib.2. visus videt secundum lineas rectas, quæ à visibili procedentes, tendunt in conum, atque constituunt angulum in loco iudicij virtutis visiuæ. Propter quod idem visibile non videtur per easdem lineas à duobus hominibus iuxta se positis, nec à duobus oculis eiusdē hominis. Diabolus autem potest aliquam in medio facere dispositionem, quæ lateat visum, impedientemq; transitum linearum à visibilibus diffusarum. Cumq; talem facit dispositionem oppositam lineis venientibus ad oculum alium, videbit idem homo oculo vno, quod videre non poterit oculo alio. Simili modo poterit facere, quod id, quod videtur ab homine vno non videatur ab alio homine astante, & item quod duorum visibilium iuxta se positorum homo videat vnum, nō aliud. Si quis obijciat, quod secūdum Philosophum, sensus propriorum semper est, & quod potentia circa proprium obiectum non erret, & quod sensibile proprium est per se notum, ergo visus non decipitur circa suum obiectum. Respondetur: hoc verum est per se, nisi fiat aliqua corruptio circa organum: aut ponatur impedimentū in medio, aut ex parte obiecti, vt cōtingit in præstigijs, Dæmonum illusionibus & apparitionibus.

NVNC

NVNC PAVLO LATIVS ALIQVA MONENDA, QVAE in dubium venire possunt circa apparitiones in hac materia.

I. DVBIVM.

An animæ defunctorum appareant etiam, & immisceant se operibus magorum aut Maleficorum.

DIFFICVLTATEM facere videtur, quia Phytonissa animam Samuelis reuocauit. 1.Reg.cap.27. Ante resolutionem præcognoscendum est, quod frequenter Dęmones simulant se esse animas mortuorum, ad confirmandum errorem gentilium, qui credebāt, quod hominum animæ, qui mortui sunt, Dæmones fiant, vt meminerunt S. Chrysost.hom.29.in Matth.S.Augustin.lib.10. de Ciuitat.Dei, c.11. S.Thom.1.par.q.117.art.4.ad 2.Et Iamblichus in lib.de mysterijs, commemorat opinionem Porphyrij, dicentis omnia vaticinia nobis infundi à malis Dæmonibus, quorum natura sit subdola, omniformisq; atq; versatilis, qui Deos & sublimes Dæmones, & animas defunctorum simulent, vt hac fallacia nobis occurrentes, præsagia præbeant. Fuerunt & alij illius erro-

erroris, quòd crederent se artibus magicis & diabolicis posse animas ab inferis, aut aliàs reuocare, vt se præberent oculis humanis videndas, loquerentur, aut futura prædicerent. Cuius rei meminerunt Lactant. lib. 7. diuinarum institut. cap. 13. Tertullian. in lib. de anima, & alij. Hinc apud Plutarchum in vita Cimonis, Magus consulitur pro reuocatione animæ defunctæ.

Ferunt, inquit, fœminam quandam Bysantiam Cleonicen nomine, clarissimo genere ortam, à Pausania in libidinem accersitam parentes verò vi pauoreq; consternatos, pudicam sibi virginem prostituisse. Hanc Pausaniæ domum nocte obscura ingressam, sumpto ab his, qui thalami foribus præerant, lumine, silentio ad cubile accedentem incautè cespitasse, euersamq; lucernam cum strepitu sopitum iam Pausaniam excitasse. Is hostilibus se insidijs circunuentum arbitratus, stricto gladio inscius in virginem ruens, eam cõfodit. Cleonices deinde manes omnem Pausaniæ quietem adimere atq; turbare, eiusque vmbra frequenter sibi per somnium visa iratè dictitare Heroicum illud. Is iuris te pœna vocat, mortalibus horror. His ita gestis cùm indignitate sceleris, tum virginis pietate concitati in Pausaniam, socij illum, sollicitante Cimone, Bysantij obsident: eumq; mox vrbe deijciunt. Is tunc inde defugiẽs, virgineis manibus admo-

dum vexatus, in Heracleam ad Necromanti-
cum se oraculum contulit: vbi reuocata Cleo-
nices anima, supplex infestæ virginis iram le-
nire nitebatur. Quæ in conspectum adueniẽs,
confestim, inquit, his malum liberatum fore,
cùm in Spartana vrbe constiterit. Ea sermonis
ambiguitate visa est hominis mortem prædi-
xisse. Multi profectò hanc rerum scriptores
historiam tradidêre. Sic Plutarchus, pro reso-
lutione huius dubij sit his præmissis.

Prima Conclusio. *Sine dubio animæ beatorum non se immiscent operibus magorum aut Maleficorum.*

Quia cùm sint in manu Dei, iuxta illud
Sapien. cap. 3. Iustorum animæ in manu
Dei sunt, nec tanget illos tormentum malitiæ
ad inuocationem & incãtationem magorum,
aut maleficorum non egrediuntur, nec in mi-
nimo subsunt imperio Dæmonum, quorum
opera Magi vtuntur in suis operibus. Egredi-
untur tamen animę beatę aliquando liberè ex
propria voluntate, & particulari permissione
diuina, ob causas salutem humanam promo-
uentes. Exempla refert S. Grego. li. 4. Dialog.
Prædictam Conclusionem docet S. Chrysost.
loco citato.

Secunda Conclusio. *Animæ in purgatorio commorantes, etiam non egrediun-*

tur

tur, vt se immiscеant operibus magorum & Maleficorum.

QVIA non est in eorum potestate egredi, cùm diuina volũtate & potestate ibidem in pœnam suorum peccatorum detineantur: Et cùm sint in charitate, suam voluntatem diuino beneplacito conformant, nec tam peruersis operibus, quæ etiam in vita detestatæ sunt, desiderant interesse. Si tamen quandoq; animæ purgatorij permittuntur exire, ex speciali Dei dispensatione, id fit aut ad petendum viuorum suffragia, aut ad procurandum aliquod humanum bonum.

Tertia Conclusio. *Animæ damnatæ, & in inferno existentes, neq; se immiscere operibus magorum & maleficorum possunt, neq; hominibus prodesse aut obesse.*

TALES enim animæ perpetuo carceri sunt mancipatæ, neq; vlla arte magica euocari possunt, vt patet ex illo Euangelij de diuite Epulone, qui non est permissus redire ad mortales, vt fratres proprios salutis admoneret, ne in locum illum tormentorum venirent: quanto magis potestas denegatur redeũdi ad scelera & deceptionem hominum? Hæc Conclusio est S. Chrysost. & S. Thomæ loco citato. Francisci Victoriæ in relect. de arte magica, num. 17. Iosephi Angles in Florib. in 2.

in q. de eadem materia art. 2. diffic. 6. Ex dictis elicitur, quod si quando legantur, aut referantur fuisse apparitiones mortuorum, aut falsæ sint: aut si veræ sint, fiant à Dæmonibus, qui frequenter simulant se animas mortuorum, ad confirmandum errorem gentilium, qui hoc credebant, vt DD. citati attestantur.

Ad illud de Samuele respondet S. Thom. 1. par. q. 83. art. 8. ad 2. & 2. 2. q. 95. art. 4. ad 2. iuxta sententiam Augustini lib. 2. ad Simplician. q. 3. quod non est absurdum credere, aliqua dispensatione permissum fuisse, vt non dominante arte magica, vel potentia, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam & Saulem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus: vel non spiritus Samuelis à requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria Diaboli machinationibus facta: quam scriptura Samuelem vocat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. August. lib. de cura pro mortuis agenda c. 15. & in lib. 8. qq. ad Dulcitium vtrunque quoq; sensum lectioni conformem probat, sicut etiam ad Simplicia. At in lib. qq. veteris & noui testamẽti, q. 27. videtur sensum cap. Nec mirum. 26. q. 5. apprehendere. Tertull. in lib. de anima, & Cyrill. de adorat. spirituum. Guilhel. Paris. in 1. part. 2. principal. de vniuerso cap. 80. in fine. & Turrecr. in d. c. Nec mirum. putant fuisse phantas-

ma,

ma, secundum posteriorem sensum. Sotus lib. 8. de iustitia & iure q. 3. art. 2. Alphons. Castren. lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 14. & alij alibi vtrumq; sensum etiam amplectũtur cum S. Thom. & August. locis cit. Hoc tamen annotauerim cum Alphonso, quod si quis eum sensum amplecti velit, ita vt intelligatur anima Samuelis ex Dei permissione reuocata, cauere debet, ne credat, aut suspicetur animam illam proprio corpori, aut alteri restitutam, vt eam informauerit, sicut antea, ita vt verus homo fuerit compositus ex sua materia & forma informante. Talem enim coniunctionem non potest dæmon efficere ex viribus suis etiam DEO permittente. Fuit ergo talis forma non vnita per informationem, sed solum assistens, vt motrix illius. Nisi velimus dicere, talem animæ cum corpore vnionem factam ab eo, qui quatriduanum Lazarum resuscitauit à mortuis.

DVBIVM II.

Quid iudicandum de apparitionibus nocturnis, tumultibus aut spectris molestantibus certas ædes, aut loca? An huiusmodi vexationes referendæ in Dæmones, aut magos & maleficos?

QVANTVM ad talium rerum veritatem, quod aliquando contingant, nemo sanç

mentis dubitare potest, nisi velit sensus & Doctissimorum virorum auctoritatem contemnere, vt ex sequentibus clarum euadet.

Prima Conclusio. *Certissimum est, huiusmodi illusiones, & nocturnas in domibus vexationes non fieri à bonis spiritibus, quos nos angelos vocamus.*

Quoniam hi sunt deputati in hominum salutem & custodiam, & non ad illusionem & deceptionem: & indignum est beatis spiritibus, tam vilibus & nugatorijs operibus vacare.

Secunda Conclusio. *Ab animabus purgatorij & damnatis non fiunt huiusmodi deluſiones & vexationes.*

Qvia, vt ex dictis manifestum est, non possunt exire, nisi ex speciali Dei permissione, & ad aliquem finem bonum.

Tertia Conclusio. *Huiusmodi illusiones & nocturni tumultus quandoque possunt fieri magorum, aut Maleficorum opera.*

Probatvr ex illa regula Theologorum Quæcunq; possunt Dæmones, possunt etiam magi & malefici eorum opera. At Dæmones posse huiusmodi tumultus excitare, nemo dubitat, & infrà latius patebit. Ad idem faci[t] quod

quod refertur in collationibus Patrum, collat. 8. cap. 18. ex mente duorum Philosophorum, qui magicis artibus inertiam, fortitudinem & sæuã nequitiam Dæmonum frequenter experti erant. Hi despicientes B. Anthoniũ velut Christianum hominem, & imperitum sine literis, volẽtes eum de cella, cùm amplius non possent, magicis artibus, & circunuentione Dæmonum perturbare, spiritus ei nequissimos immiserunt ad impugnationem. Cumque illo nunc quidem imprimente pectori suo, frontiq; signaculum crucis: nunc verò ad orationem simpliciter incubante, ne approximare quidem dirisimi Dæmones eidẽ prorsus auderent: atq; ad illos, qui eos direxerant, absq; vllo reuerterentur effectu: & alios in nequitia vehementiores, rursus immitterent: itidemq; ipsis incassum suas expendentibus vires, atq; inaniter redeuntibus: potentiores nihilominus aduersus militem Christi victorem iterum destinati, nihil penitus præualerent: eò profecerunt tales tantæq; eorum insidiæ tota arte magica quæsitæ, vt per hæc euidẽtissimè comprobarent, magnam professioni Christianorum inesse virtutem. Vnde non est dubitandum, quandoque ope magorum posse fieri perturbationes & tumultus nocturnos, quando DEO disponente non amplius possunt hominibus nocere.

Quarta Conclusio. *Talia spectra, illusiones, tumultus & perturbationes nocturnæ vt plurimum fiunt à Dæmonibus.*

Conclusio constabit ex dicendis.

Quinta Conclusio. *Hæc spectra, illusiones, & nocturni tumultus in certis quibusdam locis contingunt, & non in alijs, & ita plerunque loca & non personas sequuntur.*

HANC Conclusionem tradit Didacus Couarruu. clarissimus Iurisconsultus lib. 4. variarum resolutionum ca. 6. Probatur Conclusio. D. Grego. lib. 3. Dialogorum cap. 4. refert, quod cùm Datius Mediolanensis Episcopus caussa fidei exactus ad Constantinopolitanam vrbem pergeret, Corinthum deuenit. Qui dum largam domum ad hospitandum quæreret, & vix inueniret, aspexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamq; sibi præparari ad habitandum iussit. Et cùm incolæ loci dicerent, eum in ea habitare non posse, quia iam multis annis eam Diabolus inhabitaret, & ideo eam vacuam remansisse: Episcopus Datius respondit. Ideo hospitari in domo eadem debemus, si hanc spiritus malignus inuasit, & ab ea hominum habitationem repulit. Eam sibi parari præcepit, securusq; anti-

qui

qui hostis certamina toleraturus intrauit. Itaque intempestæ noctis silentio, viro DEI quiescente, hostis immensis vocibus, magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, sibilos serpentum, porcorum stridores. Tunc Datius bestiarum vocibus excitatus, contra hostem magnis cepit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contingit miser. Tu ille es, qui dixisti: Ponam sedem meam ad Aquilonem: & ero similis altissimo: Ecce per superbiam tuam porcis, & soricibus similis factus es, & qui imitari Deum indignè voluisti: Ecce vt dignus es, bestias imitaris. Ad quam eius vocem deiectionē suam malignus spiritus erubuit, & eandem domum ad exhibenda monstra, quæ consueuerat, vlterius nō intrauit. Et postmodum domus fidelium habitaculum facta est, quia dum eam vnus veraciter fidelis ingressus est, ab ea protinus mendax spiritus atq; infidelis abscesit. Haud dissimile exemplum narrat Alexander ab Alexandro Iurisconsultus Neapolitanus lib. 5. genial. dier. cap. 23. Nota & vulgata res est, ait, ædes quasdam Romæ, quas ego incolui, euidentissimis ostentis ita infames vt nemo illas incolere ausus fuerit, quin assiduis vmbrarum illusionibus, & tetris imaginibus, noctibus ferè singulis inquietentur, in quibus præter nocturnos tumultus, quos medio ferè noctis silētio audiebamus, & horrendos fremitus cum

ciulatu, stridulocq; vocis sono, quibus lachrymari, & tremere videbatur, speciem hominis squalida facie, vultu minaci, nigro corpore, & aspectu formidabili, nomen suum exprimentem, & opem implorantem cernebamus. Sed ne quis hoc fabulosum, aut commentitium putet, auctor est Nicolavs Tvba, vir multæ & expertæ fidei, qui cùm rei explorandæ gratia, cum nonnullis doctis iuuenibus, prima facie ad nos aduentassent, cupido incesit animo, hæc quæ à me promebantur, vero testimonio experiri, & an vera essent, intueri. Et ne quid inexpertum relinquerent, noctem peruigilem egêre mecum, vt rem notam exploratamq; haberent, neq; eos opinio fefellit. Nam cùm incensis luminibus peruigiles starent, haud procul hæc species dira, terribilique facie & vultu tetro repræsentata est, quam ipsi tumultuari, & diris nos vocibus agitare videbant. Cumque omnia clamore & tumultu streperent, post multa oculorum ludibria tantum formidinis pauorisq; intulit, vt territi & trepidi vix mente incolumi satis constarent, & cùm totæ ædes gemitu funesto miscerentur, singulisque cubiculis pestis illa importuna obseruaretur, dum propius accederemus, illam retrocedere, & querula voce lumen effugere cernebamus. Demum cùm multũ diuq; tumultuata fuisset, haud multò post, vbi multum noctis processit, visio illa omnis dilap-

dilapsa est. Sed præ cæteris, quæ ibi expertus sum, non omittam miraculum ingens, quod mihi planè vigilanti maiore aliquanto trepidatione haud multò post obuenit. Nam cùm tenebris obortis, cubiculi fores obseraſſem firmasera, iacerēq; in lectulo nulla adhuc quiete composita, lumine accenso, horribilem illam speciem foris iam tumultuari, & cubiculi fores manibus pulsare sentiebam. Nec multò post simulachrum illud opertis additisque foribus, per commissuras & rimas in cubiculum se intromisit: quod sub lectulo meo iacens, cùm Marcus alumnus & cliens meus, vtpote qui è conspectu cubabat, tetra & dira facie aspiceret, pauore subito consternatus, luctu & gemitu omnia opplebat, ipsamque intromissam non sine formidine clamabat: Id quod mihi, cùm clausum cubiculi ostium aspicerem, vix credibile videretur: interim dirum illud simulachrum, quod sub lectulo iacebat meo, manum & brachium portendere, lumenq; quod iuxtà erat, extinguere vidimus: Quo extincto, libellos & quicquid rerum erat, querula voce miserè, ac omnia euertere non destitit. Mox cùm ad tumultum exciti socij, eò se contulissent, lumenque intromissuri obseruarētur vestibulo, interim ipsam, opertū cubiculi ostiū manu aperire, & foras effugere vidimus. Erat enim ipsius species, vt planè perspeximus, simulachro homi-

hominis nigerrimo non absimilis. Illud vtiq; mirum fuerit, dignumq; memoratu, figuram illam, dum nobiscum sic luctaretur, cùm fores cubiculi reseraſſet, ab his, qui lumen intromisêre, minimè cõspectam: sed cùm primùm cubiculi fores exiuit, elapsam ex oculis, ilicò discessisse, & in auras euanuisse. Plinius lib. 7. Epist. Epistola ad Suram, recenset Athenis domum fuisse spacioſam, pestilentem tamen, & infamem, quod nocte sonus ferri, strepitus vinculorum longius primò, deinde proximè reddebantur, mox apparebat idolon, senex facie, & squalore confectus, prolixa barba, horrenti capillo, qui cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatq;. Deinde ob terrorem spectri illius domus ab hominibus relicta fuit. Proscripta tamen extitit publicè, si quis emere aut conducere vellet. Athenodorus Philosophus quidem, cui vitia domus comperta erant, eam conduxit. Cumq; noctis silentio animo ad scribendum intento, imaginem illam vidisset, minimè territus fuit, imò eam vocauit, & secutus est, donec in aream domus dilapsa, comitem deseruit. Philosophus signum loco posuit, & postero die magistratum adijt, defossoq; eius mandato loco, inuenta sunt ossa implicita & inserta catenis, quæ corpus æuo terraq; putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis, quibus ossibus collectis & publicè sepultis, domus postea ritè con-

conditis manibus, spectris & terroribus liberata extitit. Sic etiam historijs proditum est, Tamesam Locrensium Italiæ vrbem à genio quodam mirificè perturbatam, ita vt ciues, quo eam pestem effugerent, sæpè patriam relinquere cogitauerint, donec responso Apollinis accepto, placare Dæmonem iussi sunt vnius virginis oblatione, quam in templo genio illi dicato deuouebant. Tandem Euthymi cuiusdam fortitudine & magnanimitate genius deuictus vrbem reliquit. Hinc natum prouerbium vt dicerent: Cauendum ne Temesius genius immineret. Meminêre huius rei AElianus lib. 8. de varia historia, & Strabo lib. 6. & alij, quos refert Couarru. loco citato. Simile adfert D. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. de quo infra. Sed & ipse noui domum Confluentiæ, in cuius superiori parte spiritus modicas motiones exercet, non secus ac si frumenta mensuraret, ea modio imponeret, & effunderet, vt ante decem annos ipse audiui. Tanta autem erat motio, vt circa medium primæ in nocte è somno excitarer, & nescirem quid rei esset, imò iam diem aduentasse existimabam, & homines tumultum mensurando frumenta excitare. Vigilans verò & illusioni attendens, primam horam audiebam, nec tum cessabat spiritus, & sic cepi rem habere suspectam. Manè familiam domus interrogaui: dixerunt spectrum consueuisse sic facere, nihil

ctiam

etiam plus mali machinari. Imò frumenta & omnia in suo loco semper manere. Sed & aliâ noui, vbi nocte solet dormientes quandoque inquietare, & si quasi insequi velint spectrum, retrocedit, vt de suo etiam refert suprà Alex. & si lumẽ adferatur, fugit. Occasione spectrorum apud Iurisperitos difficultas mouetur, An liceat conductoribus à conductis ædibus migrare, ex eo quod huiusmodi spectris & tumultibus inquietentur, ita vt non teneantur soluere mercedem ab eo tempore, quo domũ inhabitârunt. Et concludunt licitum esse, & pro hac parte semel atque iterum iudicatum fuisse in regio prætorio Granatensi Didacus Couarr. loco citato attestatur.

Sexta Conclusio. *Quare huiusmodi perturbationes fiant in his locis, & non in illis, ratio certa non semper reddi potest.*

Covarr. loco citato. Quia cùm Dæmones nihil operari possint sine permissione particulari Dei, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla, vt dicit S. Augustin. li. 18. de Ciuit. Dei. Aliquando huiusmodi Dæmones mittuntur in pœnam peccatorum, aliquando ad exercitium: Aliquãdo ob caussam aliquam occultam, quam nimis anxiè inquirere non debemus.

Septi-

Septima Conclusio. *Aliquando huiusmodi spiritus & spectra tantum illusiones & ioculationes exercent sine vllo damno, aut saltem magno.*

CONCLVSIO probatur ex collatione septima cap. 32. vbi diuersa studia Dæmonum explicantur, & dicuntur nonnulli ioculatores, qui certa quæq; loca iugiter obsident, neq; tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur: sed derisu tantummodo & illusione contenti, fatigare eos potius studeant, quàm eis nocere. Guilhelm. Parisiensis in 2. part. 2. partis principalis de vniuerso, cap. 8. testatur se vidisse ioculatorem, cum quo ludebat quidam ex huiusmodi spiritibus. Permittebat enim eum intrare lectum, non patiebatur eum quiescere, aut dormire: aut enim tumultu, quem lapidibus ad parietes allisis, aut vasorum collisione inuicem concitabat, quietem huiusmodi, aut somnium impediebat: aut rapto coopertorio, & in linteis ipsum in lecto vexabat: aut extracta vehementer culcitra, de lecto eum detrudebat: & in mediam domum proijciebat, læsionem verò nullam aliam ei inferebat. Præterea dicit ad se adductam mulierem, quam spiritus paruis lapidibus petierat, læsiones modicas ei inferendo. His addi potest, quod Michael Psellus in lib. de Dæmoni-

bus

bus refert, proprium esse Dæmonum subterraneorum lapides in occurrentes iacere, sed ictibus irritis.

Octaua Conclusio. *Quidam sunt spiritus, qui maiorem molestiam Deo permittente hominibus inferunt, grauiter quando q; lædunt lapides proÿciendo, aut percutiendo, aut aliqua frangendo.*

Constat Matth. 8. In regione Gerasenorum occurrerunt Christo Domino duo habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam. Sic spiritus malignus concutiebat quatuor angulos domus Iob. Et in collation. dicta multa ad idem probãdum adferuntur. Sic Abdias Babyloniæ Episcopus lib. 3. historiæ Apostolicæ scribit, in Nicæa ciuitate, septem Dæmonia inter sepulchra delituisse, quæ prætereuntes lapidibus impeterent & interficerent, quæ eò adueniens D. Andreas, à populo rogatus, præcepit in loca arida & infructuosa abire, néue vlli nocerent.

III DVBIVM.

Quomodo Dæmones, cùm nec manus, nec apta instrumenta habeant, ianuas aperiant, claustra referent, lapides proÿciant, & corpora moueant?

Cer-

CERTVM est ex sacris litteris, historijs & experientia, talia fieri: sed nunc est videndum de modo. Tractãt hoc Theologi S. Thomas quodlibeto 6. art. 2. Ioan. Capreolus in 2. d. 7. q. 2. Durand. ead. dist. q. 5. Guilhelm. Parisiens. prima part. secundæ principalis ca. 125. de vniuerso & alij alibi.

Duæ in hac re sunt sententiæ. Prima est Aureoli & aliorum apud Capreolum, ponentium in angelis, aut Dæmonibus præter intellectum & voluntatem, quandam potentiam motiuam distinctã, quę dicitur executiua imperij volũtatis, quæ exequitur motum, quem voluntas imperat. Secunda sententia communior S. Thom. Capreoli & aliorum est, quod angelus moueat per imperium voluntatis. Quia omne agens operatur per aliquam potẽtiam. Cùm autem in Angelo non sit alia potentia, præter intellectum & voluntatem, oportet vt per vnam istarum operetur. Sed non operatur per intellectum, cùm hæc potentia non sit operatiua, sed cognitiua. Neq; etiam DEVS ad extra, vt Theologi loquuntur, executiuè sciendo operatur, sed volendo: iuxta illud Psalm. 113. Omnia quæcunq; voluit fecit. Ergo sequitur, quod per voluntatem operatur angelus. Quamuis autem non sit alia potentia præter voluntatem, quæ mouendi vim habeat, non tamen omnia corpora mobilia ita spiritualis substantiæ voluntati plenè subij-

ciuntur, vt moueantur quando & quomodo libuerit Hoc enim diuinæ & omnipotēti voluntati competit, quæ nullis terminis concluditur, cùm infinita sit, & sicuti vbique est, ita vbiq; operatur pro suo beneplacito. Spiritualis autem creaturæ essentia finita est, & ita etiã eius potentia motiua limitata est, nec se extendit ad omnia corpora mobilia, sed tantum in distãtia suę virtuti proportionata. Requiritur enim coniunctio, vel vt aliqui dicunt, simultas mouentis & mobilis, & quædam quasi assistentia operantis ad operatum, sicut nautæ ad nauem. S. Thom in q. de potentia Dei, q. 6. art. 3. sic allegante Capreolo, asserit sententiam si. dei esse, quòd substantiæ separatæ moueãt suo imperio localiter non solùm cœlestia, sed etiã alia corpora, Deo ordinante & permittente. Quod si quis obijciat articulum Parisiensem, qui dicit, quod Angelus moueat corpora per intellectum & voluntatem solum; error. Respondet Durandus, quod non est contra articulum. Quia licet Angelus non habeat aliam potentiam motiuam nisi voluntatem, non tamen subijcitur voluntati suæ ad actum mouendi, quicquid ei subijcitur, quoad actum volendi: vnde non potest mouere quascunq; res, nec qualitercunq; vellet, sed determinato modo, secundum gradum & proportionem naturæ, & sic in spirituali creatura quamuis voluntas non distinguatur realiter à potentia

tia motiua, ad plura tamen se extendit volendo quàm mouendo. Quia actio voluntatis limitatur secundum modum essentiæ determinatum. Est ergo intentio dicti articuli Parisiensis, quod voluntas angelica non sit efficax ad mouẽdum, quicquid potest, velle mouere, & qualitercunque vellet mouere, vel in quacunque distantia, sed requiritur proportio debita inter agens & patiens. Quare rectè Guilhelm. Parisiensis loc. citat. ait. Nec intendo per hoc sic omnia plenè subdita, vt quãtumlibet magna corpora mouere possint, in quamcunq; partem voluerint, & quãtumcunque voluerint: quando potius verisimile est, limitatam esse ac determinatam, vel à natura, vel ab ipso creatore virtutẽ earum in ista parte. Nõdum enim peruenit ad me, aliquam ex huiusmodi substantijs totam terræ molem, motu, qui terræ motus dicitur, cõcussisse, neq; totum mare: licet particulares huiusmodi cõmotiones eas fecisse manifestum sit, ex narrationibus certissimis quæ de miraculis Christianorum, apud eos inueniũtur. Ex libris etiã historicis & magicis multa huiusmodi colligi possint, & saxa enim ingentia, & montes eos prorupisse, tempestates cõcitasse, naues q; submersisse, narrationum huiusmodi scriptores scripserunt de huiusmodi substãtijs. In corpora verò cœlestia nullã habere potestatem videtur, neq; aliud apud me huiusmodi auditum

est, quod in ea fuerint operatæ. Hæc ille. Non tamen mihi probatur, quod dictus Guilhelmus sentit de angelo bono, qui prophetam Dan. 14. Abacuc arreptum in vertice capitis, in Babylonem portauit, quando existimat quod præter virtutem motiuam angelicam adfuerit noua virtus superaddita creatoris, cuius iussu hoc factum narratur. Non enim putat, quod capilli capitis tantam vim naturaliter habuerint, vt pondus corporis Prophetæ ferre potuerint, neq; etiam ipsi capilli adeo tenaciter adhærebant capiti ipsius, vt tanto tactu & pondere non auulsi essent ab ipso. Hæ rationes mouent Guilhelmum ad dicendum virtutem superadditam ibi fuisse. Sed nulla propter dicta est necessitas ponendi istam virtutem, cùm virtus naturalis angelica à creatore indita, sufficiens fuerit ad portandum Prophetam, & huic doctrinæ concordat textus Scripturæ, cùm dicit. Et appræhendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylonem super lacum in impetu spiritus sui: ergò non in virtute de nouo addita. Ad motiua. Iussio Dei nullam vim de nouo impressit, aut angelo, aut capillis Abacuc, sed tantum diuinam voluntatem significauit. Etsi angelus appræhenderit capillis, pondus tamē corporis non ita depressit, vt vim capillis, aut dolorem capiti inferret. Quia licet ad oculum appræhensio fuerit

rit tantùm capillorum, virtus tamen motiua se extendit ad totũ corpus. His consentit Dionys. Carthus. in c. 14. Daniel. Angelus, inquit, in assumpto corpore, se ostendens similitudine manus, apprehendit Prophetam in vertice capitis, & solos capillos, vel vnum duntaxat crinem capitis eius tenuit manu, ad insinuandum, quàm facilè eum ferre potuerit. Virtus autem angelica non tetigit pilos duntaxat, sed totum Abacuc corpus, mouens illud facillimè, cùm & angelici spiritus cœlestia moueant corpora rapidissimo motu: quorum comparatione tota terra est tanquam punctum. Itaq; apprehenso Abacuc per capillum, ille capillus non tulit corporis grauitatem, sed virtus angelica fluxit in illud, & tulit (Impetu spiritus sui) id est, celerrima actione suę spiritualis potentiæ.

Ex huius dubij resolutione collige modum, quo Simon Magus efficiebat, vt statuæ mouerentur, fores vectibus & claustris probè communitæ & occlusæ ad ipsius dictum aperirentur, vincula ferrea disrumperentur. Auctore Nicephoro lib. 2. historiæ Eccles. cap. 27. Hosce enim effectus sine dubio non Simon efficiebat, sed Dæmones ad eius voluntatem ex pacto inuisibiliter operabantur per applicationem voluntatis & virtutis propriæ.

Nona Conclusio. *Secundum prædicta, iudicium sumendum de spiritibus, nocte, per modum exercitus & bellantium apparentibus, & exercentibus hastiludia, vt vocant.*

Ad huius conclusionis comprobationem facit, quod in sacris literis legitur etiam bonos angelos apparuisse in specie exercitus & pugnantium. 4. Reg. cap. 6. Cùm minister Elisei vidisset exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus aduersariorum, nunciauit Eliseo dicens. Heu heu Domine mi, quid faciemus. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cũ illis. Cumq; orasset Eliseus, ait: Domine, Aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei. Iosue 5. Iosue vidit virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait: noster es, an aduersariorum? Qui respondit. Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Vir tenens euaginatum gladium, erat Angelus Domini. Hoc ergo modo cùm boni angeli ad bonum finem quandoque apparuerint, non est negandum malos etiam quandoque Deo permittente sub tali forma posse apparere ad malum finem, quem semper intendunt. Aduertendum tamen, quod quando arte magica in-

ca instructi faciunt apparere numerum militum, vt quandoque narratum est, aut sunt præstigiæ, aut Dæmones sub forma militum euocati ex pacto, quod Magus habet cum superiori Dæmone, cuius imperio alij subsunt. Nec etiam tales equites aut milites tam damnabili arte in campum ducti vulnerant, aut vulnerantur. Quia si nocere possent, vt Guilhelmus Parisiensis in parte vltima de vniuerso, cap. 22. ait, nulla turris, nulla munitio posset homines tueri ab huiusmodi hostibus, cùm nec muro, nec valle quantumcunq; forti arctari & prohiberi possint, saltem aliqua hora, qua homines dormierint, aliquos iugulassent.

DVBIVM TERTIVM principale.

Quid remedij esse potest, quando aliquis locus ita molestatur, aut vexatur à spiritibus, an aliqua potestate valeant pelli?

PRAEMISSO eo, quod certissimum est: dæmonem nihil posse sine permissione Dei, in cuius potestate est eum soluere & ligare, præsens dubium per conclusiones plenius resoluendum erit.

Prima Conclusio. *Quæ remedia valent ad expulsionem Dæmonis à corporibus obsessis, ea etiam prosunt ad expellendum à loco,* Quia est par ratio.

Secunda Conclusio. *Oratio, ieiunium, Eleemosyna, & aliæ pœnitentiæ opera valent ad expellendas huiusmodi molestationes.*

CONSTAT Matth. 17. & Marc. 9. Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium. & cap. Si per sortiarias. 33. q. 1.

Tertia Conclusio. *Sacrificio Corporis Christi, quod Ecclesia Catholica ab initio vsque in præsens tempus, Missam vocauit, huiusmodi vexationes quando q; pelluntur.*

EST S. Augustini lib. 22. de Ciuit. Dei. ca. 8. Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, inquit, habet in territorio Fussalensi fundum Cupedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suã spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium Christi, orãs quantum potuit, vt cessa-

vt cessaret illa vexatio, Deoq; protinus miserante, cessauit. Idem conuincit ratio. Non est enim conuentio lucis ad tenebras, secundum Pauli sententiam. At in sacrificio missæ introducitur lux vera: pellit ergò principem tenebrarum. Cùm enim fortior ille superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat. Ad idem confirmandum facit consuetudo Ecclesiæ, cuius meminit S. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili DEI natura contra Anomæos, quod agitati Dæmonijs tempore Missæ adducãtur, & hom. 4. ibidem eiusdem consuetudinis meminit. Quare eadem consuetudo adhuc hodie magna cum laude & fructu seruatur apud S. Hubertum in Ardenna, qui locus omnibus Dæmonibus terribilis est, cùm plurimi ibidem expellantur. Tempore sacri, Energumeni ad Ecclesiam deferuntur, & ibidem relinquuntur, donec sacrificium absoluatur. Luc. 11.

Quarta Conclusio. *Reliquiæ sanctæ positæ in loco, aliquando etiam pellunt tales vexationes & perturbationes.*

AVGVSTINVS loc. citat. Quare subiungit, dicendo. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus est CHRISTVS, die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo,

ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de terra illa fieret, cogitabat: quã diutius in cubiculo suo reuerentiæ causſa habere nolebat: Fortè accidit, vt ego & collega tunc meus Episcopus Synicensis Ecclesiæ, Maximinus, in proximo essemus, vt veniremus rogauit, & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, vbi etiam possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari. Hæc Augustin. & Act. 19. sudaria & semicinctia Pauli posita super languidos, spiritus nequam pellebant. S. Chrysostom. in lib. contra gentiles de vita S. Babylę martyris & Antiocheni Episcopi post multa, ait. Ea est enim sanctorum potestas, vt illorum superstitum dæmones, ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint, vita autem functorum oculos quidem reformidant. Ad idem propositum adfert alia hom. 66. ad populum Antiochenum. & in serm. in adorationem venerabilium catenarum & gladij S. Apostolorum principis, Petri, & in serm. de virtutibus & vitijs. Hieronym. contra Vigilantium sacrarum reliquiarum hostem. Gregor. Nazianze. orat. in laudem S. Cypriani martyris. Huc referri potest quod historiarum scriptores tradunt, quod cùm Iulianus apud Pythium Daphnæum responsa peteret de Parthici belli victo-

ria,

ria, Dæmon responsa dare nequibat. Sacerdotes Dæmonis silentij causſam reddunt: Babylæ martyris sepulchrum propè asisſtere: & ideò responsa non reddi. Sic Iulianus iuſſit corpus transferri. Huius historiæ meminerunt, Eusebius lib. 10. historiæ Ecclesiasticæ cap. 35. Tripartita lib. 6. cap. 31. Theodor. lib. 3. cap. 11.

Simeon Metaphrastes apud Surium tom. 2. in vita S. Theodori Archimandritæ meminit hunc sanctum ad instantiam Theodori ducis regij, cuius ædes maximè ab immundis spiritibus vexabantur, ita vt cùm domestici pranderent, aut cœnarent, lapides super mensam iacerentur, tantaq; molestia Dæmonum sub murium & serpentium forma domus afficiebatur, vt præ formidine in eam ingredinō auderet, in hunc modum ab illa perturbatione & diabolica vexatione liberasse. Domum seruus Dei ingressus, totam noctem psallendo & Deum obsecrando traduxit: & aqua, cui benedixerat, totam domum aspergens, eam à Dæmonum tentatione liberauit.

Quinta Conclusio. *Exorcismis siue exorcizatione Dæmones etiam effugantur, & expelluntur.*

EXorcizare autem nihil aliud est, secūdum Augustt. lib. 1. de vita beata, quam per di-

uinam

uinam virtutem immundum ſpiritum adiurando expellere. Probatur Concluſio Luc.10. diſcipuli ſeptuaginta duo à prædicatione reuerſi, cum gaudio Saluatori dixerunt: Domine, etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis, & hoc etiam Chriſtus Marc. vlt. promiſit futurum. In nomine meo Dæmonia eijcient. Luc.11. Si ego in digito Dei eijcio Dæmonia: filij veſtri, in quo eijciunt? & Actor.19. Idem determinatur in cap. Si per ſortiarias. 33. q.1. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 22. ſtatim à principio. Vera pietate homines Dei, aëream poteſtatem inimicam contrariamq́; pietati exorcizando eijciunt, non placando, omnes tentationes aduerſitateſq́; eius vincunt, non orando ipſam, ſed ſuum Deum aduerſus ipſam. Non enim aliquem vincit, aut ſubiugat, niſi ſocietate peccati. In eius ergo nomine vincitur, qui hominem aſſumpſit, egitque ſine peccato, vt in ipſo ſacerdote & ſacrificio fieret remiſsio peccatorum, id eſt, per mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum. Atq; hoc eſt quod in Euangelio dictum, in nomine meo Dæmonia eijcient. Sic legitur Ioannem Euangeliſtá Dæmonem è Dianę templo, qui iam ducentis & quadraginta nouem annis ibi habitauerat, propulſaſſe, his verbis. Interdico tibi in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ne vltrà hîc habites: & confeſtim reliquit locum. Lactantius lib.2. de erroris origine, cap.16. exorciſmi & adiuratio-

tionis in nomine Dei vim in expellendis dæmonibus fatetur. De exorciſmo autem, qui Baptiſmo præmittitur, ſcribunt ſancti Patres, Auguſt. lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 18. & 29. & lib. 4. de Symbolo ad catechumenos, c. 1. Chryſoſt. in hom. de Adam & Eua, Dionyſ. c. 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Raban. lib. 2. de inſtitut. clericor. cap. 27. Iſidor. lib. 2. de officijs Eccleſiaſt. cap. 20. S. Thomas 3. part. q. 71. art. 2. & 3. & alij alibi.

Sexta Concluſio. *Verba exorciſmorum non habent ita infallibilem vim & efficaciam ad cogendum & arcendum Dæmones, vt ſemper ſuum effectum conſequantur.*

RATIO eſſe poteſt: Quia verba & ſigna ex ſua natura non habent talem efficaciam, ſed virtute diuina. Deus autem lege ordinaria non alligauit poteſtatem ſuam ita ſacramentalibus, vt infallibiliter operentur, ſed operatur ad gloriam ſuam, & vtilitatem credentium. Matth. 17. & Marc. 9. Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò, & dixerunt: quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram, &c. & Actor. 19. Quidam de Iudæis exorciſtis inuocabant ſuper eos, qui habebant malos ſpiritus, nomen Domini Ieſu, dicentes. Adiuro vos per Ieſum, quẽ

Pau-

Paulus prædicauit. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis. Iesum noui, & Paulum scio. Vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium. Super hac conclusione videndus Victoria in relectione de arte magica.

Septima Conclusio. *Quod exorcismi non consequantur suam vim, quandoque prouenit ex mala dispositione & defectu fidei in exorcizante, quando q; ex praua affectione Dæmonium sustinentis.*

Hanc conclusionem docent Petrus Cluniacensis lib. 1. de miraculis cap. 6. & cap. 14. & 16. Doctores Mallei maleficarum. 2. part. q. 2. cap. 6. Iosephus Angles in q. de arte magica diffic. 5. dub. 5. & alij alibi. Prima pars constat ex locis Scripturę in sexta conclusione citatis. Secunda probatur. Matth. 19. increpauit Saluator incredulitatem offerentium lunaticum: Et redditur ratio Conclusionis à Petro Cluniacensi. Tabe latente interius, vnguenta exhibita extrinsecus nihil proficere possunt. Tabes hîc dicitur peccatum mortale. Quod quàm diu in latebris conscientiæ latuerit, nullius exterius sacramenti perceptio effectum consequitur.

Octaua

Octaua Conclusio. *Interdum permittit Deus Dæmonem operari.*

AD exercitium bonorum, vt in fide confirmentur, & in virtute patientiæ confortentur, ne grauius iudicium sustinere cogantur. Augustinus Tractat. 7. in Ioann. Hinc non voluntas eius, cuius potestas in bonos datur, sed eius voluntas, à quo hæc potestas confertur, charissima esse debet. Occulta sunt etiam quandoq, iudicia in his operibus.

Nona Conclusio. *Ab angelis bonis etiam quandoq; coguntur Dæmones.*

VICTORIA in Relectione de arte Magica num. 22. Quia angeli boni virtute diuina præualent, & Angeli ex superioribus etiam potestate naturali vincunt multos Dæmones inferiores. Quare vt S. Thomas tradit in qq. de potentia Dei q. 6. ad ordinem potestatum spectat, Dæmones cogere. Et hoc pacto angeli tutelares & custodes non rarò arcent dęmones à suis clientibus : & præsides prouinciarum frequenter impediunt, ne nocumenta inferant certis locis in agris & fructibus, & alijs bonis.

Decima Conclusio. *Magi virtute diabolica possunt aliquando Dæmones cogere, & è suis sedibus expellere.*

CON-

Constat Concluſio, Dæmones Deo permittente poſſunt, vt apertum eſt ex illa calumnia Iudæorum. Luc. 11. In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia. Hęc autem coactio Magorum, non aſcribenda eſt virtuti alicui naturali, aut verbis Magi: quia verba huiuſmodi, & ſigna cùm ſint de genere rerum inferiorum, non habent vllam poteſtatem in Dæmonem, cui nulla poteſtas in terris poteſt comparari. Magi autem ſic cogunt, quando habent fœdus & pactum cum ſuperiori Dæmone, qui fortitudine & naturali virtute vincit inferiorem. Ad imperium fortioris inferior morem gerit, & locum relinquit. Quod autem ſuperior & fortior ſpiritus inferiorem cogere poſsit, & expellere per imperium, docent Caſsianus in collatione 8. cap. 14. S. Auguſtin. lib. 83. quæſtion. q. 79. S. Thom. in 3. part. q. 43. art. 2. ad 3. Albertus Magnus, & Dionyſ. Carthuſ. in Luc. 11. Ioan. à Turrecrem. in qq. Euangel. q. 1. Domin. 3. in Quadrageſima. Franciſ. Victoria in relect. de arte mag. Ioſephus Angles in Florib. in 2. ſent. 1. part. d. 11. in q de eadem materia. Benedictus Pererius li. 1. de magia, cap. 5. & alij alibi. Huic autem veriſimæ doctrinæ obſtare videtur argumentum Saluatoris noſtri Matth. 12. & Luc. 11. Si Satanas Satanam eijcit, aduerſus ſe diuiſus eſt: quomodo ergò ſtabit regnũ eius? Reſpondetur, Chriſtum loqui de perfecta

iectione Dæmonis ab homine, hoc est, tam ex corpore, quàm ex anima: vel de expulsione nata ex odio Dæmonis, & studio euertendi imperium quod habet in homines. Atq; secundum modum huius Conclusionis videtur magus Dæmonem expulisse, de quo Lucianus in Dialogo Philopseude narrat, Corinthi domum quandam habuisse Eubatidem, in qua nemo auderet habitare ex ea caussa, qd̄ habitatores spectris quibusdā territi à Dæmone quodā ita molestarētur, vt eam præ nimio terrore & periculo ingredi non fuerint ausi, donec Arignotus quidam Platonicus Magicis & Aegyptijs quibusdā carminibus Dæmonē illum in locum quendam detruserit, à quo primùm exierat. Arignotum varijs imaginibus territare conatus, quandoq; vt canis, nunc vt leo, vel taurus ipsum inuadens, quo quidē loco die sequenti defosso, corpus hominis mortui repertum est, eoq́ue alibi sepulto, domus illa libera deinde ab huiusmodi elusionibus permansit. Hic dubium resolui potest.

An *Dæmones à corporibus obsessis, vel à vexatione possint propelli virtute melodiæ, herbæ alicuius, aut lapidum?*

TRACTANT Nicolaus Lyranus in cap. 16. primi Regum. Paulus Burgen. ibidem in additionibus, Ioan. à Turrecr. d. 1. can. Voluis-

sent.§. Denique vt perspicuè. Guilhelm. Paris. in 2. part. par. 2 principal. de vniuerso, cap. 20. Ioseph. Angles in q. de arte magica, diff. 8. & alij alibi. Pro resolutione sit.

Vndecima Conclusio. *Dæmon non potest à corporibus obsessis expelli, aut à vexatione excludi melodia, herba aliqua, aut lapidis, alterius ue rei sensibilis virtute:*

Ratio est, Dæmon est substantia separata à materia & corpore, eiusque potestas altior & fortior est omni corpore. Minor autem potestas non habet vim agendi in superiorem. Quare nulla res sensibilis & corporalis virtute sibi à natura indita, potest cogere Dæmones. Hanc Conclusionem tenent Lyranus, Turrecrem. Iosephus Angles loc. cit. Pelbartus in aureo Rosario Theologiæ, in verb. Dæmones 4. §. 83. Albert. super Luc. 9. Quod verò Richardus de media villa in q. 3 q. 8. existimat tam paruam posse contingere Dæmonis afflictionem, tantamq; esse lapidis aut herbę virtutem, vt non solùm mitigare, sed prorsus etiam tollere possit Dęmonis afflictionem: Id verũ puto, si intelligatur de vexatione exterius impugnantis, & non obsidentis. Si enim mania, aut melancholia, vt contingere potest, impugnãtis, aut vexantis malitiã promoueat, si naturalibus medijs talis indispositio tol-

latur,

latur, non est absurdum, quod etiam omninò possit cessare vexatio.

Duodecima Conclusio. *Melodia, herbà, lapis, aut aliquæ res sensibiles possunt Dæmonis vexationes indirectè mitigare, & leuiores reddere, ita vt vexati eas minus sentiant.*

HAEC Conclusio est communis DD. ciatorum. Hoc autem non est difficile. Dæmon tanquam peritissimus medicus corporum complexiones perspicit, & eis perspectis, conuenientes vexationes obijcit. Reperit aliquem mania, aut abundanti melancholia laborare, eum inuadit: cùm homines talis cõplexionis apti sint ad vexationem. Si ergo naturalia remedia adhibeantur, quæ complexionem superantem ritè disponant, & ad æqualitatem reducant, mitigabitur vexatio, nõ quidem ex parte Dæmonis vexantis, cum non sit modus naturalis agendi in eum, sed ex parte dispositionis subiecti. Si cogitationes dissipentur, & abstrahantur aliqua dulci melodia, non sentitur in tanto gradu afflictio, ac quando sensatio sibi præsens est, sic etiam, si purgationibus & medicinis sanguis purgetur, aut cerebrum confortetur, non est dubium, quin fiat aliqua alleuiatio. Dæmon enim cùm non informet corpus quod obsidet, nõ est totus in toto, quemadmodum anima rationalis,

sed in determinata corporis parte: nunc in collo, quod mirabiliter torquet, nunc in venis, quas motione spirituum & humorum extendit, nunc in cerebro, quod aut debilitat spiritibus viam intercludendo subtilitate suæ potentiæ, aut planè perturbat phãtasiam immutando. Si ergò corpori afflicto remedia ex medicorum arte præscripta adhibeantur, afflictio minuitur. Ex dictis intelligitur, quod in Euangelio de Dęmoniacis Lunaticis refertur: Secundum variam lunæ dispositionem magis vel minus vexantur. Quoniam motus lunę agit in humidum cerebrum. Quidam enim tempore crescentis lunæ magis vexantur: Alij decrescente luna, Dæmon enim obseruat opportunam tentandi occasionem. Ait S. Hieronym. in Matth. 4. Dęmones obseruantes lunaria tempora cupiebant creaturam infamare, vt in creatorem blasphemiæ redundarent. Ad eandem expositionem accedit Orig. in Matth. 17. tract. 3. Scripturę loca quæ prędictis videntur contraria, sic soluẽda sunt. 1. Reg. 6. Quandocunq; spiritus Domini malus Saul arripiebat, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus. Non enim expulsio Dæmonis fiebat virtute melodiæ, sed potestate diuina immediatè, aut mediantibus angelis sanctis, ob meritum Dauidis, qui laudes diuinas pro salute Saul in citha-

Matt. 4. & 17.

ra

thara canebat. Sic etiam Tob.6.de iecore piscis posito super carbones legitur. Non enim fumus iecoris expulit Dæmonem, sed meritũ orationis Tobiæ, quod per fumum significabatur,& Angeli Raphaelis virtus. Ex vltimæ conclusione à contrario infertur, Dæmonem posse etiam aliquando in homine virtute lapidum,aut herbarum,DEO permittente,tentationes accendere & efficere. Quia cùm dispositionem tentati cognoscat potest per contactum lapidum aut herbarum,in quibus magna virtus est , quam perspicacissimè nouit, tentationi fomenta præstare, (sicut enim de Smaragdo & Topazio dicitur,quod libidinis ardorem mitigent.Ita fortasse à contrario erit alius lapis,qui æstum libidinis augeat. Sic tradunt Alphons.Castren.lib 14.contra hæreses, in verbo Tentatio.& Ioseph.Angles in q.vnica de Dæmonibus.1.part. in 2.sentent. artic.6. dub.2.

DVBIVM IIII.

Quid sentiendum de apparitionibus, & mirabilibus operationibus aliquando contingentibus circa corpora mortuorum?

SVNT autem huiusmodi apparitiones,exẽpli gratia: Conseruatio corporum ab incineratione post mortem,augmentum vnguiũ, & barbæ,& capillorum in mortuis,Emanatio sangui-

sanguinis de corpore occisi ad occisoris præsentiam. Exhumatio corporum, &c.

Huiusmodi enim mirabilia referenda sunt in Deum, aut spiritum, aut hominem, aut ipsam naturam rebus inditam.

Prima Conclusio. *Factiones mirabilium huiusmodi arte magica, aut malitia malorum hominum aliquando possunt procurari.* Augustlib.21.de Ciuit.cap.6.

Secunda Conclusio. *Mira quædam circa mortuorum corpora ad naturales causſas referri possunt, vt ad virtutem loci, vnguenti: aut alterius rei corporalis adhibitæ, vt corpus cõseruetur à putrefactione*

SIC VT è contrario omnibus constat, qui Romæ sunt & fuerunt, quod corpora sepulta in cœmiterio Campi Sancti, breuissimo tempore, id est, vt dicunt, in 24. horis consumantur, quamuis non in profunda terra sepeliantur, vt in alijs cœmiterijs contingit, sed tantum leuiter solo tegantur, vt etiam articuli pedum parum eminere aliquando conspiciantur, quod ipsemet vidi.

Tertia Conclusio. *Vnguium & pilorum in mortuo corpore accretio potest etiam reduci in naturalem causſam, scilicet morientis complexionem, in cuius materiam*

pos

post mortem aliqua forma imperfecta vegetatiua inducitur.

SIC Ioſephus Angles in d.q.vnica de arte magica in 2. ſenten.part.1.art.2.diffic.8.qui dubium præſens mouet.

Quarta Concluſio. *Conſeruatio corporis aliquando in diuinam potentiam referenda, & pro miraculo habenda.*

QVIA DEVS in teſtimonium ſingularis ſanctitatis & innocentiæ corpora aliqua quę excellentiſſima templa Spiritus Sancti extiterunt, & mundiſsima à carnis & peccati corruptione remanſerunt, incorrupta conſeruat, iuxta illud Pſalmi. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Quinta Concluſio. *Corpora malorum aliquando Dæmonum aſtutia procurante incorrupta manent, vt hoc merito vitæ eorum tribuatur, atq; ita mala, quæ fecerunt, pro bonis approbentur, vt vulgus facile credens ad eorum inuocationem inducatur.* Ioſeph.loc.cit.

Sexta Concluſio. *Circa corpora & ſepulchra mortuorum à Necromanticis plurima fieri non eſt negandum.*

QVIA omnium iudicio eorum facultas circa hæc verſatur.

Septima Conclusio. *Exhumationes plurimorum corporum, præsertim infantum fiunt à maleficis & sagis.*

Constat Conclusio. Hoc enim Iudices Italiæ, Galliæ & Germaniæ omni tempore obseruârunt, & confessiones sunt liquidæ, & ocularii inspectione verum esse compertum est, vt alibi latius tractabitur. Exhumant enim corpora, & eis ad nefanda scelera abutuntur. Sic Iacobus Cuiacius Iurisconsultus ait, Rubricam de sepulchro violat. Statim in C. subiungi post titul. de maleficis & math. eo quod malefici sæpè sepulchra violent, & abutantur corporibus mortuorum.

Octaua Conclusio. *Emanatio sanguinis occisi ad præsentiam occisoris videtur soli diuino miraculo in horrorem & detestationem tanti criminis tribuenda.*

Genes. 4. de sanguine Abelis dicit Dominus ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Iurisperiti ita verum hoc statuunt quod cadauer occisi emittat sanguinem coram occisore, vt ponant indicium sufficiens ad torturam. Boerius in decisione 166. Paris de puteo in tract. Syndicatus, in verbo Tortura, cap. An stetur dicto torti. Allegat ad hoc illud Apocal. Posthæc vidi animas interfectorum, clamantes ad Deum, & dicentes: Vsquequò

quò Domine non das iudicium, & vindicas sanguinem nostrum de interfectoribus nostris. Menochius li. 2. de arbitrar Iudic. qq. cas. 270. & Boërius plures auctoritates & experiẽtias adducunt. Marsilius in practica criminal. §. diligenter. num 181. videtur causſam referre in diuinationes & incantationes, cùm ait. Ex istis diuinationibus & incantamentis sæpè animus hominis inclinatur & inducitur ad credendum aliquid esse, vel non esse: & sic ait. Memini me alias tempore iuuentutis meæ vidisse rem mirabilem & stupendam, dum eram gubernator ciuitatis Albinganæ in partibus Ianuensium vltra Sauonam per 30. miliaria. Nam fuerat mortuus quidam homo nocturno tempore, & nesciebatur à quo: Attamen multi erant suspecti de morte sua, & quidam homo senex dixit mihi: Domine gubernator, si vultis scire veritatẽ huius homicidij, faciatis corã vobis portare cadauer illius mortui, postea faciatis vocare illos, q̃ suspecti sunt de illo homicidio, & veniat vnus post alium, vbi est cadauer illud, tunc cùm superuenit verus homicida, vulnera ipsius fluent sanguinem de nouo: Quo audito feci coram me portare illud cadauer, & feci vocare illos suspectos de vno in vnum, & cùm superuenit verus homicida, vulnera illius cadaueris inceperũt effluere, & emittere sanguinem, de quo summè fui admiratus: Attamen nihil dixi, non præstans

fidem tali rei, quæ nullibi probatur: Attamen ex post per plures dies reperta sunt indicia sufficientia ad torturam contra illum verum reum, quem capi feci: qui habita copia indiciorum, absq; tortura confessus fuit se occidisse illum hominem, &c. Dicit autem Boërius de Hippolito Marsilio, quod hoc indiciũ in exemplo relato nullibi dicit probari, eò fortè quod Doctores non vidit. Multi autem Doct. sunt pro hoc indicio, quos refert Boërius. Causa autem non videtur nisi referri posse in diuinam dispositionem, iuxta Conclusionem positam, quam approbat Iosephus loc. citat.

An maleficus illata damna restituere teneatur.

13. Præludium. *Cùm in hoc peccato concurrant homicidia, cædes animalium, & damna in temporalibus, aliaq; iniustitiæ species, nascitur obligatio restitutionis, quâ Reus facere tenetur, si potest, & eius rei confessarius eum admonere debet.*

HOC Præludium resoluitur ex eis, quæ Doctor Nauarrus in Manuali Confessariorum cap. 15. num. 25. interrogatus à quodam Patre Illustrissimi ordinis Societatis Iesv, respondet: An homicida, latro, aut alius reus, quem Iudex puniuit, teneatur ad soluendum damnum, quod parti intulit: & rectè respondet, quod teneatur. Quia lex naturalis & diuina obligat ad restituendum damnum

num parti, antequam à iudice puniantur. Et illa punitio, quæ in vindictam publicam irrogatur, est compensatio iniuriæ reipublicæ illatæ, cap. Vt famæ, de sentent. excommun. L. Ita vulneratus. ff. ad legem Aquil. quæ non liberat à debito, quo parti tenetur. Quia qui duobus res diuersas debet, non liberatur soluendo vni, quod ei debet, à debito alterius. Ex quo sequitur, qd' hæredes eius, qui decollatus est, aut incineratus per sententiam, si bona defuncti ad eos peruenerunt, obligentur ad resarciendum damnum parti illatum, sicut ad alia debita. Imò & Fiscus, si bona confiscata fuerint, tenetur prius satisfacere de damno dato. L. Non possunt. Et L. In summa, de Iure Fisci. Confirmo latius dictam doctrinam, c. in literis, secúdum cómunem DD. sententiam, & textum clarum, de Raptoribus & incendiarijs, statuitur, vt incendiario mortuo, cópellantur eius hęredes satisfacere damnis datis per incendium, aut alio modo, contra iustitiam. Ad idem propositum est cap. fin. de sepult. His accedit communis opinio Canonistarum tenẽtium, hæredes ex delicto defuncti teneri ad damni illati compẽsationem. Communem attestantur Panormitan. in d. cap. In literis, & cap. fin. de sepult. Aretin. in Rub. ff. de acquiren. hæredit. Anthon Burgensis in cap. 1. de Emptione & vendit. Didacus lib. 3. variar. Resolut. cap. 3. Iulius Clarus

lib. 5.

lib.5.sent.§.fin.q.51. num.16. Sylvest.in verbo Hæreditas 3.& alij alibi. Sicut enim hæres tenetur in conscientia satisfacere debitis defuncti, sic etiam damnis ab eo datis, iuxta Glossam receptam in Regula. Peccatum, de Regul. Iuris in 6.& res ita manifesta est ex d. Regula. Peccatum, vt nulla indigeat probatione, vt rectè Couarr.ait. Et iure manifestissimum est, eodem attestante, quod damni illati proximo à defuncto restitutio, inter verè debita computanda sit. Nemo autem quacunq; occasione si sit soluendo, liberatur à debito restitutionis. Et hoc aduertendum, quod aliud est restitutionis obligatio, siue debitum: aliud est pœna. Pœnæ enim regulariter tantum tenent suos auctores, nec grauant hæredes, nisi in aliquibus delictis. At debitum transit, sicut onus cum honore. Simile est aduertere in sacramẽto pœnitentiæ: Non per hoc, quod quis adimplet satisfactionem siue pœnam à Confessario impositam, absoluitur à restitutione debitorum, & compensatione damnorum datorum. Communior tamen est opinio DD. quos citat Couarr. loc. d. num. 8. quod hæres in his etiam non confecto inuentario, non teneatur ad plus, quàm ad ipsum peruenit, vt possit contingere in criminibus, in quibus locum habet confiscatio. Tunc enim Fiscus, vt traditum est, obligatur, aut Dominus succedens in acquisitione bonorum. Quia bona restitutioni

obno-

obnoxia, non fiunt eius, qui succedit, sed antea spectant ad creditores & damnum passos. Atque hæredes possunt compelli à Iudice Ecclesiastico, ad huiusmodi damnorum restitutionem, & coram eodem conueniri, vt probant canones in d. cap. in literis, & c. fin. de sepult. Panorm. ibid. & in c. A nobis 2. cum Hostien. Anthon. de Butrio, & Ioan. ab Anania, & communis in d. c. In literis. Anthon. Burgens. c. 1. de empt. & vendit. nu. 14. & alij alibi. Qua de causa consului superiori tempore monasterium quoddam posse conuenire coram Iudice Ecclesiastico, hęredes cuiusdam malefici, qui satis notabilem substantiam reliquerat, eò quod sanguine sibi iunctam monialem, veneficijs ita infecerat, & debilitârat, quod inutilis esset monasterio, & damna in idem satis grauia redundarent, eò quod semper ferè necessarium esset alere personam pro necessitate monialis veneficio infectæ: atq; dictus maleficus confessus fuit, se damnum consanguineæ intulisse ex quodam odio. Tales enim hæredes in conscientia tenentur ad recompẽsationem damni illati, vt dignè satisfaciant pro salute animæ defuncti, ex d. c. In literis. & communi sententia ibidem. His adiungo, contra quorundam praxim, qui magis quandoque suæ bursæ, quàm saluti animæ defuncti fauent, iniusta lucra & damna restituenda, antequam legata expediãtur, vt tradunt Sylvest. in verb.

Hære-

Hæreditas 3.q.11. Vdalricus, Hostiensis, Glos. sa, Raimundus, ab eo citati, & alij alibi. Etsi hæredes prius satisfacere velint legatarijs, pro trahendo damnum & iniuriam passos, non absoluuntur, in foro conscientiæ, vt idem Syluest. rectè dicit. Si autem esset ignorantia, excusarentur Similis est ratio, si legatarij prius venirent, & hęreditas sufficeret ad satisfactionem omnium, & non esset dolus, quod vellet sine caussa protrahere cum iniuria aliorum. Præterea dico in maleficorum crimine, hæredes non solum de iure canonico, & in conscientia teneri, sed etiam quandoque de iure ciuili, ad restitutionem damnorum Reipub. illatorum, quando videlicet ex damno illato resultat commodũ eis, vt est textus clarissimus, & DD. consentiunt. C. Ex delicto defunctor. l. 1. Vbi sic definitur. Post litis contestationem, actiones ex delicto defuncti transeunt ad hæredes, & tenentur in solidum. Alioquin in quantum ad eos peruenit, conueniri iuris absolutissimi est, ne alieno scelere ditentur. Hac ratione dico etiam de iure Ciuili quosdã Dardanarios, qui aliquando sectæ maleficorũ adhærent, vt hoc infœlicissimo tempore experimur, obligatos esse ad restitutionem magnæ partis suæ substantiæ relictæ, quam hæredes eis succedentes acquirunt, & sic obligantur etiam ad restitutionem non solùm iure canonico, sed etiam ciuili, iuxta L. d. Sunt autem

tales

les hi, qui congregationi maleficorum adsunt in cursu & conuentu, & proponunt tractatum & cõsilium de perditione frumentorum,& nascentium terræ: vt, proh dolor, non rarò fieri plurimis confessionibus discimus, alioſque inducunt ad consentiendum, quamuis DEO disponente, rixas miscendo aliquando re non confecta discedant. Dardanariorum autem intẽtio in tali consilio est, quando agitur de destructione frumentorum, vt quoniam ex eorum improba negociatione, horrea sibi frumento abundant, & cellaria vino plena sunt, fiat penuria in Repub quæ cùm annorum sterilitate,& nascentium destructione inducta est: Ipsi sua horrea & cellaria aperiunt, vendunt maximo, quo possunt,& quali volunt pretio, & paucis annis, præter iustum rerum cursum suas fortunas augent,& citius quàm humana & moralis prudentia dictet,magnas diuitias acquirunt. Voco autem Dardanarios hoc loco cum Vlpiano & DD. in l. Annonam. ff. de extraordin. criminib. qui annonam merceſq; coemptas & collectas tantisper supprimunt, dum carius eas vendendi occasio se offerat, tunc vendunt pretio quàm maximo possunt. Ab his nõ longè absunt ex eadem l. Locupletiores, qui suos fructus æquis pretijs vendere nolunt, minus vberes prouentus expectant, ab vtrisque annona oneratur, & eorum exercitium auaritia

ritia efficit ex d.lege. Dardanarij autem dicti sunt à Dardano Mago contaminatissimo & pessimo, à quo etiam magicæ artes vocantur Dardaniæ à Columella. At si nulla valet medicina repellere pestem, Dardaniæ veniant artes: Huius magi, & eius scriptorum meminit Plinius lib. 30. histor. natural. cap. 1. Dardanarios autem eos videntur vocare leges, qui ita supprimunt annonam coëmptam, quia arte magica Dæmoni coniuncti per pacta, ab eodem, qui ob subtilitatem suæ naturæ melius, quàm vllus Astronimus, potest cognoscere constitutionem causarum naturalium, & rerum copiam vel inopiam, quasi cognitionem sterilitatis hauriant, vt sic in tempore congregent & coëmant, vt deinde carius vendant & pauperum inopia ditentur. Damnant horum mercimoniam & negociationem leges in d. l. Annonam. & ff. de pœnis. in l. In Dardanarios, & alias ll. ad hũc finem allegat Bonifacius Vitallinus in tract. maleficorum, in Rubrica. Ad l. Iuliam de Annona. Sunt autem Dardanarij puniendi pœna arbitraria, pro rei qualitate, exercitij frequentia, & damni quantitate, vt tradit Menochius de arbitrar. Iudic. qq. casu 384. Quod autem Dæmon tanquam perspicacissimus Astronomus, possit prę uidere rerum fertilitatem: aut terræ sterilitatem, & suos clientulos admonere, confirmat illud lepidum de Talete Milesio Philosopho, relatum à Diogene

gene Laertio in eius vita, & ab Aristotele lib. 1. Polyt. ca. 7. Cùm enim dicto philosoho obijceretur philosophiæ studium, quasi inutile & infructuosum, prospexisse illum ferunt per Astrologiam, oliuarũ sterilitatem futuram. Cumque coegisset parum pecuniæ, hyeme adhuc vigente, oleum in Mileto & Chio emit pro paruo admodum pretio, vtpote nemine plus offerente, & arras dedit. Anno sequenti, multis subitò quærentibus oleum, ipse vendidit, quanti voluit, cùm alij non haberent, ac magnam vim pecuniarum lucratus est, quam amicis ostendit, significans perfacilè esse Philosophis ditari, si vellent, sed hoc non esse illis curæ. Sunt enim aliqui Dardanarij ita auaritia excæcati, vt sordidi lucri odorem more scarabæorum in rebus vilissimis & sordidissimis sectentur, & quærant. Nunc, vt ad propositum reuertar, quando Dardanarij sectam maleficorum sequuntur, & sunt principales in conuentibus, quando tractatur de fructuum perditione, vt ipsi lucrum consequantur, & Respublica damnum patiatur, si eorum confessione, & experientia constat effectum subsecutum: secundum legem naturalem, diuinam, & canonicam tenẽtur ad restitutionem damnorum, quæ obligatio etiam transit ad hæredes, si aliquid ad eos peruenit. Quod etiam locum habet in hoc casu de iure ciuili ex d. l. 1. C. ex delicto defunctorum: ob rationem legis.

Ne alieno scelere ditentur. Et magis corroboratur: turpia lucra ab hæredibus sunt extorquenda. ff. de calum. l. In hæredem. ff. de dolo. l. In hæredem & ff. Quod metus causſa. l. videmus. At quis dubitat huiusmodi bona esse turpia lucra, quæ cum alieno damno, & proprio scelere acquiruntur? Cùm autem huiusmodi damna redundent in singula membra Reipublicæ proportionaliter, & sit difficilis modus restitutionis, restitutio esset facienda, si prudentia dictaret in singulari fieri nō posse singulis damnum passis, ad aliquod opus publicum, aut pium, ita vt resultaret commodum etiam ad membra singularia Reipublicę. Malè ergò faceret Dominus, aut Iudex, si in suum proprium vsum reseruaret, quod ex cōmuni damno prouenit, & singulis membris esset distribuendum, pro compensatione & proportione damnorum. His omnibus addo id, quod Nauarrus loc. cit. tradit: Quod si pars læsa vellet, vt delinquens per pœnā corporalē non solum Reipub. sed etiam sibi satisfaceret, cessaret obligatio restitutionis. arg. l. 1. ff. Qui satis dare coguntur. & l. Si rem. §. Omnis. ff. de pignor. act.

De foro competenti maleficorū & sagarum:

14. Prælud. *Crimina maleficÿ, sortilegiorum, Magiæ & similia sunt cōmunis fori;*

VT tradunt Panorm. in c. 1. de sortilegijs & alij Doct. Alphons. Castren. lib. 1. de iusta hæret.

hæret. punitione. ca. 16. prope finem. Iul. Clar. li. 5. §. hæresis. vers. Successiuè quæro. Qua parte enim maleficia spectant ad hæresim, vel sapiunt hæresim, cognitio ad Ecclesiasticum iudicem spectare potest, vt patet ex lib. 6. de hæret. c. In fidei fauorem, & cap. Accusatus. §. sanè. & ex praxi Ecclesiæ, & Bulla Innocentij VIII. præfixa Malleo maleficorum. Quatenus verò admiscentur homicidia, cædes animalium, tractatus contra bonum Reipublicæ, damnaq; contra iustitiam & communem pacem, immittere se possunt ad inquirendum & puniendum iudices sæculares. Et ita nunc consuetudo ferè vbiq; obtinuit. In aliquibus tamen locis inquiruntur ab Ecclesiasticis, & post cognitionem traduntur brachio seculari sicut in crimine hęreseos fieri consueuit. Quãdo autem sortilegia, diuinationes, maleficiaq; sapiant hæresim manifestam, vel spectent ad hæresim, legendi sunt Panormitanus loco citato, numero 4. Petrus Ancharan. in eod. Tit. cap. Ex tuarum. nu. 6. Paulus Grillan. lib. 2. de Sortilegijs latissimè q. 10. num. 5. 10. & 18. Franciscus Squillacens. in tractatu de fide Catholica, à cap. 8. qui habetur in 3. vol. Oceani iuris, fol. 111. Oldradus de ponte, consil. 210. num. 2. incipiente, Regularis habet traditio. Philippus Francus in l. 6. cap. Accusatas. §. sanè. de hæret. Geminian. & alij ibidem. Ex horum Doctorum opinione & sententia certum est, quod

manifestam sapiant hęresin, abrenũciare Deo, sacrificia offerre diabolo, eundem adorare, obedientiam eidem præstare, expressa pacta cũ eo inire, &c. Peius enim est, vt docet Grilland. loc. citat. nu. 18. adorare diabolum, quàm esse hæreticum. Sic etiam committitur hæresis in abusu sacramenti Eucharistiæ, iuxta Gloss. in d. §. sanè. Quare euidentissimum est, communiter ea, quæ nostri malefici operantur, manifestam sapere hęresim, & compræhendi sub d. c. Accusatus. §. sanè. Dicet aliquis, cùm hoc crimen ad hæresin referatur, vt constat ex dictis, & etiam pro pęna eius, vt patet ex l. 3. C. de malefic. & mathem. Confiscatio bonorum sit statuta: quomodo bona non confiscantur? Respondet Iulius Clarus & tradit loco citato: hanc pœnam de consuetudine non seruari, & sic in iudicio praxim esse. Possumus nos dicere sic in hoc crimine, sicut in alijs multis, abrogatam esse iustissimè Constitutionibus Imperialibus Caroli V. cõfiscationem bonorum, vt est videre in artic. penult. Sed sicut in omnes constitutiones etiam iustissimè, ad obuiãdum fraudibus & iniustitiæ, inuectas, humana auaritia dolos inducit: sic etiam in executionem causarum criminalium. Quidam enim iudices cùm ex confiscatione bonorum nihil habere possint, sub alijs coloribus vel expensarum vel vacantiarum aut laborum in rei veritate, quod abominandum est, & contra iusti-

tiam

tiam & æquitatem, ita confiscant Reorum bona, vt pupilli & viduæ non rarò ad summam necessitatem redigantur. Quare cum honore, rebus temporalibus, omniq́ue consolatione priuentur, noua præbetur diabolo ad tentandum occasio. Quibus autem tales Iudices cõparentur, qui pro executionibus sic sub cæco titulo pauperes emungunt, quamq́; iustè faciant, videat, qui voluerit, in Constitutionibus Criminalibus Caroli Quinti, in articulo 205.

Vlt. Præludium. *De caussis dispositiuis ad crimen maleficorum.*

Generalis caussæ dispositiuæ in Dæmonibus, odiũ Dei & hominum.

PRIVSQVAM hæ caussæ in specie attingantur, præsupponendum, Dæmones esse infensissimos humani generis hostes, & quicquid moliantur quocunq; colore vel arte, dirigere in perniciem hominum. Huius autem odij principales duæ sunt caussæ. Vna, odium Dei, cuius acerrimi sũt inimici, vtpote à summa fœlicitate, peccatis exigentibus, detrusi in perpetuam miseriam. Cùm verò diuinę Maiestati nihil nocumenti inferre possint, hominẽ ad similitudinem Dei creatum crudeli odio insectantur; non secus, vt Basilius ait, ac pantherę, quę cùm immani odio in homines à natura incensæ sint, in hominum simulachra furibundè irruunt, nec aliter eorum effigiem,

quàm homines ipsos, dilacerant. De hoc odio Ioan. in Apocal. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam. Altera causſa est, quia cognoscunt homines assumendos ad cęlestem beatitudinem, quam ipsi perdiderunt, inuidẽt hominibus tantum bonum: quare omni modo eos impedire conantur, ne illud consequantur.

Tandem cùm eius sint naturæ dæmones, vt nunquam dormiant aut dormitẽt, semper discurrunt quęrentes quem deuorent, cautè perlustrando complexiones, naturas, affectus, curas, consuetudinesque vniuscuiusque vt singulorum complexionibus, affectionibus & moribus, oportunas & affines tentationes accommodent, more peritissimi & expertissimi medici, qui antequam remedia adhibeat, pulsum infirmi tangit, membra contrectat, lateribus manus admouet, linguam inspicit, oculorum colorem attendit, omniaq; alia aut sanitatis, aut morbi indicia perscrutatur, vt cognita infirmi complexione, aut morbi natura, conuenientes medicinas præbeat. Sic Diabolus lætis luxuriæ; cupidis auaritiæ; tristibus iracundiæ vel inuidiæ, ambitiosis inanis gloriæ; curiosis pernicioſæ scientiæ faces admouere consueuit. Sic atteſtatur Gregor. super Iob. 38. cap. in illa verba: Diuiditur æstus super terram. Prius enim, ait, complexionem vniuscuiusque antiquus aduersarius per-

perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius timidis moribus alius elatis existit. Quò ergò occultus aduersarius facilè capiat, vicinas conspersionibus deceptiones parat. Quia enim lætitiæ voluptas iuxtà est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit: Quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrorem intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quęque voluerit, blandis fauoribus trahit. Singulis ergo hominibus, vitijs conuenientibus insidiatur: Et S. August. lib. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 6. his breuibus verbis. Maximè autem possident (loquitur de Dæmonibus) corda mortalium, qua potissimum possessione gloriantur, cùm se transfigurant in angelos lucis. Illustrat hoc diaboli studium apparitio illa, de qua in vitis patrum, vnde eam narrat Marcus Marulus lib. 5. de ratione bene beateque viuendi, cap. 7. Apparuit B. Machario in specie medici malignus, multas habēs vitreas ampullas circum se pendentes: & interrogatus quò pergeret, quidque sibi vascula illa vellent: Ad proximum monasterium iter se habere respondit, vt fratribus singulis offerret potiones pro eorum appetitu, quas si haurirent, sibi obnoxios redderet. Non multò pòst, Macharius inde reuertentem conspiciens, quid egisset, quæsiuit.

Cui ille respondit, vnum tantum, nomine Theodosium, ampullæ veneno delinitum, Macharius statim monasterium adiens, veritatem rei inuenit, & effecit vt frater totum, qd venenum imbiberat, medico tam infausto propinante, medicina salutari sumpta à sancto viro euomeret, seq; emendaret. Nunc de caussis particularibus, quarum:

Particularis 1. caussa dispositiua est cleri insciti Osc. 4.

Prima sit, *vt à summa incipiamus. Ignorantia in ministris Ecclesiæ, qui salutem hominum promouere debent.*

Atqve hanc indicat Oseas, dicens: Quia non est scientia Dei in terra, ideò maledictio, & mẽdacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt: Vbi certè Propheta loquitur de ignorantia Sacerdotum, nam statim subiũgit: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Quod & Christus in Euangelio innuit, Matth. 6. Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Atq; vt hæc caussa intelligatur, sciendum, vt possimus stare, secundum Apostolicam doctrinam. Ephes. 6. & rei veritatem, aduersus insidias diaboli, spiritualia nobis necessaria sunt arma. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum,

harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Cùm igitur hostes, cum quibus nobis assidua pugna est, sint spirituales, corporalibus armis lædi non possunt: spiritualia ergò arma comparãda. Quod idem Apostolus cùm prosequitur, significat. Propterea, inquit, accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare: state ergò succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei: hæc Paulus. Ex his patet, gladio verbi Dei & S. Scripturæ in hac militia spirituali hostem esse feriendum. Verbum enim DEI detegit fallaciam & mendacia, quibus mortales fallere, in suos laqueos perducere, in falsam spem, pernicioſam incredulitatem siue superstitionem, tristitiam aut desolationem, aliasq; eius generis affectiones pertrahere solet. Cùm itaq; hæc armatura ex sacris literis, doctoribus atq; mysterijs nostræ fidei petenda sit, ignota est indoctis & ignaris Ecclesiæ ministris. Quomodo enim præstantiam mysteriorum fidei, virtutum præclaros effectus, sacramentorum efficaciam, ac sacramẽtorum salutarem vsum, quæ omnia sunt arma contra

aëreas potestates, rudi & simplici populo explicabit, proponetq; rudis in scientia sacrarum literarum? Atq; sic contingit, cùm ignoti nulla sit cupido, nec appetitus noster nisi in bonũ ab intellectu cognitum feratur, quod simplex populus nullum ex spiritualibus rebus percipiat fructum, nec earum vsu salutifero delectetur: & sic margaritæ sparguntur ante porcos.

Ad hæc sicuti exercitatissimi ducis in militia est, explorata habere hostium consilia, eorum nouisse fortitudinem, copias, & stratagemata, vt suis possit præuidere de securitate, & inimicis pro oportunitate occurrere, aut insidias declinare: sic spiritualis Imperatoris munus est spiritualium inimicorum callere insidias, potentiam, crudelitatem & in pugnando peritiam, vt suos oportunis armis, & ad pugnam aptis instruat, ne cum vitæ periculo se tradere, aut desperatione de victoria concepta, turpi fuga sibi consulere cogantur. At hæc scientia longè abest ab indoctis sacerdotibus, qui ne quidem à limine salutârunt sacra eloquia, & Sanctorum Patrum monumenta, ex quibus cognitio diaboli fraudes discernendi hauritur. Quis etiam ita à sensu alienus est, qui non animaduertat, ex tenebris ignorantiæ in sacerdotibus, sequi etiam opera tenebrarum in conuersatione & moribus? Ex quo fonte fluit, vt rudes ex populo, quan-

docti-

do tentationibus inimicorum pulsantur aut vincuntur, pudore & timore suffundantur, nec audeant secreta suorum interiorum aperire: vel certè si aperiant, ignorantia efficit, vt congrua remedia & salutis consilia habere nequeant. Atq; hanc ministrorum Ecclesiasticorum ignorantiam astutissimus artifex studiosè procurasse videtur, vt eò melius contra simplices triumphet, dum inermes sunt, & ad certamen inepti. Hoc Dæmonum stratagema diuina historia significat: Philistæi in lib. Regũ, callidissimè curârunt, ne esset faber ferrarius in Israel, qui arma fabricaret: quare effectum est, vt cùm Philistæi instructa acie ad pugnandum contra filios Israel procederent, solus Saul & Ionathas eius filius armati inuenti sint. Simili arte instructi spirituales Philistæi nostris temporibus curârunt, vt non sint fabri, id est, legum interpretes & Doctores in populo Dei, qui arma cudant quibus fideles muniti, hostes profligent. Fabri rectè intelliguntur Doctores, vt pulchrè secundum mysticum sensum tradit Pagninus in Isagoge ad mysticos S. Scripturæ sensus, lib. 3. cap. 1. Ex his causis sequitur, vt in scientia & moribus in pluribus locis, sicut populus est, sic & sacerdos, vt Propheta prosequitur. 1. Reg. 13.

Secunda causa. *Somnus in magistratu diuturnus.* 2. Causa magistratus negligentia.

DVM

Dvm Magistratus dormit in vtramq; aurem,& oculis clausis pertransit maleficia, tanquam somnia nihili reputans, sed negligés, inimicus homo superseminat zizania, & regnum suum dilatat. Officium enim Prę sidentium tam ex lege diuina, quàm humana est, inquirere scelera & maleficia, vt Respublica purgetur à malefactoribus, ex L. Congruit. ff. de offic. præsid. & gladium magistratus portat in vindictam malorum, laudem verò bonorum. Quem finem si non attendit, sine causa gladium portat, & seueriſſimum diuinę maiestatis in se concitat furorem, cùm numerus impiorum crescat, bonorum verò societas diminuatur, scandalum patiatur, atq; peruertatur, præsertim cùm maleficorum secta cum diabolo in hominum subuersionem conspiret, & sicut annulus annulum, ita malefica sociam trahit, vt ex ipsarum relatione & factis discimus. Hinc videmus aliquando integram familiam infectam, & quod horrẽdum dictu, matres quandoq; Dæmoni consecrare infantes necdum natos. Ex puniendi tarditate, & dissimulatione quomodo Deus maximè in hoc crimine offendatur, ex sacris literis clarissimè, si oculos aperiamus, perspicimus. Sic enim, cùm fornicatus esset populus cum filiabus Moab, & adorasset Deos earum, & Principes punire dissimulassent, furore concitatus Dñs dicebat ad Moysen: Tolle cunctos prin-

Rom. 13.

Num. 25.

cipes

cipes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël, & occidat vnusquisq; proximos suos. Quibus auditis Phinees zelo diuino correptus, vltione sumpta Dominum placauit, & cessauit plaga à filijs Israël, cùm perijssent viginti quatuor milia hominum: quanto quæso, furore Dominus concitatur? quantis plagis afficiemur? (quamuis etiam maximas, vtpote sterilitatis, depopulationis agrorum, famis, pestilentiæ, & plurimorum periculorum pœnas oculis nostris cernamus) quod Magistratus dissimulet multis in locis fornicari multos cum diabolo, eiq; sacrificia offerre: Deum verum cõtemni, & nefandis sceleribus irritari, aliaque plurima flagitia, quæ nemo cogitatione comprehendere, nisi à Dæmone instructus sit, potest, committi.

Ad hæc, si Dominus præcipit Iudici, vt falsum Prophetam & somniatorem seducentem populum post Deos alienos, sine mora interficiat, & filios Belial cum assectis suis gladio & ignibus persequatur, & solicitè inquirat, ad euertendum furorem suum: Quomodo ira nõ commouetur Deus, quod multi iudices somniatores nostros, Magos & maleficos, filios nõ solùm Belial, sed etiam socios Beelzebub, Beemoth, Astaroth, aliorumq; mõstrorum, multos non solum ex vrbibus, sed omnibus locis seducentes ad dæmones, & eorum miseram *Deut. 13.*

serui-

seruitutem, somnolentia oppressi desinant inquirere? Atque cùm verba Deuteronomij maximam vim & Emphasim ad præsentem materiam quasi diuino nutu accommodata habeant, placet ea subiungere. Si audieris, inquit, in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad inhabitandum, dicentes aliquos. Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atque dixerunt: Eamus & seruiamus Dijs alienis, quos ignoratis, quære solicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc operè perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt, vsq; ad pecora, &c. Congrega bis in medio platearum, & cum ipsa ciuitate succendes, &c. Et non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicetque te, sicut iurauit patribus tuis. Hæc summi legislatoris verba iudices attentè considerent. Audiunt, & experientia cognoscunt, filios Belial & aliorum Dæmoniorum frequentissimè egredi de medio populi, & auertere multos habitatores, atq; inducere ad sacrificandum Dęmonibus, & in conuentibus alia abominanda perpetrare, & inueniunt certum esse, quod dicitur, & tamen non solicitè sed negligẽter inquirunt: nec statim, sed tardè

ad ex

ad executionem iustitiæ procedunt, & ex contextu notandum, ad auertendum furorẽ Domini necessariũ esse, ita tales extinguere & delere, vt ne reliquię quidem maneant: tunc Dominus miserebitur, & multiplicabit bona.

Tertia causa est, *Infidelitas.*

QVAE innuitur in c. Epis. 26. q. 5. Quando enim mentem, inquit, per infidelitatem sibi subiugauerit, per multa deuia deducit. Fides enim est scutum, quo mediante homo Christianus potest omnia tela nequissimi ignea repellere: hanc infidelitas, & falsa credulitas labefactant, & dæmonibus portum tentandi aperiunt. Ad infidelitatem reducere possumus superstitionẽ, quæ infidelitatis quædam protestatio est, per cultum exteriorem: sicuti religio, qua Deo debitum cultum impendimus, fidei veræ signum est. Quare rectissimè S. Bonauentura docet, quòd sicut in fide intellectus captiuatur: sic in superstitione errore inflatur & eleuatur. Nec mirum videatur, quod superstitio præludium & quædam dispositio ad maleficia sit, cùm nulla sit superstitionis species, quæ non procedat ex quadam pestifera & dolosa societate cum Dæmone. Qui autem tám infœlicem societatem contrahit, quomodo non decipietur? Callidissimus est Dæmon, non procedit ab extremo ad extremum, sed à minimis incipit, & pau-

& paulatim ad maxima perducit. Sic per ſu-
perſtitionem in primis mentem eò impellit,
vt ſibi fides habeatur, & veræ fidei fundamen-
tum infirmius reddatur. Atq; cum materia ſu-
perſtitionum affinis ſit maleficio, aliquid la-
tius de ſuperſtitionibus adijciendum.

De ſuperſtitione, quid ſit, quot eius ſpecies.

Superſtitio eſt peccatum contra primum
præceptum Decalogi, quo præcipitur religio
quæ homines ordinat ad colendum & hono-
randum Deum debito modo, tanquam pri-
mum ſupremumq; principium creationis &
gubernationis: Superſtitio autem inducit ho-
mines ad reddendum Deo cultum pernicio-
ſum, vel ſuperfluum, vel ipſi creaturæ, tacitè
vel expreſsè. Quatuor ſunt ſuperſtitionis ſpe-
cies, quas ponit S. Auguſtin. lib. 2. de doctrina
Chriſtiana cap. 20. & explicat S. Thomas 2. 2. q.
92. art. 2. Idololatria, Diuinatio, Indebitus Dei
cultus, & vana obſeruantia. Idololatria eſt,
quando alteri quàm Deo, diuinus cultus ex-
hibetur, & eſt grauiſsimum peccatum, vt patet
paſſim ex libris veteris teſtamenti. Hanc ma-
lefici & ſagæ exercent, quando dæmonem ad-
orant, vel ei ſacrificium offerunt, aut homa-
gium præſtant. Ex dicta definitione elicitur
non eſſe idololatriam, ſanctis cum Chriſto
regnantibus honorem debitum impendere,
quia ipſis inferior cultus, & non diuinus ex-
hibetur.

Idololatria.

Diuinatio.

Diuinatio, eſt rerum occultarum, vel fu-
tura-

turarum, quæ via humana sciri non possunt, per virtutem Dæmonis, eiusq; auxilium, cognitio, vel prænunciatio. Ad hanc speciem pertinent præstigium, Somniorum obseruatio, Necromantia, Gæomantia, Hydromãtia, Aëromantia, Astronomia illicita, Augurium, Omen, Chiromantia, Spatulantia, Sortilegium. *&c.* de quibus videndi sunt Isydorus li. 8. Etymolog. cap. 9. & S. Thomas 2. 2. q. 95. artic. 3.

Indebitus Dei cultus est, quando homo colit Deum modo indebito, & est duplex. Falsus, vt si quis nunc Deo offerret sacrificia veteris legis, vel in diuinis vteretur cæremonijs infidelium: & superfluus, qui perficitur cæremonijs, quæ neque ad Dei gloriam, neq; ad hoc, vt mens Deo subijciatur, aut carnalis concupiscentia refrenetur, secundum Dei & Ecclesiæ institutionem approbatam, ordinantur. *Indebitus Dei cultus.*

Vana obseruantia est, in qua semper tacitè inuocatur Dæmon, quando videlicet caussæ vel media assumuntur ad effectus producendos, qui nec virtute diuina, nec naturali, aut Ecclesiastica institutione habent ordinem ad tales effectus. Ad hanc spectant ars notoria, obseruantia sanitatum, Incantatio, obseruantia futurorum effectuum, &c. *Vana obseruantia.*

Cùm superstitiones sint laqueus & insidiæ antiqui hostis, quibus genus humanum deci-

perenitit, vt refertur 26. q. vltima, cap. Admoneat: placet exemplo S. Augustini lib. 2. de doct. Christ. cap. 20. qui sui temporis multas enumerat, nostri etiam aliquas oculis subijcere, vt boni cognoscant & euitent: mali verò videant, quibus vinculis ligentur, & fraudibus decipiantur. Hi sequentes omnes sunt superstitiosi, nec solùm exercentes, sed etiam fidem habentes. Nam similes illis fiunt, qui faciunt, & omnes qui confidunt in eis.

Exempla superstitionū.

1. Qui dæmones adorant, sacrificium eis offerunt, honorem impendunt, expressè, vel tacitè inuocant: consilium, auxilium, aut fauorem ab eis quærunt.

2. Qui futura prædicere volunt, vel magos accedunt, aut Ariolos, aut incantatores, vt occulta cognoscant, vel secreta reuelent, vel cōsilium præstent.

3. Qui aliquam virtutem somnijs tribuunt, vt quia somnium habuerunt tale vel tale, fœlicitatis aut infortunij quippiam euenturum, credunt.

4. Qui per inspectionem membrorum, aut partium animalium, futura prædicunt, aut de rebus futuris, ex euentu præcedentium, pronunciant.

5. Qui accedunt ad vagabundos illos, quos Galli AEgyptios, Itali Cingaros, Germani gentiles appellant, vt ex figuris manuum, faci-

ciei constitutione, vel corporis statura fortunam faustam, vel infaustam annuncient.

Qui obseruant dies aliquos certos Conuersionis Pauli, Vincētij, Vrbani, Martyrum, vel aliorum, in quibus si pluat, vel cœlum serenum sit, serenitatem, fertilitatem, sterilitatem, vini copiam, vel inopiam, vel per spaciū aliquot dierum continuam pluuiam prædicunt. Qua de causa superstitiosi sunt versus illi, de festo Conuersionis S. Pauli. 6.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si nix, aut pluuia, designat tempora cara:
Si fuerint venti, designat prælia genti:
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæq;.

Qui colligunt herbas in die S. Ioannis Baptistæ, ad singulares quosdam effectus, credentes tales esse maioris virtutis: vel inserunt arbores ipso Annunciationis Mariæ, existimantes hoc melius: Aut in festo S. Stephani, ex eadem causa diminuunt sanguinem equorum: & de similibus simile est iudicium. 7.

Qui oblationes faciunt sanctis ex bonis Eleemosyna petitis, credentes eas maioris esse virtutis ad consequendum effectum: aut crucem S. Bernardi emptam ex Eleemosynis, sanctiorem putant: aut offerunt in honorem sanctorū cæram, vel aliam rem coniunctam crinibus animalis ægrotantis. 8.

Pium autem est, & ab vniuersali Ecclesia receptum, in templis post impetratam sanita-

tem oculorum, aut pedum, aut manuum, aut animalium, aliarumque rerum simulacra suspendere ex auro, argento, cera vel alia materia confecta, ad laudem & gloriam Dei & sanctorum, vt sint adeptæ sanitatis manifesta indicia. Gratissimè namq; accipit Dominus eorum qualiacunque sunt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur: quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt à sanitatem consecutis allata. Hæc, sepultorum ibi martyrum quæ sit virtus, ostendunt, vt optimè tradit Theodoretus Cyrensis Episcopus, lib. 8. de curatione Græcarum affectionum.

9. Qui obseruant quosdam dies fastos, aut infastos ad ingrediendum iter: aut constituunt differentiam, an quis manè surgens dextro vel sinistro pede in primis terram tangat, aut quem postponat aut anteponat, egrediendo limen ædium. Ad hunc ordinem referre possumus eos, qui obseruant modum capiendi Sagas, vt eas vel in lecto capiant, vel eleuent in altum, ne terram calcent, quicquid quidam doceant: cùm, vbi eadem ratio militat, idem ibi ius statuendum sit.

10. Qui vel quæ submergunt imagines in aqua pro pluuia habenda, vel faciunt quasdam ligaturas & diabolicas cæremonias, ne lac integro

tegro anno vaccis subtrahatur opera maleficarum: aut certis diebus summo diluculo scopis olera tangunt, ne erucæ, ciniphes, vel alia imperfecta animalia oleribus & herbis nocumenta inferant.

Qui, cùm herbas colligunt medicinales, & eas vulneribus adhibent, fiduciam ponunt in modo ligaturæ, vel numero partium, vt numerus par vel impar sit: vel in herbis colligendis obseruant, vt ante solis ortum id fiat, vel certo die; vt die veneris, aut solis, vel tacẽdo colligant, *&c.* Quod autem medicus herbas colligat potius in Maio vel Aprili, quàm in Augusto, aut hyeme, id non superstitionis sed medicinæ est: quia tam ratio naturalis, quã medicina dictat, quibusdam anni temporibus, virtutem in herbis esse potentiorem ad naturales effectus. 11.

Qui certam fiduciam constituunt in quibusdam nominibus scriptis, vel verbis etiam sacris, aut characteribus, vt non vulnerentur, mutilẽtur, aut occidantur: aut qui (quod horrendum dictu est) in die Parasceues sanctø adeũt crucem aliquã in biuio, vel triuio, & bombardam post terga in crucem emittunt, vt deinde quemcunque velint scopum attingant: aut in nocte S. Ioannis certas quasdam herbas diabolicis cæremonijs colligunt, quibus ad detestabiles effectus vtantur. 12.

Qui metiuntur cingulum ægrotantis, vt 13.

cognoscatur, quis sanctus sit honorandus, ad consequendam sanitatem, certis adhibitis ritibus: aut bipenni stramen diuidunt, ad curandum tumores manuum & digitorum, aut ad sanandos certos morbos animalium, impellunt gregem in ignem ex singularibus lignis instructum, vel per circulum ducunt, & tunc animal, quod primùm fortè fortuna sortitur locum in transeundo, offerunt in honorem sanctorum. His accedunt, qui pro quibusdam capitis doloribus & similibus morbis curandis, ad porcorum lintrem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, collum applicant.

14. Quicunque credunt maiorem virtutem inesse aquæ benedictæ Dominicis sequentibus quatuor tempora, quàm alijs, ad speciales quosdam effectus: aut nolunt die Veneris vngues præscindere, aut Sabbato filare, & interim ab alijs seruilibus operibus non abstinent.

15. Qui fidem adhibent probationi ferri candentis, vel aquæ frigidæ in maleficis cognoscendis, de quibus prope finem infra latius. Nec non etiam qui admittunt & fidem tribuunt, quod quidam tortores siue carnifices quosdam potus ad eliciendum confessionem maleficorum adhibent.

16. Quicunq;, cùm audiunt picam vociferantem circa ædes alicuius, mortem prædicunt

breui

breui imminere: aut quia canem audiunt vlulantem, pestem præsagiunt: aut quia obuiam venit lepus, mali aliquid instare ominantur. Similes & alias multas vanas superstitiones & magicas artes solent exercere, qui artem venatoriam sequuntur.

Huiusmodi & similes artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitiones ex quadam pestifera societate hominum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano, vt decernitur 26.q.2.cap. Illud ex August. Atq; hoc addiderim, superstitiones tanto esse periculosiores, quanto plures res sacræ adhibentur. Quia hoc Diabolus maximè intendit, vt vel sub specie pietatis decipiat: aut res sacras ad humanam salutem ordinatas, in peruersum vsum redigat.

Dicit aliquis: Eueniunt tamen aliquando effectus in dictis operibus. Quandoque enim futura prædicunt, aut ægris sanitatem restituunt, &c. Respondetur in cap. Nec mirum 26. q. 5. ex August. hoc fieri permissione DEI, vt ipsi, qui hoc audiunt, vel vident, probentur, & appareant, qua fide & deuotione sint erga Deum, an etiam facilè moueantur & sequantur Deos alienos, sicut in Deuteronomio Moyses ex verbo DEI populum instruxit, cùm inquit: Si surrexerit in medio tui Propheta, &c. De varijs superstitionibus

obseruationibus dierum, collectionibus herbarum, diuinationibus, augurationibus auiũ & incantationibus: ex August.26.q.7.ca.Non obseruetis, dicitur: Qui aut talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, aut interrogant, sciant se fidem Christianam & Baptismum pręuaricasse; & vt paganum & apostatam, id est, retrò abeuntem, & Dei inimicum iram Dei grauiter in æternum incurrisse; nisi Ecclesiastica pœnitentia emendatus, Deo reconcilietur.

Quoniam his addi possent, iuxta D. August. doctrinam lib.2.de doctrina Christiana c.20. & quotidianam experientiam, milia immanifsimarum superstitionum, nec facilè cognoscantur à multis, placuit ex Doctorum sententia regulas subiungere, quibus dignoscatur, an aliquid sit superstitiosum, vel non: quarum sit

Regula dignoscendi superstitiosa à non superstitiosis.

Prima. Quoties aliquis effectus rei tribuitur, qui non conuenit ei secundum suam naturam inditam, si per Ecclesiæ definitionem, sacram Scripturam, aut laudabilem consuetudinem non constat fieri à Deo; vt accidit in sacramentis & sacramentalibus: Habendum erit tanquam superstitiosum.

Secunda. Si effectus naturalis tribuitur alicui rei, quem constat habere ex natura rei, non est superstitio. At si attribuitur aliquibus rebus, vt signis, vocibus, vel characteribus, aut si si-

si fides postulatur ad productionem effectus, superstitio iudicanda est.

Tertia. Si res naturales vel artificiales, vt imagines, signa, vel characteres adhibeantur ad productionem supernaturalium effectuũ, vel motum liberi arbitrij flectendum, vel diuinandum, aut ad efficiendum spirituales effectus tam in nobis quàm alijs, nisi fiat modo in prima regula significato, secundum sacram Scripturam, Ecclesię definitionem, aut approbatam consuetudinem: superstitiosum erit tenendum

Quarta. Quando quis vtitur verbis sacris, aut etiam orationibus, alijsque pijs operibus, in rebus vanis, neque ad diuinum honorem & cultum pertinentibus; est superstitio, quia callidus serpẽs, miscet vanis & malis bona & pia, vt simplicibus cautius sub specie pietatis imponat.

Quinta & vltima Regula. Quando quis exercet aliquod opus, ad aliquam abstinẽtiam, vel corporis exercitium pertinens, videndum est vt refrenet carnalis concupiscentiæ motum, modo virtuti congruo, secundum Ecclesię ritum & moralem doctrinam.

De materia superstitionum legendi sunt. S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana à cap. 20. S. Thomas 2. 2. à q. 92. per aliquot qq. Ioannes à Turrecremata super decreto, 26. causa cum textu. Syluester Prieras in summa,

verb. Superstitio, Incantatio & maleficium. Martinus Arles in Tractat. de Superstitionibus, qui habetur in Oceano Iuris, vol. 10. Martinus Nauarrus in Manuali Confessariorum, cap. 11. à num. 22.

4. caussa dispositiua, Curiositas.

Quarta caussa dispositiua ad maleficia est *Curiositas, quæ his portentis illuditur per Dæmonum fallacias, quando id imprudenter appetit scire, quod ei nulla ratione competit inuestigare. ex d. cap.* Nec mirum.

HAEC potestas immundis spiritibus ideò datur, vt peruersos sibi aptent, hoc est, prauos homines seducant, illos scilicet, qui spernunt veritatem, & credunt mendacio, nec sanam doctrinam ferunt, sed ad sua desideria coaceruant sibi magistros prurientes auribus, & ad fabulas conuertuntur, onerati peccatis ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, nunquam ad scientię veritatem peruenientes, iuxtà Pauli sententiam. Hinc in d. cap. Nec mirum, ministerio Dæmonis in primis à Chaldæis traditur inuenta magia, eo quod ipsi cæteris essent magis curiosi. Et Augustin. lib. 10. de Ciuitate, cap. 9 incantationes & carmina nefariæ curiositati tribuit. Ac clarius lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 22 &

22 & 23. quod ita incipit. Hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluptatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus angelis: quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur, neq; aliter accidant, quàm dicuntur, multaq; obseruantibus secundum obseruationes eueniant, quibus implicati, curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis pernicioſissimi erroris, &c.

Consentit his pulchrè Guilhelmus Parisiensis in lib. de Legibus, folio 35. columna 2. Scito, inquit, quia omne genus peccati idololatriam prouexit: Sicut euidenter apparet de curiositate, quæ est libido sciendi non necessaria. Tanta namque libido sciendi futura, & alia cordium occulta, quorundam hominum inflammauit animos, vt huius scientiam, execrabili animarum suarum commercio à Dæmonibus mercarentur. Propter quod & ipsi naturæ humanæ inimiciſsimi Dæmones, sacrilega opera excogitauerunt, eisque se placari, & induci posse hominibus suggesserunt: Impetra-

petrariq; posse ab ipsis scientiam futurorum & aliorum occultorum. Inde processerũt nefandissima illa opera, quæ etiam vulgò nominatissima sunt: videlicet inspectio speculi, inspectio spatulæ, inspectio vnguis, videlicet vt furta, & alia occulta inuenirentur, in quibus omnibus Diabolicorum sacrificiorum impietas partim latet: & partim omnibus manifesta est, si perfectè scripta inueniantur. Ex hac eadẽ peste curiositatis processit liber maledictus, & execrabilis, qui dicitur liber sacratus. Similiter & alius, qui dicitur (speculum) ab omnibus, in quibus præterita, præsentia & futura videri ipsi auctores eorum Dæmones promiserunt. Sunt & aliæ huius pestis innumeræ, per quas curiositatis initium stragem animarum inæstimabilem fecit: hæc Guilhelmus. Atq; occasione curiositatis arbitror non rarò doctos & magnos ingenio capi à Dæmone. Tentat enim eos curiositate, vt velint cognoscere, videre, & experiri noua, inusitata, & rara. Quare Apostolus admonet Rom. 12. non plus sapere, quàm oportet. Curiositati adiungi potest latens in multis cordibus intolerabilis superbia, quę Domino Deo in summo gradu displicet, & Dæmonibus maiorem in modum placet.

3. Causa est auaritia.

Quinta causa est: *Insatiabilis amor congregandi diuitias.*

QVAM

QVAM satis superq; S.Paulus indicat, cum ait: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. *Hæc Apostolus.* Auaro enim nihil scelestius, qui etiam propriam animam venalem exponit, vt pecunias congreget: Quod Dæmoni optimè constat, atq; sic insatiabili appetitui tentationem congruam obijcit, vt in laqueum eum pertrahat. Inueniuntur quidam ita auaritia excæcati, & miseri, quod mãmonę Deo nummorum sacrificent, vt diuites efficiantur, quorum meminêre Ioannes de Friburgo in summa Confessariorum li.1.tit. 11.q 25. & Paulus Grillandus lib.2. de Sortilegijs, q.11.nu.25. Auaris & alijs. qui rerum inopia laborant, vt supra significatum est, Dæmon quandoque diuitias promittit, sed non præstat. Confessa est etiam inter alia puncta Meisenbeins Anna / cuius suprà mentionem fecimus, quod si in principio sui casus non nimis bonis temporalibus acquirendis dedita fuisset, & Mammonæ inseruiuisset, faciliter se cum gratia Dei ad cor redituram fuisse. Remedium contra hoc malum subiungit Apostolus, cum ait. Tu autem homo DEI, hæc fuge: Sectare verò iustitiam, pietatem, fi- 1.Tim.6.

dem,

dem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

6 Causſa, Luxuria.

Sexta Causſa est, *Luxuria, seu carnis voluptas.*

HAEC multum efficax est ad hominem capiendum & detinendum. Sic Balaam, cap. 24 & 25. in lib. Numerorum: filios Israël mediante fornicatione cum filiabus Moab, induxit ad idololatriam. Hoc enim vitium sapientes & insipientes, ignobiles & potentes deijcit. Quis enim Salomone sapientior, & Samsone fortior? & tamen vtrunq; vicit luxuria: bene ad hoc propositum facit illud Eccles. 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapiẽtes, & luxuria Salomoni causſa fuit colendi Deos alienos, vt constat ex lib. 3. Reg. ca. 11. Tobiæ. 6. Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus Dęmonium pręualere potest. Hi namq; qui cõiugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos. Quomodo hoc peccatum non solũ causſa incidendi, sed etiam perseuerandi in malo sit, optimè ex saeris literis tradit Gulielmus Peraldus, Episcopus Lugdunens. in summa virtutum & vitiorum, tomo 2. tract. 3. ca. 3. Atq; id Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 39. satis etiam attestatur, dum ait. Maximè per carnis

carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quàm per cætera vitia. Dæmones scientes pulchritudinem esse animæ, castitatem, & per hanc hominem angelicis meritis, è quibus illi lapsi sunt, coæquari, liuore percussi inuidiæ, inijciunt per sensus corporis, opus desiderium q; libidinis, quatenus à cœlestibus deorsum deiectam animam pertrahant, secum que quos vicerint, gloriantes ad tartara ducant. Nouit optimè Dæmon, vehemẽtissimum esse carnis ardorem, & animum, quem occupauerit, non facile liberari. Etenim vt S. Ambros. ait in cap. 4. Lucæ. quasi clauis quibusdam suffigitur anima corporis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & deliciarum secularium illecebris obnoxia iam tenetur. hæc Ambrosius.

Septima est, *Execratio, vel maledicendi siue imprecandi rabies.* *7. Caussa, maledicendi rabies.*

QVOD quidem peccatum multis vsitatissimum est, vt minima occasione & aduersitate oblata, se suos q; Dæmonibus & diris omnibus deuoueant; & tunc aliquando iusto Dei iudicio malum euenit, quod imprecantur. Quare Prouerb. 8. dicitur: sicut auis ad

alta

alta transuolans,& passer quolibet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet:& in Psa.108. Dilexit maledictionem,& veniet ei: & noluit benedictionem,& elongabitur ab eo. Hinc compertum est experientia, diabolum sumpsisse quandoque hanc occasionem perducendi ad maleficium.

8. Caussa, Nimia tristitia & ira

Octaua, *quæ frequentissimè in muliebri sexu locum habet, est desolatio, siue nimia tristitia, aut pusillanimitas in aduersis.*

DVM enim fœminæ in aduersitates calamitates, aut perturbationes incidũt, animum abijciunt, maximè quando non est qui consoletur, aut consilio iuuet. Hanc oportunitatem Dæmon perscrutatur, atq; sub fictæ personæ forma, auxilium, cõsilium,& patrocinium promittit, cum maxima deceptione. Huic adiungere possumus immoderatam irã qua multi se vindicare de alijs per fas & nefas cupiunt: quod quando propter fragilitatem non possunt, malignus se offert, & inspirat vindictæ modos. Sed nunc cùm contingat inter alias vnam esse caussam præcipuam perseuerantiæ in tam graui atq; intolerabili Dæmonis iugo, de hac paulò latius aliquid dicendum pro remedio contra hoc durum vinculum.

Nona caussa perseuerantiæ in tanto scele-

scelere, est *Error, quem Diabolus opinioni hominum, quos capit, imprimit, vt sibi persuadeant, fieri haud posse, vt ad sanum cor conuertantur.*

LEGIMVS in lib. Iudicum, quod Philistæi Samsonem fortissimum captum quamprimum oculis priuârunt, priuatum ad pistrinum ablegârunt, & molere fecerunt, omnibusque ludibrijs & illusionibus affecerunt. Hos Philistæos maligni spiritus sequuntur; quamprimùm hominẽ Christianum arte sua quacunq; occasione aut specie deceperunt, oculos intelligentiæ effodiunt, atq; persuadent impossibilem esse reditum ad Deum, cuius fidem abnegauit; sicq; hominem oculis captum alligant ad pistrinum, id est, suam grauem & intolerabilem seruitutem, atq; si molere, id est suis imperijs in omnibus satisfacere nolit, verberibus, minis & terroribus cogunt, atq; ludibrijs afficiunt. Atque vt melius ligatum Dæmon teneat, imperat sub maxima pœna, vt infœlix homo omnia sua peruersa consilia, & sceleratissimas suggestiones in secreto teneat, nec vlli mortalium extra suam societatem reuelet. *Iudicum 16.*

Astutissimus inimicus imitatur in hoc negocio mores callidissimi alicuius amatoris, qui honestam aliquam bonorum parentum filiam, aut honesti viri vxorem intendit seducere.

cere. Is omni cura industriaq; laborat, vt sua verba, facta & consilia non deueniant in notitiam, nihilq; magis timet, quàm ne puella parentibus ea patefaciat, cognoscens hoc pacto parentum prouidentia suos conatus frustrandos & irritandos esse. Eodem modo diabolus in hoc tam occulto, & ab hominum sensibus alieno scelere omni ratione procurat, vt homo, quem cepit, fraudulenta sua consilia nemini detegat. Ad quem effectum consequendum minas intentat, timorem incutit, & pudorem obijcit: his nodis anima miseri hominis intricata, se expedire non potest; cùm careat bono consilio, & tam Dei, quàm hominũ prudentum auxilio destituatur. Ex hoc capite contingit, paucissimos esse maleficos, aut sagas, qui in confessione sacramentali hoc crimen confiteantur, hinc etiam sequitur exiguũ esse numerum eorum, qui vel quæ sua sponte conuertantur ad Deum, relicta diabolica societate, antequam ad manus publicæ iustitiæ deueniant. Ex eadem quoque causa oritur, quod nonnullæ fœminæ potius optent & eligãt mortem, quàm vitam, timentes ne iterum reducantur ad laboriosum illud molendinũ.

Remedia cõtra desperationis errorem.

Contra hunc Diabolicum errorem, & simplicium falsam opinionem veritas statuenda est, quæ tenebras falsitatis & erroris depellat. Veritas autem est, quod homo quicunq; etiam à Diabolo deceptus, cum gratia Dei potest per

pœni-

pœnitentiam redire ad gratiam, Diaboli iugum rumpere, & tam fœdam societatem relinquere, etiam quocunq; tempore. Hanc veritatem probant clamores Domini ad peccatores. Ezech. 18. proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite. Eccles. 35. Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit: Hierem. 8. Nunquid qui cadit, non adijciet vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergò auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? apprehenderũt mendacium, & noluerunt reuerti. Et cap. 3. in eodem Propheta: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Esai. 55. Derelinquat impius viã suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, &c. quoniam multus est ad ignoscendum. Eandem veritatem probant Scripturæ, quæ attestantur Dominum soluere & rumpere vincula peccatorum. vt Dauid in Psal. Disrupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Et iterum in alio loco. Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Ad idem propositum faciũt, quæ misericordiam & gratiam Dei erga peccatores ostendunt: hęc

Concionator facilè congregabit contra prædictum errorem. Quicunq; ergò à Diabolo decipitur, aut deceptus est, & sub tam dura seruitute agit, quantamcunq; fidem infideli addixerit, obedientiamq; præstiterit, redeat ad cor, frangat perfidiam, pœniteat, inuocet Deum: cœlestis curiæ reginam, desolatorum aduocatam B. Virginem, Angelum custodem, & sanctos: resistat aduersario in fide, & vincet. Tantò autem facilius tam abominabilis status relinquitur, quantò citius deseritur. Optimũ consilium est, vt homo quamprimùm se deluſum cognoscit, ingemiscat, peccatum confiteatur bono & prudenti Confessario, & fidei nostræ armis fortiter se muniat contra aduersarium, eiusq; insultus forti & cõstanti animo repellat. Pleriq; enim, qui his laqueis vincti tenentur, multis molestijs afficiũtur, si iugum abijcere diabolicum, & fœdera infidelis amicitiæ rumpere contendant. At si constanter se Dæmonum insultibus opponant, induendo armaturam Dei, & scutum fidei arripiendo, victoriam obtinebunt, neq; tam graues patiẽtur tribulationes. Vt hoc rectius intelligatur & firmius animis inhęreat, similitudine discamus, quod Dæmon aduersarius noster naturam & mores habet muliebres, quãtum ad imbecillitatem virium, & animi peruicaciam. Sicut enim fœmina mala cum viro rixas miscens, si eum conspiciat erecto animo, & constan-

stanti vultu resistere, & verbis verbera obijcere, ilicò animum abijcit, & terga vertit, nec deinceps facilè aliquid simile tentat. Si autem maritum timidum, meticulosum, fugacemq; deprehēderit, in extremam surgit audaciam, & virum ferociter inuadit. Simili modo hostis noster facere consueuit, si quem reperit timidum & inconstantem in tentationibus, & animum abijcientem in tantis insultibus, non est bestia super terram ferocior & audacior. Vnde in nostro proposito timidis & tristibus minatur, & non rarò intentat verbera, ni morem gerant suo imperio. Sed si incidat in militem fortem & imperterritum, hilari vultu repugnātem, diffidens de victoria fugit, & eum in pace relinquit. Hinc optimè ait S. Gregor. Diabolus cùm ei fortiter resistitur, debilis est vt formica: cū verò suggestio recipitur, fortis est, vt leo. Nemo ergò in hoc deceptionis genere crudelitatē sæuientis, quam minis & verberibus confirmat, pertimescat, sed confidendo in Dei misericordia & auxilio, viriliter in fide repugnet; sic tandem triumphabit, & Dæmon confusus discedet. Inflammat ad hoc nostros animos, exemplum magni illius spiritualis ducis S. Anthonij, quem nouitium in eremo sæuissimis excepit verberibus, ita vt semianimis relictus, ad proximum vicum curandi caussa deferri debuerit. At Anthonius aliquantulum conualescens, ad primum locum

denuò se contulit ad seruiendum Deo, paratus ad noua verba pro beneplacito Dei, nec vlla iniuria diaboli à proposito deterrebatur. Hac animi constantia virum sanctum munitum nequissimi spiritus cùm accedere nõ auderent, varias formas induentes, ferarum more alij rugiebant, alij vlulabant, alij dentibus frendebant, alij flammas ore, naribus, auribusque emittebant, vt terrorem incuterent, cui verbera inferre nequibant, ad impediendum ipsum in via salutis. Sed vbi fortissimum athletam nec verbera curare, nec horrenda spectra pertimescere cognouerunt, se victos & confusos confessi discesserunt. De his Athanasius in vita Anthonij. Hoc tamen adhuc referre non pigebit ex vita eiusdem sancti, quod relatu dignum est: ferũt de eo, dum verbera terroresq; perferret, lucem ei diuinitus apparuisse, qua expauefacti Dæmones diffugêre: Anthonium verò eo splendore recreatum erexisse se, & quasi præsentem Dominum aspiceret, dixisse. Vbi eras bone Iesu, vbi eras: respõsumq; accepisse: Aderam Anthoni, sed euentum pugnæ tuæ præstolabar, quam quoniam imperterritus immotusq; viriliter sustinuisti manet te victoriæ tuæ indeficiens in cœlo triumphus, præmiumq; sempiternum: Omnis ergo Diaboli visatq; decertatio, constantis & pij animi continuatione destruitur. Similia in vita Hilarionis refert S. Hieronym. Plurima

San-

Sanctorum exempla, qui fortitudine & constantia Diabolo restiterunt, qui videre voluerit, legat Marcum Marulum de religiosè viuendi institutione, lib. 5. cap. 7. Postremò, vt huic Præludio finem faciamus, si quis hac arte Diabolica captus est, cõfiteatur sacerdoti prudenti, & reuelet in confessione malum, quo detinetur: pœniteat, & in futurum armis se muniat spiritualibus. Scriptum est enim. Prouerb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Et vt S. Hieronymus ait, in cap. 10. Ecclesiast. in illa verba: Si momorderit serpens in silentio. Si quem Diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit: Si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit: si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. Molestissimè fert inimicus, quod homo sua consilia manifestet, & impedit quantum potest, obijcit timorem & pudorem. Sed tu sequere consilium Ecclesiast. cap. 4. Pro anima tua non confundaris verum dicere. Sancti Patres tanquam firmam obseruârunt regulam, euidẽter diabolicam esse cogitationem, quam iunior seniori confunditur aperire. Vnde

Cassianus ait. Non poterit Diabolus circumuenire vel deijcere iuuenem monachum, nisi eum, quem viderit aut per superbiam, aut per verecundiam suas cogitationes seniorem celare.

16. Præludium. *Diabolus, qui ab initio similis esse voluit altissimo, adhuc in suis operibus ad hominum deceptionem diuina opera imitari contendit, & similitudinem quandam Dei affectat.*

Hinc summoperè desiderat adorari, quod diuinæ maiestati competit Matth. 4. Hęc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me, & 26. q. 5. c. Nec mirum. Atq; hoc tritum est apud omnes Theologos & canonistas, vt Grilland. attestatur de Sortilegijs. q. 7. nu. 9. Ex eadem caussa Dæmones sacrificia expetunt. August. lib. 20. contra Faustum, cap. 21. Cui & Philosophi consentiunt. Apuleius in lib. de Deo Socratis, (quem rectius teste Augustino 8. de Ciuit. cap. 14. de Dæmone Socratis intitulasset) dicit, ex Dæmonibus alios diurnis sacrificijs gaudere, alios nocturnis: esse qui lætioribus: esse qui tristioribus hostijs, ritibus & cæremonijs delectentur. Porphyrius lib. 2. de abstinentia animalium, subindicat ciuitatibus interdum opus esse Dæmonibus sacra facere, ne frugibus, ne diuitijs, ne vrbi ipsi noceant.

Nam

Nam rata est, inquit, apud omnes fides, eos læsuros genus humanum, si irascantur, propterea quod negligantur, neq; cultum legitimum nanciscantur. Sic August. d. lib. cap. 13. tribuit Labeoni, quod numina mala cruētis victimis placari existimauerit: & ibidem cap. 16. Ex Apulei Platonici sententia mōres Dæmonum depingit, qui dixit eos eisdē, quibus homines, animi perturbationibus agitari, irritari iniurijs, obsequijs doniſq; placari, gaudere honoribus, diuersis sacrorum ritibus oblectari, & in eis si quid neglectum fuerit commoueri. Hoc fundamento prę suppositio, facilè multa intelliguntur, quæ Dæmones expetunt à maleficis: vt, quod disciplina in conuentu rectè seruetur, quam si quis violauerit, malè ab ipso, vel suis ministris tractatur, & irascitur. Sic Helenam quandam ex pago S. Matthiæ, quæ mortis sententiam, & eius executionem accepit, Anno Domini 1589. 15. Iulij, Dæmon, qui se Beelzebub nominabat, in faciem ita malè percussit, quòd aliquot diebus ægrotauerit: eò quòd cùm primavice ad conuentum cursumque venisset, & multitudinem personarum vidisset, dixerit: Domine Deus, quomodo huc veni. Sic Annam quandam ex pago S. Medardi, prope monasterium S. Matthiæ, quæ mortis supplicium subijt 11. Augusti Ann. Dñi 1590. per gradus deiecit, ita quod quatuor in corpore vulnera acceperit, eò quod ei morem

gerere nolebat. Sic etiam sæpè si in aliquo offendant per alias maleficas eas cædit, vt suprà exemplis declaratum est.

17. Præludium. *Sicut vnicuiq; homini ab ortu natiuitatis suæ, ad tutelam & custodiam, deputatus est bonus Angelus, secundum sacras literas, & sanctorum Patrum doctrinam: Ita etiam ad exercitium ac tentationem malus spiritus destinatus cuilibet, vt Doctores sentiunt.*

Angelorvm custodiam calumniatur Caluinus in institutionib. sect. 7. cap. 14. & in cap. 18. Matth. & alibi, quem sequuntur eiusdem farinæ homines: sed Catholica Ecclesia Angelorum tutelam firmiter amplectitur. Nunc probatur prima præludij pars. Psal. 90. Angelis suis mandauit de te. & Psal. 33. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Genes. 48. Iacob dicit: Angelus, qui pascit me, & liberauit me à iuuentute mea. Eccles. 5. Ne dicas coram angelo, non est prouidentia, ne fortè iratus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Vbi S. Hieron. Non enim in ventum dicta transeunt, sed à præsenti angelo, qui vnicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum. Matth. 18. Videte ne contemnatis vnum

vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper, vident faciem patris mei. Actor. 12. Puella Rhode, cùm nunciaret Petrum stare ante ianuam, astantes dixerunt: Angelus eius est. Consentiunt Doctores & Theologi S. Hieronym. in d. cap. Matth. Magna, inquit, est dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. August. in Soliloq. cap. 27. Chrys. hom. 60. in Matth. & hom. 3. in Epist. ad Thessalonicens. Basil. lib. 3. contra Eunomium, his verbis: Quod singulis hominibus adsit Angelus, vt Pædagogus quidam & Pastor ad vitam dirigendam, nemo contradixerit, qui verborum Domini recordatur. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris, &c. Inde Psalmista dicit. Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum. Et, Angelus, qui me eruit de iuuentute mea, & quæcunq; talia: Hæc Basil. Origen. hom. 5. in Numer. & hom. 35. in Lucam. Gregor. Nyss. in lib. de vita Moysis. Bernard. serm. 11. super Psalm. Qui habitat: in verba vers. Angelis suis mandauit de te. Hilarius, Theophyl. OEcumenius, & alij communiter in cap. Matth. 18. Cassianus in collat. 8. cap. 17. S. Thom. 1. part. q. 113. S. Bonauentura cum Magistro Sententiar. & omnibus DD. in 2. d. 11. Custodiæ angelicę plures sunt effectus, qui à Doctoribus ex sacris literis colliguntur. Tres autem generales

assignari

assignari possunt: defensio contra aduersarij violentiam, ne opprimat: Eruditio & directio contra eius astutiam in decipiendo & seducendo: Exhortatio & inductio ad bonum, ne blanditijs moueat voluntatem ad consentiendum. Sunt autem multi particulares, de quibus auctoritates Scripturæ legendæ Concionatoribus apud S. Bonauenturam, Albertum & Gabriel. in d. dist. 11. & latissimè apud Franciscum Feuardentium in appendice ad libros Alphon. Castrens. de hæresibus lib. 1. in verb. Angeli. hæres. 3. Si quis dicat. Cùm Angeli boni etiam virtute naturali præditi sint, & dono gratiæ adiuuentur, quomodo non vincunt Dæmones, & prohibent ne homines tentatione superent. Respondetur, hoc non prouenire ex defectu angelicæ custodiæ, sed ex nostra voluntate libera, quæ non acquiescit consilijs & suggestionibus angelicis. Angelorum custodia & directio non cogit hominem ad bonum, voluntati vim inferendo, sed excitando & persuadendo mouet pro natura voluntatis liberæ. Contingit etiam aliquando ex ordine diuinæ iustitiæ & prouidentiæ, quæ modum & ordinem Angelorum custodiæ præscribit propter demerita custoditi.

Quantum ad secundam partem præludij: quod etiam quisq; homo habeat Dæmonem exercentem designatum, tradunt S. Gregor. loc.

loc. cit. apud Magistrum in 2. d. 11. Chrysost. siue auctor operis imperfecti, hom. 40. in Matth. Lactantius lib. 2. de origine erroris ca. 15. Cassian. loc. citat. Magist. & DD. in d. d. probat Cassian. Si, inquit, consideremus illum, qui B. Iob expetijt, apertissimè instruemur illum fuisse, qui semper insidiatus ei, nunquam eum ad peccatum potuerit incitare: & idcirco potestatem à Domino popoſciſſe: velut qui non virtute illius, sed Domini defensione, qui illum semper protexerit, vinceretur. De Iuda quoq; dicitur, & diabolus stet à dextris eius. *Psalm.* 108. Ad hanc doctrinam Platonici accedunt. Apuleius multa scripsit de Dæmone Socratis. AEgyptiorum doctrina traditum est, ab Dæmonum præside Deo, pro ratione propositæ vitæ, Dæmonem assignari, non ab astro, aut Planeta: quod sensisse Porphyrius putatur vt auctor est Iamblicus. Philosophorum varias sententias de Dæmonibus cuiq; assignatis refert Cœlius Rhodiginus, lectionum antiquarum lib. 1. cap. 31. Hinc illud pulchrum apud Plutarchum, in lib. de Romanorum fortuna exemplum. Cum Marcus Anthonius & Augustus, singulari amicitia & beneuolentia iuncti, habito otio, sæpè lusibus inter se diuersis transmittere soliti essent, & M. Anthonius semper victus abiret: Quidam apud eum diuinandi peritia clarus, audacter ita admonere cepit. O Anthoni, quidnam tibi cum adolescente

cente isto? Refuge ipsum,& vita. Tu quidem illustrior es, natu item grandior,sed plurium quoq; imperator,bella multa exantlasti, peritia rerum præstantior es. At nescio,quo pacto huius ipsius Dæmonem Dæmon reformidet tuus. Quin tua quidem fortuna ampla est ex se, sed fortunæ adolescentis subblanditur. Quod ni abieris procul,ad illum defecturum apparet. *Dubium esse potest: An mutato loco,mutetur & Dæmon?* Quidam enim absurdum arbitrantur,eodem referente Cœlio, lib.d.cap.32. quod Dæmon vnus ita in mancipium venerit, vt ne latum quidem vnguem à nobis discedat, quantumuis longinqua terrarum spacia abierimus: Qui etiam in ea sunt opinione,ex eadem radice,quod homo in vno loco sit fortunatior, quàm in alio. Quia cùm in qualibet Dæmonum decuria, plura sint dignitatis & virtutum discernicula,variatis locis varij sunt rerum euentus. Sic fœlicior & fortunatior erit in loco,qui potentiorem Dæmonem adeptus fuerit, infœlicior,qui inferiorem & debiliorem, vt exemplo à Plutarcho relato ostenditur.His annotatis vt propositum prosequamur : bonus Angelus, & spiritus malus circa hominis actus in custodia & exercitio sibi aduersantur. Cõtrariorum enim principiorum & formarum contrarij sunt effectus & operationes. Angelus custos & tutelaris rectè agentibus adest,salutaria consilia suggerit,ad bonũ incitat,

incitat, ne in peccatum cadat, aut si ceciderit, statim resurgat, solicitat. Dæmon susurrando semper ad peccatum instigat, mala consilia proponit, ad malũ instruit, teporem & soporem immittit, mentẽ excæcat, vt homo in peccatis sordescat, laborat, omnia media fallacia adhibet, donec manibus pedibusque ligatum miserum hominem teneat, & pro sua peruersa voluntate regat. Bonus Angelus dux & auctor homini existit, vt Dei noua creatura in Baptismo fiat, Deo in perpetuũ, vt iustum est, suam seruitutem & cultum impendat, & addicat: Diabolo & pompæ eius abrenunciet. Dæmõ proprius in hoc detestabili maleficij opere instigator est, vt homo in primis professioni in Baptismo factæ abrenũciet, Deo, B. Virgini, & omnibus sanctis valedicat, sibi suam operam addicat, obedientiam præstet. Et sicut Iudith clarissima herois, angelum itineris sui & castitatis directorem inter prophanorum barbaras atq; impuras manus propugnatorẽ habuit: sic dæmoni cura est, vt hominem ad impurissimã libidinẽ inducat. Deinde quemadmodũ Angelus Abacuc Prophetam in Babylonẽ tulit, vt prãdium Danieli in lacu leonum traderet, & iterum in Iudæam expedito negocio cõfestim reportauit, & in locum suum restituit: Ita dæmon suum maleficum ad conuentũ defert, & peracta tragœdia magica, reportat ad locum in quo susceperit. Imò etiã sicut Angelus B. Petrum, *Iudith.13.*

Act.12. Petrum, percusso latere eius excitauit è somno: Ita Dæmon malefici etiam suum clientem è somno excitat, vt multorum confessionibus didicimus, vt congregationem & cursum adeat, quando præscripto tempore conueniendum. Vbi & hoc occurrit notandum. Sicut Abacuc, qui nec Babylonem viderat & lacum nesciebat, vt Scriptura attestatur, à bono angelo ad locum longè situm & ignotum deferebatur. Ita malefici à suis Martinetis, aut Martinellis vt aliqui vocant, nostri autem vt plurimum Amasios appellant, aliquando deducuntur ad loca ignota, & multum remota, cùm tamen putent, quod sint profecturi ad conuentum vicinum. Martinetus enim non eorum voluntati obsequitur, sed suæ nequitiæ, aut sui præsidis imperio studet satisfacere. In conuentibus enim non rarò vnus superior Dæmon toti multitudini præsidet, cuius præscripto omnia diriguntur: Sicut etiam in Polytica Republica, multi sunt ministri, consiliarij, rectores & executores, quibus vnus supremus præsidet, & cuncta moderatur & dirigit: Atq; hoc etiam satis conuenit eis, quæ sacræ literę de bonorum angelorum custodia & præsidentia tradunt. Daniel meminit Angeli Græcorum, Persarum, & Michaëlis patroni filiorum Israël: Moyses angeli castrorum, Ioannes in Apocalypsi, Angeli Ephesi, & Smyrnæ. &c. Sicut ergò vni prouinciæ, exercitui,

Daniel.14.

aut

aut Ecclesiæ præest vnus Angelus bonus, licet singuli suos habeant tutelares: Sic etiam vnus Dęmon præsidet alicui congregationi maleficorum & Martinetorum. Hinc qui de naturis, differentijs, officijs & prędsidentia Dæmonum scribunt, tradunt Dæmonem nomine Bathyn ducem magnum & fortem cursu velocissimo homines transferre de regione in regionem, cui subsunt triginta legiones. Idem opus tribuunt alteri Principi, cui nomen Gaap, vel Tap, cuius imperio etiam multæ legiones in obsequio sunt. Sed Dæmonum nomina & distincta officia, & numerum subiectorum nemo scire potest, nisi ab ipsis didicerit, secundũ doctrinam Augustini, li. 21. de Ciuit. Dei, cap. 6. Neq; enim, inquit, potuit, nisi primùm ipsis docentibus, disci, quid quisq; eorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur numine, vel cogatur.

Hæc de Præludijs. Nunc prior quæstionis pars per Conclusiones resoluitur.

1. Conclusio. *Malefici, Magi, diuinatores, vel quicunque alij, pactum cum Dæmonibus habentes, nulla vera possunt facere miracula.* *Magi, Malefici, nullæ veræ faciũt miracula, sed tantum mirabilia.*

Probatvr Conclusio, quia facere miracula vera, est argumentum diuinitatis, & arguit infinitam potentiam: ergò solum competit Deo, iuxta illud Psalmi. Qui facit mirabilia magna solus. Deinde, facere miracula, excedit ordinem totius naturæ creatæ, ergò non est in potestate Dæmonis. Hanc Conclusionem probant S. Thom. 1. part. q. 110. art. 4. & q. 114. art 4. Alexan. Halen. 2. part. q. 45. S. Bonauent. & alij Doctores in 2. sent. d. 7. & habetur in 26. q 5 cap Nec mirum, ex August.

Dictum in Conclusione, (vera miracula) Quia Dæmones etiam possunt facere mirabilia, quæ homines mirantur, quia eorum facultatem & cognitionem superant. Sic Magi Pharaonis veros serpentes & ranas fecerunt per virtutem Dæmonis, vt attestatur August. lib. 20. de Ciuit. cap. 28. non tamen rationem veri miraculi attigerunt, cùm fecerint per applicationem actiuorum naturalium ad talem effectum. Ad maiorem Conclusionis lucem aduertendum ex doctrina S. Thomæ 1. part. q. 110. artic. 4. ad 2. quod miracula simpliciter loquendo, dicuntur, quando aliqua fiunt præter ordinem totius naturæ creatæ. Et quia non omnis virtus naturæ creatæ, est nobis nota, ideò cùm fit aliquid præter ordinem naturæ creatæ nobis non notæ per virtutem creatam nobis ignotam, est miraculum quo ad nos: Quia eius causam non cognoscimus, licet

licet sit sub ordine naturæ creatæ & limitatæ: Sic quando Dæmones aliquid faciunt sua virtute naturali, quæ maxima in ipsis est, & maior, quàm vt à nobis comprehendatur, miraculum nõ est simpliciter, sed quoad nos. Ignari sæpè multa admirantur, cùm causam non cognoscant, quæ docti causarum concursum & coniunctionem perspicientes pro communibus habent. Ex hac radice nota est illa distinctio Magiæ, qua diuiditur in eam, quæ fit ministerio substantiæ separatæ, quã omnes Christiani semper damnârunt, & in aliam naturalem, quę quędam pars est Philosophię naturalis abditæ & secretioris, docens res summa admiratione dignas efficere ex applicatione mutua agentium & patientium naturalium. Hanc distinctionem amplectuntur D. Hieron. in ca. 2. Danielis super illis verbis. Prędpit rex vt conuocarentur Harioli & magi & malefici, &c. Iustin. Martyr in lib. qq. à gentibus propositarum q. 24. & 26. Victoria in Relectione de arte Magica, num. 7. & alij alibi. Qua ratione nomen Magiæ absolutè non significat artem illam magicam, quæ Dæmonum àuxilio & scientia vtitur: sed artem & facultatem faciendi opera occulta & mirabilia, non solùm extra solitum rerum cursum, sed supra hominum communem opinionem & captum. Insunt enim rebus naturalibus mirabiles virtutes, quas non omnes homines, sed ij tãtum qui

longo tempore, & mira experientia abditas rerum cauſſas perſcrutati ſunt, cognoſcunt. Huius Philoſophiæ ſecretioris Chaldæi fuerunt ſtudioſiſſimi, cuius terminis cùm non eſſent contenti, ſed ex curioſitate plus cepiſſent ſapere, quam oportet, ſpirituum inſpiratione tracti, inciderunt cum primis in damnatas artes Magicas. Quare cum Franciſco Victoria ſic rectè Magia poterit definiri, quod ſit effectrix & operatrix multorum operum & effectuum quorum ratio comprehendi & intelligi mente non poteſt. Quod ſic intelligendum, non quod eorum ratio ſimpliciter non poſſit intelligi, ſed quod, niſi ab illis, qui ſummam nauârunt operam in rimandis ſecretioribus rerum cauſſis, & ſi hęc Philoſophię pars, more aliarum vulgaris fieret in ſcholis, & communis multis redderetur, nomen Magiæ amitteret, & Phyſicæ, naturaliq; ſcientiæ aſſcriberetur. Huiuſmodi naturalia exempla ponit Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. cap. 4. Salamandra in ignibus viuit. Quidam Sicilię montes ſemper flammis æſtuant, non tamen conſumuntur, ſed integri perſeuerant. Et de magnete refert, quod quando iuxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum, & ſi iam rapuerit, & ei appropinquauerit, mox remittit. Sic nautæ mare nauigantes in Indiam, referunt, maritimas cautes magneticas in quibuſdam locis eſſe, quæ medio curſu nauigia, ſi quid in eis ferri ſit, vel clauus vnus,

ſiſtant,

sistant, detineant, & attrahant. Quare qui illac sunt præternauigaturi, postes nauium ligneis clauis compingunt. In cap. 5. alia exempla refert. Apud Garamantes fons fertur esse tam frigidus diebus, vt non bibatur, tam feruidus noctibus, vt non tangatur: Et in Epiro est alius fons, in quo faces, vt in cæteris, extinguuntur, sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ. In Persida lapis nomine Solenites gignitur, cuius interior candor cum luna crescit, atq; deficit. Alia plura rerum naturalium exempla ponit S. Augustinus, quæ Ludouicus Viues ex alijs naturæ inuestigatoribus Plinio, Lucretio, Herodoto, Mela, Solino, & similibus illustrat. Multa similia exempla naturalis Magiæ ponit Guilhelmus Parisiens. in 2. parte 2. principalis de Vniuerso, cap. 21. vtpote, quod lapis Iaspis fugat serpentes. Quare aquilę ponunt illum in nidis suis, vt per ipsum terreant, & abigant serpētes. Lapis Gagates nominatus, virginitatem perditam prodit. Vnde redactus in puluerem in potu sumi non potest à muliere corrupta. Hoc experimento in maiori Britannia probare consueuerunt, qui pueri, quæue puellæ virgines essent. Arboris, quę agnus castus dicitur, famosissima virtus est ad conseruandam castitatem, vnde & nomen accepisse videtur. De lapide Elyroida naturales scripserunt, ipsum posse contra colorem, cuius operationem ita impedit, vt gestantem illum videri non sinat:

de his latiùs Guilhelm. Aristoteles in lib. de mirabilibus quoq; attestatur in monte Egero herbam Charisiam reperiri, quam si mulier portauerit, homines ad amorem pelliciet.

Tripliciter malefici dæmonis ope mirabilia faciunt.

Dæmon autem tam mirabiles effectus cum Magis vel maleficis triplici potissimum modo operatur.

1. Vel effectus per naturam, aut artem factos aliunde trahendo, ita vt hominibus videantur in præsentia mirabiliter effecti.

2. Vel de nouo occultè faciendo, per applicationem caussarum naturalium actiua passiuis coniungendo, & accelerando actiones, quantum natura patitur, & suæ potestatis subtilitas valet.

3. Vel secundum apparentiam tantum, deludendo sensus per præstigia & illusiones phantasmatum. Si enim ipse Sathan potest apparere in corpore assumpto: quare non potest formas aliarum rerum effingere, & sensibus hominum obijcere?

2. Conclusio. *Magi vel malefici non possunt transmutare materiam ex vna forma in aliam: vel clarius, Malefici non possunt immediatè virtute Dæmonis, in rebus naturalibus siue corporalibus aliquam imprimere formam naturalem.*

Hac

HAEC Conclusio est contra quosdam Platonicos, qui posuerunt formas corporales deriuari à substantijs spiritualibus, per modum participationis: & quosdam alios in hac materia, de quibus in sequenti Conclusione.

Probatur Conclusio: Dæmones non possunt: ergo nec magi, nec malefici: quia ipsi opera Diaboli adiuti operantur. Antecedentis veritatem astruunt August. lib. 3. de Trinitat. cap. 7. & 8. S. Thom. 1. part. q. 65. artic. 4. & q. 110. artic. 2. & q. 114. artic. 4. ad 2. & lib. 3. contra Gentil. cap. 103. Alexand. Halen. 2. part. q. 43. artic. 1. & 2. S. Bonauentura in 2. sent. dist. 7: part. 2. artic. 2. q. 1. & 2. Francisc. Victoria in Relect. de arte Magica, à num. 35. & Aristot. lib. 7. Metaphysicæ à textu 26. Vbi tradit, formas non imprimi in materiam ab aliqua substantia separata, sed reduci in actum de potentia materiæ, per actionem formæ in materia existentis, quia simile fit à simili sibi: sed quod propriè fit, est compositum, ergo fit à composito, & non à substantia separata. Vnde omnia quæ fiunt in hoc mundo, fiunt à similibus causis, effectus enim virtute est in causa. Qua ratione cùm omnia sint eminenter in Deo, & non in alijs creaturis spiritualibus, ipse ij; sit infinitæ potentiæ, potest trãsmutare res de forma in formam, creare, annihilare, & producere, absque vllo adminiculo alicuius causæ particularis, vt etiam fecit in

rerum omnium creatione & productione. Atque tũc suo imperio, quod nulla creatura immutare potest, virtutem & naturam naturalibus agentibus indidit, vt suos effectus producant. Vnde sicut de terra dixit: Germinet herbam virentem, & non hominem: Ita de homine: Crescite & multiplicate, vt in Genesi scriptum est. Sicut ergo terra germinat herbam virentem: ita homo hominem, & ignis ignem producit. Ex hac Conclusione sequitur.

3. Conclusio, *Magi, vel Malefici virtute Dæmonis, nec se, nec alios homines verè & realiter possunt transformare in lupos, cattos, vel aliam quamcunque bestiam.*

Haec Conclusio non solùm est vera secundum veram philosophiam: sed etiam fidei veritatem, ita vt si quis cum pertinacia contrarium credat aut dicat, sit hæreticus & infidelis. Dictum (verè & realiter) quia per illusionem & apparentiam bene fit. Conclusio est contra Ioannem Bodinum, lib. 2. de Magorum Dæmonomania, cap. 6. & alios ab eo citatos. Ipse enim multis exemplis probare intendit, Lycanthropiam, vt vocat, id est, transformationem hominis in lupum: nostra autem Conclus. est in contrarium; & eam tradũt

Augustſ.

Auguſt.lib. 18. de Ciuit. Dei,cap.17 & 18.vbi expreſsè tenet omnia talia fieri phantaſticè & per præſtigias; & ſic ſoluit fabulas illas ex Varrone & poëtis de ſocijs Vlyſſis mutatis in beſtias, & à Circe & Arcadibus in lupos conuerſis. Chryſoſt.hom.29.in Matth.tom.4.S. Thomas 1.par.q.114.art.4.ad 2.S.Bonauent.loco citat. Franciſcus Victoria in Relect. de arte Magica propè finem. Alfonſus à Caſtro lib.1. de iuſta hæreticorum punitione cap.14. Bartholomæus Spineus ſacri Palatij Magiſter, in q.de ſtrigibus,cap.8.Malleus malefic.1.par.q. 10.& alibi.Ioſephus Angles in floribus Theologicarum quæſt.ad Sixtum V.1.part.in 2.ſentent.in q.vnica de arte Magica,diffic.9.Ioan.à Turrecremata in 26.q.5.cap.Epiſcopi.Vlricus Molitor in dialogis de Pythonicis mulieribus ad Sigiſmundum Archiducem Auſtriæ, cap. 10.determinatione 3. quare malè eum Bodinus pro ſe allegat. Lambertus Danæus in Dialog.de ſortiarijs, ca. 3. Paulus Grillandus Iuriſconſultus in lib.de diuerſis criminibus lib. 2.de ſortilegijs, q. 7. cuius opera ſunt in volumine 4.Oceani Iuris. Et hæc veritas expreſsè definitur in d.cap.Epiſcopi: his verbis, Quiſquis credit poſſe fieri aliquam creaturam,aut in melius,aut in deterius commutari, aut trãsformari in aliam ſpeciem, vel in aliam ſimilitudinem,niſi ab ipſo creatore,qui omnia fecit & per quem omnia facta ſunt: procul dubio

infidelis est, & pagano deterior: & ibidem in cap. Nec mirum, ex Augustino de Ciuitat. Et probatur euidenti ratione. Si homo potest transmutari in cattum, lupum, aut aliam bestiam; aut mutatur, secundum corpus vel animam, aut secundum vtrumq;. Si primum: ergo talis homo moritur, quia mors nihil aliud est, quàm separatio animæ à corpore. Si moritur: ergo non potest operatione Dæmonis coniungi iterum anima cum corpore, hoc enim est opus diuinę potentiæ: Dominus enim mortificat & viuificat. Si secundum dicatur, ita vt fiat transmutatio totius in totum: ergo homo desinit esse, quando incipit esse bestia, quia generatio vnius, est corruptio alterius: ergo de nouo creatur homo, quando bestia redit ad naturam hominis, nec est idem numero homo, qui erat prius: & alia sequuntur falsa contra veritatem & fidem.

Quod ergo de hominum in lupos, aut alias bestias conuersione refertur, nihil veritatis habet, & omninò ridiculum est, quod scribit de se Lucianus in dialogo de asino, nimirum quod cum in Thessalia discendæ Magiæ caussa versaretur, mutatus fuerit in asinum, cùm fieri optasset auis. Non enim hoc dixit, quia ita verè putaret, sed quia talibus argumentis delectabatur. Simile est quod Apuleius in lib. de asino aureo narrat sibi accidisse, quod veneno accepto, humano animo permanente, Asinus fieret.

fieret. Sic Ouid. lib 1. Metamorph. Lycaonem Arcadiæ regem, à Ioue in lupum ob sua scelera mutatum finxit. vbi sic loquitur.

Colligit os rábiem, solitæq; cupidine cædis.
Vertitur in pecudes, & nunc quoq; sanguine gaudet.
Fit Lupus, &c.

Sic etiam Vergil. Eglog. 8. Merim veneficijs & herbis se potuisse in lupum transformare canit. Multa ex historijs de his adfert Bodinus, sed à Catholica veritate non est ideò recedendum. Plinius suo tempore etiam refert has fabulas fuisse in opinione quorundam lib. 8. naturalis histor. cap. 22. vbi ait. Homines in lupos verti: rursumq; restitui sibi, falsum esse cõfidenter existimare debemus: aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis comperimus. Vnde tamen ista vulgò infixa sit fama in tantũ vt in maledictis versipelles habeant, indicabitur. Euantes inter auctores Græciæ nõ spretus tradit, Arcades scribere, ex gente Antęi cuiusdam sorte familia electum ad stagnum quoddam regionis eius duci: vestituq; in quercu suspenso tranare, atq; abire in deserta, transfigurariq; in lupum, & cum cæteris eiusdem generis congregari per annos nouem. Quo in tempore, si homine abstinuerit, reuerti ad idem stagnũ, & cùm tranauerit, effigiẽ recipere, ad pristinum statũ, addito nouem annorum senio. Mirum est,

est, inquit Plinius, quò processit Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat. Itaq; Copas qui Olympionica scripsit, narrat Demarchum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Ioui Lycæo humana etiam cum hostia faciebant, immolati pueri exta gustasse, & in lupum se conuertisse. Meminit etiam huius narrationis S. August. li. d. c. 17. & ca. 18 suam sententiam rectè profert de hac mutatione, quæ cùm multum faciat ad instructionem pro fidei veritate, placet eius verba paucis asscribere. Sic incipit ca. 18. enumeratis in ca. 17. incredibilibus hominum commutationibus ex Varrone. Sed de ista tanta ludificatione Dæmonum, nos quid dicamus, qui hæc legent, fortasis & expectant, quid Christiani agere debeant, quando inter idola gentiũ miracula fieri asseruntur. Et quid dicimus, nisi de medio Babylonis esse fugiendũ? Quod præceptum propheticum ita spiritualiter intelligitur, vt de huius seculi ciuitate, quæ profectò & angelorum & hominum societas impiorum est, fidei passibus, quę per dilectioné operatur, in Deum viuum proficiendo fugiamus. Quanto quippe in hæc ima potestatem Dęmonum maiorem videmus, tantò tenacius mediatori est inhærendum, per quem de imis ad summa conscendimus. Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui eiusmodi quædam, vel certissima audisse,

vel

vel etiam expertos se esse asseuerent. Nam & nos cùm essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione partium, vbi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent, seu possent viatoribus, vnde in iumenta ilicò verterentur, & necessaria quæq; portarent, postq; perfuncta opera iterum ad se redirent, nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamq; seruari. Sicut Apuleius in libris, quos Asini aurei titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, vt accepto veneno, humano animo permanéte, asinus fieret, aut iudicauit, aut finxit. Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, vt meritò non credantur. Firmissimè tamé credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere, quæ voluerit, siue iudicando, siue præstando, nec Dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam, quia & ipsa angelica creatura est, licet proprio sit vitio maligna, nisi quod ille permiserit, cui⁹ iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla. Nec sanè Dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quęstio, sed specietenus quę à vero Deo sunt creata, commutant, vt videantur esse, quod non sunt. Non ita solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim Dæmonum arte, vel potestate in mẽbra vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti, &c. Ex his Augustini verbis clarè

ostén-

ostenditur, non esse veras, sed phantasticas transmutationes. Ad idem fortius confirmandum facit ratio naturalis alia, quam facit Alphons. Castrens. loco citato. Nulla forma substantialis potest alicui materię velut illius forma vniri, nisi à solo illo agente, qui posit illam producere. Agens quod non potest formam substantialem producere, nec potest etiam illam materiæ vnire. Quoniam sic vniendo videretur ipsum compositum ex materia & forma producere. At ineptia est maxima dicere, quod aliquod agens producat aliquod compositum, cuius nec materiam, nec formá producere potest. Deus igitur, qui solus animã hominis producere & creare potest, etiam solus potest illã postquam à corpore suo fuit separata, iterũ eidem corpori vnire Nam alias ille, qui animã corpori vniret, hominẽ illum feciſſe diceretur, quod nefas est dicere Dæmonem facere posse: Quia dicente Deo, faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostrã: Apertè nos docuit, ipsius hominis productionem tantam esse, vt propagatione secluſa, soli Deo conuenire possit. Deinde (quod etiam August. in dictis verbis insinuare visus est) anima humana tãtę nobilitatis est, vt non nisi corpus humanum & organicum informare possit, vt constat. Nam si quælibet forma substantialis exigit certas dispositiones in materia, vt illam informare possit: Anima humana pro-

profectò, quæ est nobilissima forma, maiores & nobiliores etiam requirit dispositiones, vt corpus organicum & lineamẽtis distinctum, vt illud informet. Quod autem arte Dęmonis tale corpus organicum verum, & potentia vitam habens tanta celeritate formari queat, vt anima ei vniatur, non est credendum. DEI autem potentiæ non repugnat, cui omnis materia subiacet, qui etiam de non esse omnia produxit: At creaturæ vlli tribuere, hoc est Deo proprium ei adimere, & creaturæ potentiam creatoris asscribere, quod ad blasphemiam spectat.

Quod autem Bodinus magnam vim ponat in cap. 4. Danielis de Nabuchodonosore, qui ex hominibus eiectus, & fœnum vt bos commedit, nihil probat, quamuis Iosephus ante Bodinum occasione istorum verborum, quæ dixit (Et figura mea reuersa est ad me) putauerit Nabuchodonosorem regem non solùm in amentiam versum, sed & in bouem mutatum, ita quod exteriorem figuram amiserit, indueritque bouinam. Sed Hieronymus in illud cap. Epiphanius, & communiter Doctores Catholici tenent contrarium, vt rectè Dionys. Carthusianus in d. cap. attestatur, & dicunt Nabuchodonosorem non formam, sed mentem & mores amisisse. Nec textus dicit, quod in bouem mutatus fuerit, sed contrarium apertè significat his verbis. Eadem hora

sermo

sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus eiectus est, & fœnum vt bos commedit, & rore cœli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi. Ex his verbis constat Nabuchodonosorem non verè mutatum in bouem, sed septem annis in amentiam versum, fœno & herbis more bouis in locis ab hominum conuersatione remotis vixisse. Quod adfertur illud Genes. 19. & Luc. 17. de vxore Loth, quæ in pœnam peccati versa est in statuam salis, nihil ad propositum est. Quia id diuina potestate, non creata virtute factum est, Deus enim, vt suprà significatum, cùm sit omnipotēs, potest vnam substantiam in alteram transmutare. Fuit autem vxor Loth potius conuersa in statuam salis, quàm aliam substantiam, vt pœna correspon-deret peccato, & vt in quo peccauerat etiam puniretur. Nam, vt refert Nicolaus Lyranus secundum Hebræos, fœmina ista vespere precedenti noluit suo marito porrigere sal ad condimentum ciborum pro angelis, quoniam instar conciuium suorum Sodomitarum affectum ad peregrinos nō habebat, id circò in statuam salis est conuersa. Nec etiam iterum statua salis mutata est in hominem, sed mansit in

sua natura: Et sic Ioseph. li. 1. Antiq. Iudaicarũ cap. 19. testatur se eam vidisse his verbis. Vxor Loth cùm respiceret sæpè ciuitatem, & eius curam haberet, interdicente Domino, ne faceret, in statuam salis conuersa dignoscitur. Vidi siquidem eam, hactenus enim manet.

Dicet aliquis: Cùm huiusmodi transmutationes verè & realiter non fiant, quomodo igitur apparent? Respondetur secundum Doctores, quod tantùm secundum apparentiam fiunt, & hoc potest cõtingere dupliciter: Vno modo ab interiori, potest enim dæmon mutare phantasiam hominis, & etiam sensus corporeos, vt aliud appareat obiectum, quàm sit. Id quod experientia constat fieri etiam ex caussis naturalibus. Nam videmus quod quandoque laborantes vehementissimis calidissimisq; febribus, cadant in phrenesin, vel mentis alienationem, & dicant se esse, quod non sunt: & cùm dæmon Deo permittente possit agere in corpora, nihil vetat, quò minus mediãtibus caussis naturalibus, varias phantasias possit inducere. Alio modo ab extrinseco, ex parte sensibilis Potest enim circumponere cuicunq; rei corporeæ quamcunq; formam corpoream, vt in eius specie videatur: vel res etiam veras supponere. Exemplum extat in vitis patrum. Quædam iuuencula ita extitit maleficiata à quodam Iudæo, ad instantiam cuiusdam iuuenis, cuius turpitudini satisfacere nolebat,

vt omnibus videretur equa: ducta pro remedio ad S. Machárium, cuius sanctitatem rei veritas non potuit latere, qui mulierem esse cernebat, & sic orans detegebat illusionem: & iterum ab omnibus iuuencula cognoscebatur. Dicebatautem vir sanctus id ideò iuuenculæ contigisse, quod non vacaret rebus diuinis, & Ecclesiasticis mysterijs.

Ex Conclusione & dictis iudicium sumi potest, de mirabilibus effectibus, quos operabatur Simon Magus opere Dæmonum, de quibus Nicephorus lib. 2. histor. Ecclesiasticæ, cap. 27. Canem exire, & S. Petrum Apostolum humana voce ad se vocare iubebat. Vt statuæ mouerentur curabat, & in ædibus vasa atque instrumenta domestica se sponte propria hinc inde transferebant, & ipse flammis circundatus non vrebatur. Ferebatur quoque volans in aëre. Ex lapidibus, fuco hominibus obiecto, panes faciebat. Draconis quoque formam induebat, & in varias animantium species mutabatur, duplici facie indutus conspiciebatur, (& paucis interiectis) Nec ipse modò ad quam vellet transformabatur speciem, verum etiam alios quos voluisset, in variorum animantium formas mutabat, &c. Hæc Nicephorus.

Magi possunt ope dæmonum im

4. Conclus. *Magi & malefici possunt potestate Dæmonum facere ranas, serpentes*

pentes, Ciniphes, limaces, & similia animalia imperfecta, quæ secundum philosophiam generantur ex putrefactione.

perfecta facere animalia.

SIc docent August. lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 9. S. Thomas 1. part. q. 114. artic. 4 ad 2. S. Bonauent. in 2. d. 7. loc. citat. Alexand. Halens. 2. par. q. 43. membro 2. & Magister sentent. in 2. dist. 7. propè finem. Et constat quod Magi Pharaonis ranas serpentesque fecerunt. Vbi autem ad Ciniphes ventum est, defecerunt, & dixerunt. Digitus Dei est hîc. Aderat dominatio (inquit August.) prohibentis per spiritum sanctum. Idem patet ratione: Quæ generantur ex putrefactione, qualia sunt huiusmodi imperfecta animalia, facilius generantur, & quasi à casu, vt docet Aristoteles lib. 7. Metaphys. tex. 23. & ex causis naturalibus: ergò Dæmones per applicationem causarum naturalium, citius & celerius potentia suæ virtutis possunt disponere ad formæ vltimæ inductionem: & hoc vult August. loc. citat. cap. 7. quando dicit: Sicut nec parentes dicimus creatores hominum, neque agricolas frugum, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus ad ista creanda Dei virtus interius operatur: Ita non solùm malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, sed præsubtilitate sui sensus & corporis, semina ista rerum nobis occultiora nouerunt,

uerunt, & ea per congruas contemperationes elementorum latenter ſparſerunt. Atque ita gignendarum rerum, atq; accelerandorum incrementorum prębuerunt occaſiones. Atq; in hac authoritate, vt rectè notãt quidam Doctores, creationem intelligit Auguſt. vltimæ formę introductionem. Hoc etiam aduertendum, hanc concluſionem duabus prędcedentibus non repugnare: quia hac intelligitur, non quod malefici vel magi, virtute diabolica imprimant formam in materiam, ſed tantùm diſpoſitiuè, mediantibus agentibus naturalibus concurrant.

Dæmones cum maleficis venereã rẽ exercent.

5. Concluſ. *Malefici vel maleficæ rem veneream habent cum Dæmone.*

Probatvr ex Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 23. & probat ab experientia, qua & hoc infœlici tempore ſatis ſuperq́; probari poteſt. Creberrima, ait, fama eſt, multiq́; ſe expertos, vel ab eis qui experti erant, de quorum fide dubitandum non eſt, ſe audiuiſſe confirmant, Siluanos & Faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos extitiſſe mulieribus, & eorum appetiſſe, & peregiſſe cõcubitum: & quoſdam Dęmones, quos Duſios Galli nuncupant, aſſiduè hanc immunditiam & tentare & efficere, vt hoc negare impudentiæ videatur. Auguſt. ſequuntur communiter Doctores. Iſidorus lib. 8.

lib.8.cap.vlt.S.Thom in 2.sent.dist.8.& 1.par. q.51.art.3.ad 6. S.Bonauent. in d.8.2.sent.art.3. q.1.Dionys.Carthus.ibidem q.2. Guilhelmus Parisiens. in vltima parte de vniuerso cap. 23. Martinus Arles in tract de superstitionib.Scotus in 2.d.8.q.vnica, Gabr.ibid. q.1. conclus.2. Alphons.Castrens.lib.1. de iusta hæret.punit. cap.16.Doctores mallei maleficarum 1.par.q. 3. Innocentius VIII. Papa in Bulla præposita malleo maleficarum, quæ nunc est reducta in 7. Decretalium, in titulum de maleficis & incantatoribus.Cardinal.Caietan.in 2.2.S.Thomæ,q.95.art.3. Barth. Spineus in tract.de Strigibus.cap.6.Barth.Medina in 1.2 S.Thomæ q. 72.art.2.Ioannes Nider in Fornicatio: Vlricus Molitor,in Dialogo habito cum Sigismundo Archiduce Austrię.cap.5 &6 Paulus Grillan. lib 2.de Sortileg.q.7 num 13. Ioannes Bodin. lib.2.cap.7.Thomas Erastus doctè in Dialogo de Strigibus non longè à fine,ac alij alibi: & hæc est indubitata veritas, quam non solum experientia certissima comprobat, sed etiam antiquitas confirmat, quicquid quidam medici & Iurisperiti opinentur. Et sic sine ratione ac vllo fundamẽto Ioan. Fichardus in consilio iu. dicit esse incredibile, merè præstigiosum,& somnium: mulierum cum dęmone venereum congressum,etiam si inquisitores hæreticę prauitatis:& alij Papatui adhęrentes stabiliant,ac etiam rationi,& naturali intellectui

repugnare. Sed frustra dicitur quod non probatur. Si antiquitatem spectes Catholicorum, sententia auctoritatem & experientiam habet. Nam Augustinus, Guilhelmus Paris. D. Thomas & alij suis temporibus experientia hanc veritatem compertam attestantur. Si auctoritatem, communis est Theologorum sententia, qui non solùm doctissimi in Philosophia, sed etiam in Theologia & omni genere disciplinarum extiterunt, vt eorum monumenta relicta omnibus demonstrant: Si nostrorum temporum testes requirũtur non solum edentulæ vetulæ, nec deliræ mulieres, sed adolescentes, iuuenes, & viri docti in iure & sacris literis homines vtriusq; sexus & status, qui ob ingenij, & donorum naturalium ac acquisitorum præstantiam publicis functionibus præfuerunt, attestãtur se expertos hanc turpitudinem, ita vt negare impudentiæ videatur, vt August. rectè ait. Atq; aduocati maleficorũ, ne cogantur hoc præsuppositio concesso, concedere eos morte mulctandos, etiamsi homines aut iumenta veneno non interfecerint, sõniant somnia esse, quod docti & indocti verissimum fatentur, & volunt vigilantes facere dormitãtios contra eorum propriam voluntatem vigilãtem rationem, & acutam sensuum functionem: Plusquam mille annis per temporum successiones homines experiẽtia compertissimum habuerunt, & nunc aduocati Regni

gni Sathanæ somnia esse somniant, quæ vigilantes in vigilia exercent, & sani mente & corpore vera confitentur. Et certè vt rectè Thomas Erastus docet singulæ singulos habēt suos Amasios ornatu, aspectu, nomine distinctos, & statim, aut saltem citò à contracta societate, aut pactione congredi solent, sicut vbiq; vniuersæ, vbicunq; captæ fuerint, magno semper consensu asseuerârunt. Quod nos nunc nō solum ad fœminas, sed etiam ad viros, quorū hoc deplorato seculo satis magnus numerus hāc sectam detestabilem sequitur, referimus. Et quoniam fortasse multi existimant aliquid impossibile contra rerum naturam & capacitatem humani intellectus dici in hac Theologorum doctrina latius & distinctius eam placet hoc loco in gratiam ignorantium declarare.

In primis nemo tantæ sit ignorantiæ quod in Dæmonibus putet esse discretionem sexus, quod alius sit mas, alius fœmina. Differentia sexus non habet locum in substantijs à materia separatis. Fuit enim aliquando quorundam error dicentium inter Dæmones esse sexum fœmineum & masculinum genus sicut inter homines, & posse filios & filias generare. Hinc gentiles Deos & Deas adorabāt, & Poëtę de nuptijs & coniugijs Deorum mentionem fecerunt. Sed rectius Marcus quidem qui lōgo tempore Dæmonum cultui operam

dederat apud Michaëlem Pſellum de natura Dæmonum docuit has maris & fœminæ differentias non ineſſe Dæmonibus, ſed apparere, nullamq; formam in eis ſtabilem permanere. Sic vt experientia cognoſcimus viris apparent in maleficorum exercitio ſub forma fœminæ: Mulieri autem ſub ſpecie viri.

Deinde ſciendum, quod aliqui ex Patribus videntur ſentire, quod gigantes qui diluuium præceſſerũt, fuerint nati ex angelorum & mulierum concubitu, cui ſententiæ fauent Iuſtinus martyr in Apologia ad Senatum Romanũ, & in alia Apologia ad Antoninum Pium, Tertullianus in lib. de habitu mulierum. Lactant. lib. 2. de origine erroris, cap. 15. Euſebius lib. 5. de pręparat. Euangel. cap. 4. Philo in l. de gigantibus. Ambroſ. lib. 1. de Noë & Arca cap. 4. hi Patres & alij videntur ſentire, quod angeli cum mulieribus peccauerint, & pro his facit illud Geneſ. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, ſumpſerunt ſibi vxores. Reſpondetur, S. Patres per angelos non intellexiſſe ſpirituales ſubſtantias, ſed viros illuſtres, Dei cultus ſtudioſos, ex ſancta ſtirpe Seth deſcendentes, qui quoniam vſq; ad illud tempus in cultu vnius Dei perſeuerârunt, in Scriptura vocati ſunt filij Dei. Editio verò ſeptuaginta interpretum vetuſtior angelos Dei appellauit. Iuſti enim homines in Scriptura angelorum nomine nuncupantur. Sic de

Ioanne

Ioanne scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum: & sacerdotes in Malachia angeli domini exercituum dicũtur, & hanc expositionem August. loco citato amplectitur. Ad eandem expositionem accedit Guilhelm. Paris. loco citato. Dionys. Carthus. in cap. 6. Genes. & in 2. d. 8 q. d. Cassian. coll. 8. c. 21. & alij nunc communiter dictam expositionem apprehendũt. Nunc vt ad resolutionem propius accedamus, cũ spiritus carnem & ossa nó habeat, caret etiã anima vegetatiua, & sic operationes animæ eiusdem habere nequit, quia cuius non est potentia, eius etiam nec est actus: Generare autẽ præsupponit animam vegetatiuam & nutritiuam. Semen enim, quod medium est ad generationem, siue sperma, vt vocant, est pars substantiæ corporis viuentis, remanens ex cibo optimè digesto in proxima dispositione ad sanguinem, secundum Physicos. Vnde dicuntur multum venerei, quando totum semen insaciabili libidine exhauserunt, emittere sanguinem. Hinc sequitur, quod generare propriè non potest competere Dæmonibus, cùm non habeant principium intrinsecum generationis, animam vegetatiuam nec sensitiuam. Sicut ergò Dæmones nec esuriunt nec sitiunt, ita nec nutriuntur, nec semen aut sperma secernunt, nec libidine inflammantur, & consequenti gradu non generant. Quia vbi non est potentia, ibi non est actus. Nullo ergò modo

more hominum semen ex propria substantia sumendo & secernendo Dæmones cum mulieribus coire possunt. Et sic intelligendi sunt Cassian loco citato, quando ait. Nullo modo credendum est spirituales naturas coire cum fœminis carnaliter posse. Chrysost. hom. 22. in Genes. Impossibile esse, vt improbi angeli cum fœminis coitum exerceant. Et Philaster Episcopus Brixiensis in lib. aduersus hæreses, ca. 108. Et in hoc articulo meritò consentiunt Theologi cum omnibus, qui dicunt impossibilem esse coitum Dæmonum cum mulieribus. Et hac annotata doctrina ruunt omnia argumenta, quæ facit Ioan. Vierus in lib. de Lamijs, cap. 13. & lib. 3. de præstigijs Dæmon, cap. 21. Confirmant enim ea, quæ iam diximus. Sed quamuis propriè generare non possit Dæmon, generationem tamen procurare eius naturæ non repugnat, & in hoc Catholicorum Theologorum sententia videtur à medicis & quibusdam Iurisperitis Theologiæ ignaris discordare. Quando autem Dæmon cum fœmina in forma viri rem veneream habet, aut semen viri succumbendo recipit, aut procurando alicuius pollutionem colligit, & fœminæ incumbendo infundit: aut frequenter alium humorem ad illum actum accõmodat, vt videatur sperma emittere. Et hoc postremũ communiter accidit, quando Dæmon cum maleficis & sagis rem habet. Nam confitentur ferè

ferè omnes, quod semen sit frigidum. Quia cũ non excidatur à corpore viuo sensitiuo, calor naturalis nullus concomitatur. Non tamen negandum absolutè, quod non possit sequi, Dæmone procurante, & Deo permittente, generatio in muliere: cùm à multis viris in Philosophia & Theologia doctissimis cõtrarium dicatur, & quod multis eisq; sapiẽtibus & doctis videtur, non potest omninò esse falsum, iuxta doctrinam Aristotelis in 7. Physic. & in fine de somno & vigilia. Atq; vt hæc Theologia simul & Philosophia intelligatur, aduertẽdum ex S. Bonauert. in 2. d. 8. artic. 3. q 1. & alijs alibi, quod in actu generationis hæc concurrunt, Seminis constitutio secundum neruos & virtutes, Calor naturalis tali speciei competens, Seminis sic perfecti transfusio, & susceptio. Primum conuenit ei soli, cui Deus dedit vim vegetatiuam & propagatiuam: & sic nullo modo competit Dæmonibus corpus assumentibus. Semen autem suscipere & transfundere non repugnat Dæmoni in corpore assũpto. Quia potest assumere corpus palpabile & solidum, ita vt videatur quasi humanum, ac habeat figuram & instrumenta apta ad recipiendum & deferendum semen ad generandum, atq; etiam illud valet mouere, prout cõuenit tali actui, vt semen à muliere in loco deputato ad generationem recipiatur. Recipit autem semen, vt antea dictum, succumbendo viris,

viris, aut procurando pollutionem,& colligendo semen,demum transfundit incumbendo mulieri. Et cùm, vt optimè Guilhelmus Parisiensis dicit ,nemo dubitare possit huiusmodi spiritus super omnes medicos & Physicos nosse naturam tam virilis quàm muliebris seminis,illud nouit sua sagacitate, & acceleratione in sua virtute & temperatura conseruare,vt sit aptum ad generandum. Quando autè in tali casu sequeretur generatio, natus filius non esset filius Dæmonis,sed illius hominis,à quo semen secretum & collectum est,vt DD. attestantur.

Non enim necesse est, quod omne quod procurat generationem, verè Pater nominetur. Atq; hinc etiam cóstat quod sic generatus non sit similis Dęmoni,sed ei,à quo semen excisum est: Quia verè generans generat sibi simile, & speciem propagat. VVierus d.cap 3. dicit S. Thomam nugari, quando tradit Dæmonem calorem naturalem posse conseruare: sed ipse verè cæcutiens est,quod sua medicina & physica Dæmonis potestatem & scientiam velit metiri. Non enim solùm S. Thomas sic docuit: Sed etiam S.Bonauent.Scot.Gabriel. Richard.Guilhelm.Parisiens.Medina,& tota schola Theologorum in eandem abierũt sententiam Philosophi & physici fuerunt, & tamen nihil hîc,quod Philosophiæ repugnaret, inuenerunt, Theologiæ peritissimi extiterũt, & hoc

& hoc Dæmonum subtilitati & potentiæ congruum intellexerunt, nec in tali Theologia est quod reprehendi à Philosopho aut Theologo possit.

DVBIVM HIC MOueri potest.

Cum nihil afficiatur nisi ad id quod suæ naturæ conueniens & congruum est, quomodo spiritus qui carnem & ossa non habet, delectatur peccato carnali, & appetit coire cum fœminis?

HVIVS dubij difficultatem augere potest si vera libido & carnalis delectatio est in Dæmonibus, possent huiusmodi libidinem facilius explere inter seipsos, & maiori cum voluptate, cùm facilè sit eis virorum & mulierum speciosissimas formas assumere & effingere, & coniunctio huiusmodi adinuicem magis esset naturalis, quàm cum viris aut mulieribus propter naturæ similitudinẽ, ideoq; maior esset voluptas. Hæc difficultas quærit quomodo in Dęmonibus sit peccatum carnale. In primis, sicut in Dęmonibus quantum ad reatum omnia sunt peccata, ita & peccatum carnis. Quia homines ad omnia peccata perpetranda inducunt & instigant, vt nemini dubium

bium est, maximè autem ad peccatum carnis, vt ex sequentibus patebit. Deinde vt ad dubium respondeamus, in Dæmonibus peccatum carnis non potest esse secundum affectum. Nam illa peccata tantùm sunt in Dęmonibus, ad quæ spiritualis creatura afficitur, vt nunc probatum est; sed spiritualis creatura non afficitur ad ea, quæ sunt carnis & corporis, cùm simile delectetur simili. Delectantur autem admodum libidinum & voluptatum turpium sordibus, vt tradunt Cassianus loc. cit. & S. Augustin. in lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 27. quod contingit, non quod ipsi afficiantur carnali turpitudine, sed ex inuidia, qua genus humanum prosequuntur, eiąue inuident fœlicitatem, quam ipsi perdiderunt. Peccata autem prętant impedimentum, ne homo finem suum vltimum, videlicet beatitudinem cõsequatur: præcipuè tamen fornicatione siue actu carnali & idololatria delectantur, secundum Glossam Leuitici 18. super illa verba. Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt gentes, &c. Quia in his & corpus & anima maculatur, & totus homo. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. 1. Corinth. 6. Aliam rationem adiungere possumus: peccata carnalia, & turpes voluptates cum carne hoste animæ exerceantur, diutius hærent,

rent, & exercitio magis trahunt. Sicut enim per opera virtutis & pietatis frequentata homo efficitur pius & spiritualis : Ita per carnis ac turpis voluptatis facta continuata totus redditur carnalis, & ita non facilè relinquit hoc peccatum, & quò diutius perseuerat, eò magis se implicat, & vehementis libidinis vinculis fortius stringit. Quod inimico, qui semper quærit, quem deuoret, optimè constat.

Dubitare quispiam etiam hîc possit.

Quod non videantur mulieres, aut viri commercium cum Dæmone habentes, aliquam voluptatem, aut delectationem in tam fœdo actu percipère, ideoq; eum non expetere. Cùm Dęmon vtpote corpore & carnis substantia carens non seminãdo possit concurrere ad coitum. Ante omnia certissimum est Dęmonem posse inflammare carnem ad libidinẽ vt homo quasi amore ardeat. Halitus enim eius ardere facit prunas, vt Iob ait. Hinc & spiritus fornicationis quidam dicitur, Oseæ 4. Spiritus fornicationis decepit eos. Sic legimus apud S. Gregorium lib. 2. Dialog. cap. 2. in vita S. Benedicti, quod viro sancto soli existenti apparuit tentator. Nam nigra paruaque auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusq; vultui importunè insistere, ita vt manu capi possit, si sanctus vir

vir capere voluisset, sed signo crucis facto recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aui eadem recedente secuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namq; aliquando fœminam viderat, quam malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit: tantoq; igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deserere eremum voluptate victus, deliberaret.

Tunc subitò superna gratia respectus, ad semetipsum reuersus est: Atq; vrticarum & veprium iuxtà densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento nudum se in spinarũ aculeos, & vrticas proiecit, ibiq; diu voluutatus, donec corporis vulnera animæ vulnus curarent. Cumq; pænaliter bene foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Si autem Dæmon tanta facilitate potuit ignem libidinis incendere in viro sancto, qui vitam in omni austeritate, continentia, & munditia in solitudine agebat: Quid faciet in suo pecore, cui semper insidet & assistit, quodq; tam fœdissimo actu sæpius libidinis æstus inflammat? Simile refert Vincentius in speculo historiali, ex vita Basilij Magni, cuius tempore dives quidam vnicam habebat filiam, quam consecrare Deo statuerat: Quam seruus diuitis in coniugem desiderans, & habere non valens, adijt maleficum, qui Dæmonem inuocauit, & fornicatio-

nicationis spiritum mitti obtinuit ad filiam, quam accendit adeò libidine, vt in terram volutata clamaret, se propter seruum torqueri, & pro liberatione sui seruo in coniugium tradi à patre peteret. Magna sanè est Dæmonis subtilitas, & in carnem occulta operatio, quare mouere potest carnem ad titillationem, vt pruriat, ac concitare spiritus & sperma ad libidinis fomenta. Tamen hoc naturalis ratio dictat, quod vir maiorem delectationem experiatur coeundo cum succubo, quàm mulier cum incubo. Quoniam maior est abundantia seminis & naturalis vigoris in eo: & cùm semen cum concupiscentia & delectatione resoluatur, vbi plus est de semine, ibi maior resolutio, & ex consequenti intensior libidinis ardor. Non tamen negandum est fœminam etiam ex eadem causa sentire in tam fœdo actu delectationem: quia licet semen mulieris imperfectum sit, propter imperfectionem virtutis fœmineæ, naturalemq; sexus debilitatem, maximè cùm etiam sanguis menstruus seminis quantitatem diminuat, tamẽ cum quadam concupiscentia etiam resoluitur, vt rectè tradit S. Thomas in 3. parte q. 31. artic. 5. ad vltimum. Quod rectius intelligitur, & magis physicum est, si quorundam medicorum sententiam teneamus contra Aristotelem lib. 1. de generat. animalium, cap. 19. in fine, & li. 2. c. 4. & 5. & Auerroëm 2. Colliget: cap. de iuuamen-

tis testiculorum : Qui tradunt fœminam seminando non actiuè cõcurrere ad generationem, sed menstruum in fœmina proportionabiliter respondere semini in viro. Quare refert Aristoteles mẽstrua esse in fœminis, quod sit in maribus genitura, nec fieri posse, vt duæ simul secretiones seminales agantur. Ideò semen fœminæ non conferre ad generationem, nam si semen esset, menstrua non essent. Id tamen hîc notandum ex Auerroë, quod etiam Magnus ille Theologus, Guilhelmus Parisiensis exemplis & experientijs confirmat, loco citato, facilimè ex receptione qualicunq; seminis fœminam concipere, & attrahere semen virile : quod magis confirmat communem Theologorum sententiam, quod mulier Dæmone procurante possit generare. Addit in rei confirmationem Auerrois, se nouisse fœminam in vicinia cohabitantem probis moribus, & fidei integræ, quæ iureiurando confirmârit, concepisse infantem, semine ex balneo attracto, quod profudisset lasciuiens. Contrarium tamen, quòd semen mulieris excernatur & actiuè concurrat ad generandi effectum, tenent Galen. li. 2. de semine siue sperm ate. & lib. 14. de vsu partium corporis humani. Auicenna doctrina quinta Fen primæ primi, & lib. 9. de animalibus cap. 3. Albertus lib. 15. de animalibus, propè finem. In quam sententiam, tanquam magis Physicam descendũt

etiam

etiam Theologi. Guilhelmus Parisiensis loco citato. Scotus in 3. sentent. d. 4. latissimè Cardinal. Caietanus in 2. 2. S. Thomæ, q. 154. artic. 12. & ostendit etiam esse sententiam S. Thomæ: Franciscus Ferrariensis super cap. 11. lib. 4. S. Thomæ contra gentes, & alij alibi. Horum doctorum sententia, quam verissimam puto, est quod semen muleris dependenter concurrat cum causalitate viri, ita vt vtrumque sit necessarium ad generationem. Et profectò vt rectè Caietanus docet, multum obstat opinioni Aristotelis, quod natura posuit veneream magnam delectationem in resolutione seu emissione seminis in muliere. Cùm enim natura agat propter finem, ita quod ex finali causa optima sumatur ratio in naturalibus, consequens est, quod natura apposuerit delectationem in tali semine propter bonum speciei conseruandę, sicut in semination viri. Et cũ manifestè appareat, quod est delectatio nõ sicut in cõfricationibus & alleuiationibus naturæ, sed venerea, adeo vt sensibiliter quietet concupiscentiam veneream in mulieribus: non est consentaneum rationi, quod huiusmodi seminatio sit excremẽtũ vteri, sed quod sit à natura ordinata ad conseruationẽ speciei. Delectatio enim venerea ex propria ratione ad actus generationi deseruientes spectat, & illos cõsequitur. His accedit pro confirmatione opinionis Galeni, quod vt ipse & alij tradunt,

& veritas est, quod mulieres patiantur pollutionem, & committunt peccatum mollitiei, cuius ipse contrarium existimaui, & respondi aliquando cùm Theologiam in monasterio Prumiensi docerem, motus auctoritate & Philosophia Aristot. sed lecto Galeno & eius fundamento, & historijs Sanctorum, & de illusionibus mulierum, adhæsi Galeni sententiæ. Mouet etiam ad confirmationem huius doctrinæ: secundum leges & iurisperitos, in foro ciuili mortis pœna imponitur mulieribus inuicem in libidinis & veneris actum prorumpentibus, & se corrumpentibus: aut, vt quidã loquuntur, se mutuò subagitantibus, vt text. est in L. fœdissimam, C. ad L. Iuliam de adult. secundum vnum sensum. Gloss. Salyc. & Godefr. ibidem, & Cynus dicit quasdam mulieres fœdissima nequitia tentari, quæ libidinem suam exercent in alias mulieres, easq; insectantur vt viri. De hac mulierum libidine Nicolaus Boërius in decis. 326. num. 13. Damhauderus in rerum criminal. praxi cap. 96. num. 10. Iulius Clarus lib. 5. senten. Recept. Iuris, §. Fornicatio. num. 28. Rationes Aristotelis contra Galeni & Theologorum sententiam soluit Caietan. loco citato. Ex his ergo elicitur, non esse difficile Dæmoni, in muliere commouere libidinem & voluptatem, etiamsi ipse è sua propria substantia nullum semen secernat. Vnum hic notandum singulare ex Guilhelmo Pa-

mo Parisiens. occasione illius dicti S. Pauli 1. Corint. 11. Mulier debet velare caput suum, & propter angelos: hoc quidem intellexerunt de angelis malis, quorum libidinem opinantur vehementer prouocari ac inflammari pulchritudine muliebrium capillorum: & sic incubi magis infesti sunt mulieribus pulchros crines habentibus. Quod contingit Deo iustè permittente, propter vanitatem, pompam, cõplacentiamq; inanem talium mulierum: Aut enim in cultu & tinctura crinium cura nimia intẽdunt: aut sua pulchritudine alios in suam libidinem inflãmare consueuerunt: aut in eis insolenter gloriantur. Et forsitan, ait, ad terrorem diuinę bonitatis, prouidentia hanc tentationem à malignis spiritibus eas pati sinit, vt ab huiusmodi cultu desistant, timentes viros ad suam libidinem inflammare, dum ipsos Dæmones ad eam instigare & prouocare videntur.

Postremò, in maleficorum & sagarum cum Dæmone coitu, etsi possibile sit ad procurationem Dęmonis in casu sequi generationem, iuxta Theologorum sententiam, tamen communiter non fit: cùm Dæmon non tam intendat generationem, quàm spurcitiam eorum: nec verum infundit semen, sed alium humorem, aut saltem semen suo calore naturali destitutum, vt confessione ferè omnium, qui in Germania, Gallia & Italia, & alibi in tali cri-

mine depræhensi sunt, didicimus. De quibus multa exempla Bodinus lib. 2. cap. 7. & aliqua Grilland. & DD. Mallei maleficorum. Et apud nos omnis ætatis vtriusque sexus & status homines confitentur, se expertos hanc fœditatem cum suis circunstantijs. Et qui negat omnis ætatis & sexus in hoc fœdus recipi: etiã bis duo, quatuor facere, inficiari audebit, vt verbis Thomæ Erasti vtar. Et vt ex nostris aliqua subscribam: Ioannes Cuno prima vice, quandò fidei & Deo abrenũciauit, matre verba prędicente, & celebratis nuptijs, vt vocat, rem venereã habuit cum sua Amasia, quã Capribarbam nominauit. Mater huius iuuenis, Meisenbeins Anna/ prima vice, adiacente proprio marito, & eo dormiente, cum suo Fedderhans actum carnalem consummauit, & experta est non semen naturale, sed frigidum, & post tres dies idem Amasius nocte redijt, & iterum fœdum actum repetijt, tunc vir adiacens excitatus interrogauit, quid rei & tumultus esset in cubiculo? Cui ipsa respondit, spectrum fuisse, & virum ad se venisse. Tunc maritus: Si scirem te ex numero talium personarum esse, nunquam mihi amplius condormires. Deinde in loco conuentus dicto Hetzenroderheidt/ nigram materiam, aptam ad vnctionem, mulieri dedit, quam in nomine Diaboli mariti dormientis auribus imponeret, vt profundius dormiret. Nemo miretur

hoc

hoc factum in præsentia mariti: simile enim legimus in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 6. Erat, vt narrat, in regione illa misera mulier, quæ à quodam petulante Diabolo vexabatur. Habebat autem virum tam execrabilis commercij prorsus ignarum. Abutebatur igitur ea etiam in eo dẽ lecto, cubante marito, inuisibiliter impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis latuit malum, nec detexit mulier tantũ crimẽ. Septimo verò anno cõfusa est in seipsa, & expauit, tum propter colluuionem tam continuę turpitudinis, tum propter timorem DEI, cuius iudicio singulis momentis timebat intercipi & dãnari. Confugit ad cõfessiones, peragrat ad loca sancta, sanctorum implorat suffragia, Eleemosynas largitur: quotidie, vt prius, & importunius à dæmone infestatur. Deniq; in publicũ scelus effusum est. Quo audito & cognito maritus eius contuberniũ execratur. Interea vir Dei S. Bernard. cum comitatu suo aduenit, cuius aduẽtum infœlix mulier vt intellexit, accessit ad eius pedes tremebunda se proiecit, aperiens cũ lachrymis horribilẽ passionem, & ludificationem inueteratã, & quod nihil ei omnia profecissent, quæcunq; feciisset. Addidit, sibi ab oppressore aduentũ eius prędictum, & minaciter interdictũ, ne ante eius præsentiã veniret, quia nihil ei prodesset, & ipse recedẽte Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor

Vir Dei hæc audiens, blandis mulierem verbis consolatur, & de cœlo promittens auxilũ, præcepit vt die altera (iam enim nox instabat) confidens in Domino reuerteretur. Reuersa manè, cùm viro Dei blasphemias & minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset: Ne cures, inquit vir Dei, minas eius, sed vade, tolle baculum hunc nostrum, & pone in lectulo tuo, & si quid potest, agat. Egit mulier quod iussum fuerat, & recubans in lectulo suo, signo crucis munita, iuxta se baculum ponit. Adest ille continuò, sed nec ad cõsuetum opus, nec ad ipsum cubile præsumit accedere: minatur tamen acerrimè, quod discedente viro Dei, ipse in eius supplicia reuerteretur. Instabat dies Dominica, & voluit vir Dei per edictum publicum Episcopi populum in Ecclesiam conueniri. Cùm maximus populus conuenisset, inter Missarum solemnia, comitantibus Carnotensi & Nannetensi Episcopis ambonem conscendit, & vt omnes, qui in Ecclesia erant, accensas candelas in manibus tenerent, locuturus edidit. Quod & ipse cum Episcopis & clericis faciens, inauditos Diaboli ausus publicè aperit, & fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi tam ad illam, quàm ad omnes mulieres deinceps interdi-

terdicit accessum. Extinctis itaq; sacramentalibus illis luminibus, extincta est tota virtus diaboli, & mulieri post confessionem communicanti, nunquam postea inimicus apparuit.

Cæsarius etiam sui temporis exempla producit, lib. 3. seu distinct. cap. 8. Bonnæ, ait, in paræcia S. Remigij ante paucos annos sacerdos quidam fuit, Arnoldus nomine, filiam habens speciosam, quam nimis diligens, quia pulchra erat, propter iuuenes, & maximè Canonicos Bonnenses, ei custodiam tantam adhibuit, vt quoties de domo exiret, in solario domus illam clauderet. Die quadam apparẽs ei Diabolus in specie viri cœpit animum eius in amorem suum intus suggestione latenti, foris locutione blandienti, inclinare. Quid plura? Persuasa misera & corrupta, sæpius postea Dæmoni ad suam pernicie m consensit. Vna dierum sacerdos solarium ascendens, filiam gementem flentemque inuenit: à qua caussam doloris vix extorquere potuit. Confessa est patri, quod deluſa esset à Dæmone, & oppressa, ideoq; se meritò dolere: Quæ etiam ita dementata est, & alienata à sensu, tum ex dolore, tum ex diabolica operatione, vt vermiculos, quos de sinu colligebat, in os mitteret & masticaret. Tristis effectus pater, misit illam trans flumen Rhenum, sperans eam ex mutatione aëris aliquid posse meliorari, & ob fluminis

interpositionem ab incubo dæmone liberari. Transmissa puella, apparuit dęmon sacerdoti, apertis ei vocibus dicens: Male sacerdos, quare abstulisti mihi vxorem meam? Malo tuo hoc fecisti: Et mox trusit eum in pectore tam validè, vt sanguinem vomens, tertia die moreretur. Huius rei est testis Abbas noster, testis etiam Gerardus monachus noster, aliquando Bonnensis Scholasticus, quibus res benè innotuit. Sic ille. Aliud ibidem etiam adducit cap. 10. Prumiæ Scholasticus quidam fuit, Ioannes nomine, vir quidem literatus, sed leuis & lubricus. Isti, sicut de eo dicebatur, & sicut ab Abbate eiusdem monasterij audiui, fœmina quædam promiserat, quod tali nocte ad eũ veniret. Nocte condicta, illa quidẽ non venit, sed in eius specie, consimiliq; voce diabolus clerici lectũ ascendit: quem putans fœminã bene sibi notam, cognouit eum. Manè surgens, cùm dęmonem, quem fœminã esse putauit, egredi compelleret: Respondit ille: Cum quo putas te hac nocte iacuisse? Cumq; ille diceret, Cum tali fœmina Respondit dæmon, nequaquam, sed cum diabolo. Postremò satis etiã memorabile est, quod longè ante hos in hominũ notitiam duxit Sozomen. apud Tripartitam lib. 8. c. 1. de Apelle hęremita, & fabro ferrario, qui cùm nocte quadam pristinum opus exerceret, apparuit ei dęmon sub vmbra, vt loquitur Sozomen. siue forma speciosæ mulieris, inuitans

eum

eum ad libidinis actum, necnon ad labefactãdam vitę & corporis, quam diu coluerat, puritatem. Statim ille ferrũ quod elaborabat, è fornace extrahens, in faciem eam percussit. Tunc dæmon stridens & ingemiscens, procul aufugit. Sed & in vita S. Catharinæ filiæ B. Brigittę, apud Surium tom. 2. 22. Martij. in actis vitæ, c. 16. legitur filiam quandam magnæ dominæ, viro orbatam, grauissimè infestatam à dæmone nocturno, à quo S. Catharinæ saluberrimis & pijs consilijs fuit liberata.

Ex his & alijs scriptorum antiquorum monumentis constat nunc similia opera Dæmonem facere, qualia temporibus Augustini, Bernardi, Guilhelmi Parisiensis, & aliorum, qui nos multo tempore præcesserunt, nec aliquid noui confiteri nostros maleficos, quod ab hoste maligno olim non fuerit factum: formam & pellem benè mutat, sed non mores, malitiam ac fallaciam. Et sic semper in hoc negotio, sicut in alijs, verum manet illud Ecclesiastes cap. 1. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est, iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Libet adhuc ad propositum vnum ex nostris addere in dictorum confirmationem. Anno Domini 1589. 15. Iulij extremo supplicio est affecta,

malefica

malefica quædam nomine Maria, ex pago S. Medardi, prope Monasterium S. Matthiæ, extra ciuitatem Treuirensem, qui pagus subest iurisdictioni monasterij. Hæc quam primùm crimen & maleficia sua confessa fuit, cùm iam Prætor, Scabini adiuncti & notarius, qui eius examini pręerant, discessissent relicta ea in custodia, valdè malè fuit verberibus excepta ab amasio, & qui antea fuerat amator, vt minatus etiam fuit mulieri in vita S. Bernardi, crudelissimus factus est persecutor, quia veritatem rei gestæ Iudici & scabinis aperuerat, & iterum ad Deum redire statuerat. Inimicus nec dum verberibus contentus, sed etiam linguam è faucibus vi eruere, & ipsam mulierem iugulare contendit, nisi nuncius superueniisset, quem ob Dei amorem mulier rogauit, vt ei sacramentalem & benedictam candelam communicaret. Scabini & notarius regressi ad ipsam, linguam ore prominẽtem, & quasi extractam viderunt, & omninò tremebundos gestus in muliere animaduerterunt. Hæc mulier inter reliqua confessionis puncta confessa est, quod cùm semel laboraret menstruo, Amasius nomine Beelzebub ad ipsam venerit, volens venerem exercere, & eam menstruo laborantem cognoscens noluerit commercium habere, sed Phoë dixerit discedendo. Exempla quæ hactenus ex actis inserui, & postmodum inserturus sum, auctentica sunt, & scripta, subscriptaq;

taq; manibus notariorum eorum, qui ea corã criminalibus iudicibus siue præfectis locorum, & aliquibus semper scabinis in examine adiunctis in notam receperunt.

6. Conclusio. *Malefici ope diabolica adiuti possunt impedire vim generatiuam inter coniuges, vel alias personas.*

Malefici vim generatiuã coniugum impedire possunt ope dæmonum.

PATET ex iure canonico in titulo de frigid. & malefic. & 33. q. 1. cap. Si per sortiarias. Et ratio est manifesta. Potestas Dæmonis est maior potestate hominis, sed opere humano potest aliquis fieri impotens ad carnalem copulam, vt per castrationem, ruptionem, herbas, vel medicinas. Sic tenent communiter Theologi in 4. sentent. distinct. 34. Canonistæ in tit. de frigid. & malefic. & in d. 33. q. 1. c. Si per Sortiarias. Potest autem tale impedimentum poni, vel impediendo corpora, ne mutuò appropinquent, vel adhibendo occultè virtutes rerum, quas Dæmon optimè nouit ad hoc validas; vel turbando imaginationem & phantasiam, ita vt reddat alterum cõiugum exosum: vel prohibendo missionem spirituum ad mẽbra, in quibus est virtus motiua & seminatiua; & alijs modis, qui sunt Dæmonibus cogniti, nobis autem occulti. Legendus super hac materia Paludanus in 4. sentent. dist. 34. q. 2. art. 3. Malleus malef. 1. part. q. 8.

Quare

Quare autem Diabolo potius potestas tribuatur circa vim & actum potentiæ generatiuæ, quam in alijs actibus, hanc post S. Thomam in 4. dist. 34. quidam rationem reddunt, quia corruptio peccati prima per quam homo factus est seruus diaboli, in nos per actum generatiuæ deuenit, ideo maleficij potestas permittitur diabolo à Deo in hoc actu magis, quàm in alijs: Sicut in serpentibus magis ostenditur virtus Maleficiorum, quàm in alijs animalibus, quia per serpentem diabolus in primis mulierem tentauit. S. Bonauentura in d. d. 34. artic. 2. q. 2. in sol. argument. clarius, licet ferè in eundem sensum tendat, respondet, quod sicut Diabolo permissa est à Deo potestas super serpentes magis, quàm super alia animalia, in prioris facti memoriam, vnde plus per incantationes serpentes quàm aues capiuntur: sic quia actus ille scilicet potentiæ generatiuæ vitiosus est, & quodammodo fœtens, & vt plurimum coniunguntur homines ad illum actum libidinosè, ideò diabolus plus habet ibi posse, & plus ei permittitur, & hoc probatur exemplo Scripturæ, & auctoritate, quoniam dicitur in Thobia, quod dæmonium nomine Asmodæus virum in lecto interfecit, non in conuiuio. Sic Bonauentura. Quid autem loco remedij in hoc casu adhibendum, in d. cap. Si per Sortiarias declaratur. Si per Sortiarias, ait canon, & maleficas concubitus

bitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa eueniunt, vt spiritu contrito & humiliato DEO & sacerdoti de omnibus peccatis Confessionem faciant, & lachrymis, atque eleemosynis, orationibus & ieiunijs domino satisfaciant,& per exorcismos,ac cætera Ecclesiasticæ disciplinæ munimina ministri Ecclesiæ tales sanare procurent.hæc ibi. Hinc nullo modo licitum est accedere maleficum, aut magum pro dissolutione talis maleficij, vt in hac specie S.Thomas in d.d.34.q.1.art.3.S.Bonauent.vbi suprà.Maior in ead.d.q.2.S.Antonin.in 3.part.tit.1.cap.12 §.3. Turrecremat. in d. cap. Si per Sortiarias. Malleus maleficor. in 2.part.& secundo princip.& alij alibi communiter tradunt : Quod etiam verum est, si maleficus paratus esset ad soluendum,prout communis & vera sententia tenet contra Angelum in verb. Superstitio. §.13. post Aureol.in d. d.34. q.2. Allegat etiam Angelus pro se Scot.in ead.d. qui tamen aliter sentit, nempe licitum esse tollere maleficium sine maleficio,per remotionem signorum, si quæ posuisset maleficus in aliquo loco, quæ essent pacta & symbola infidelis amicitiæ inter magum & Dæmonem. Quod non solùm Scotus,sed etiam Gabriel in 2. dist.8.q.2.artic.4. dub.2.Sylvest. in summa verb.Maleficium,q. 8.Caietan.& Aurea Armilla ibidem. Nauarr. in Manuali confessar.cap.11.num.29.& alij alibi fa-

bi fatentur. Ex dictis sequitur cum maximo animæ periculo maleficium curasse aduocando magum, eum, cuius meminit Paulus Grilland. de Sortilegijs, lib. 2. q. 6. à num. 15. & casum in hunc modum refert. In agro Sabinensi in quo hęc maleficarum secta plurimum inualuit, & de præsenti quoq; magna ipsarum copia reperitur. Quidam vir egregius, literatus, & illæsæ conditionis & famæ, qui in vno ex oppidis illis ortum habuit, licet modò sit senex, quadam die à quinquennio citra mihi retulit, quod ipse dum erat in flore senectutis suæ tempore, quo sponsam duxit ad matrimonium consummandum, opera & ingenio cuiusdam maleficę mulieris, quã mihi nomine proprio declarauit, maleficiatus fuit, & adeò fortiter appræhensus dicto maleficio fuit quod cum vxore ea nocte, & postea per multos dies nullum penitus debitum reddere potuit, ex quo habebat maximam verecundiam, nunquam cessabat admirari, considerãs, quod prius erat perquam validus in simili actu carnalis copulę, ex quo maximam solitus erat habere delectationem: tunc verò contrà, adeò quod sua misera vxor, eiusque parentes reclamare cœperunt, primò priuatim putantes, postmodum durante impedimento deuenire ad matrimonij separationem, adeò quod iste sponsus pro dolore ac verecundia, quasi demens & desperatus euaserat: & multos medi-

cos

cos conuocauit, vt liberaretur ab ipsa infirmitate & impedimento, & nihil proderant sibi: demum quidam senex ipsum consuluit, vt mitteret in quibusdam montibus altis pro quodam magno & solemni magistro, qui vocabatur magister magnæ experientiæ: qui in veritate erat solemnis magus & maleficus: Qui quamprimum vidit ipsum sponsum, cognouit illius infirmitatem, & breui tempore illum liberare spopondit vna nocte tantùm, & iussit quod dormiret illa nocte cum vxore, & prius exhibuit quoddam poculum, dum volebat ire dormitum, & præmonuit ipsum, eiusque vxorem, ne illa nocte munirent se signo crucis, neque timerent aliquo pacto, si aliquid ea nocte viderent, vel audirent: quia non poterant sibi nocere. Qui maleficiatus, cupiens multum ab ipso maleficio liberari, omnia ad vnguem seruauit. Quinta autem noctis hora, vel circa, cœpit audire maximos tonitus, pluuias tempestuosas, & fulgura quàm maxima, deinde terræmotus adeò terribiles, quod tota domus quassabatur à ventis terræmotûs: deinde audiuit voce humana quosdam magnos vlulatus & clamores, & auertens oculos, vidit in camera plus quam mille, vt apparebat, ad inuicem certantes, & vnguibus, pugnis, & calcibus crudeliter pugnantes, & lacerantes alterius facies & vestimenta tota, inter quos vidit mulierem quandam, quæ erat alterius oppidi

vicini,&dicebatur quod erat malefica,de qua ipse sponsus multum suspicabatur, ne ab ea pollutus fuisset, quæ vltra omnes maioribus gemitibus & vlulatibus cruciabatur,& crines faciemque suam totam vnguibus lacerauerat, propter quæ ipse maleficiatus dixit, quod aliquantulum pertimuit à principio dubitans, ne quid mali sibi accideret: deinde recordatus de monitionibus magistri assumpsit vires: vxorem verò semper tenuit sub pannis absconditam,ne ista videret: postquam verò ita certauerant per mediam horam, vel circa, ingressus fuit magister in camera prædicta,& erat tunc circa mediam noctem. Ad cuius ingressum omnes illi pugnantes vna cum muliere ipsa statim disparuerunt,& penitus abierunt. Ipse autem magister accessit ad ipsum maleficiatum, & illius humeros tetigit manu perfricando aliquantulum dicendo quod non dubitaret amplius, quia iam liberatus erat:& illinc discessit. Post cuius discessum maleficiatus sentit paulatim calorem quendam in renibus & lumbis,& ita liberatus vxori debitum reddidit, & postmodum optimam prolem vtriusq; sexus cum vxore recepit:& ego quosdam ex suis filijs noui,& allocutus fui cum eius vxore tunc vetula, quæ omnia prædicta ingenuè fassa est, dicens, quod nunquam diebus suis grauiori fuit pulsata timore, quàm nocte illa. Sic Grilland. Hic

cæ-

certè curationis modus planè fuit diabolicus, vt apertè colligitur ex omnibus adiunctis. Quomodo autem impotentia coëundi maleficio procurata matrimonium impediat, vel non, tractant D. Thomas, Bonauentura, Paludanus, & alij Doctores, cum Magistro, in 4. d. 34. & canonum periti in tit. de frigidis & malefic. & Summistæ in verb. Matrimonium, de impedimentis.

Malefici tã hominibus quàm pecoribus morbos & necem inferre possunt.

7. Conclusio. *Malefici auxilio dæmonum possunt morbos inferre, homines suis incantationibus interficere, & pecora occidere.*

CONSTAT in primis ex historia Iob. 2. ca. quem percussit vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem. Et in Euangelio Luc. 13. & Marc. 9. dæmon reddidit hominem surdum & mutum. Et S. Augustinus in lib. de diuinat. cap. 6. testatur sæpè accipere potestatem morbos immittendi, & aërem viciando morbidum reddendi. Idem patet ex L. Multi. C. de malefic. & Mathemat. Multi, (ait lex) magicis artibus vsi elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant, & manibus accinctis audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat. Efficiũt autem talia malefici siue ve-

venefici, cauſſis naturalibus, veneno, intoxicationibus, herbis, alijſq; medijs, quæ multis modis norunt præparare, & cautiſſimè applicare.

Narrant quidam, quod Auerroës Auicennam intoxicauerit, ponendo toxicum ſuper folia libri, quem Auicenna ſolitus fuerat legere: quantò magis diabolica ars nouit omnia occultiſſimè adhibere? De huiuſmodi herbis, quibus homines ſolent necare, mentio fit. In L. 3. §. adiectio. & ſeq. ff. ad legem Corneliam de ſicarijs & veneficis. Eiuſmodi ſunt cicuta, Salmandria, Aconitum, Pintuocarpus, ſiue Pytiocampas, Bobuſtrum, Mandragora & Cantharides. Aliquãdo inficiunt etiam aërem circumſtantem, quem homo reſpirãdo attrahit. Aliquando inſidiantur dormientibus. Familiare autem eſt maleficis vetulis, vt infantes & tenellos pueros faſcinent. Hoc autem efficitur quandoq;, vt Doctores tradunt, ex forti imaginatione hoc modo: fortis imaginatio immutat corporis coniuncti ſpiritus, & hinc immutatio ſpirituum maximè fit in oculis, ad quos ſubtiliores ſpiritus perueniũt. Oculi autem inficiunt aerem continuum, vſq; ad determinatum ſpacium: quomodo ſpecula noua & pura ex aſpectu mulieris menſtruatæ, vt tradit Ariſtoteles in lib. de ſomno & vigilia, maculis inficiuntur. Sic etiam anima vetulæ vehemètiſſimè ad maleficium concitata, aſpectu ve-

ctu venenoso, & noxio corpus tenerum infantis inficit. Contingit etiam ad talem effectum, malignum spiritum ex pacto concurrere, & occultè lædere infantem.

8. Conclusio, *Magi & malefici possunt multos morbos curare, quibus nulla medicorum scientia mederi valet, non tamen omnes.*

PROBATVR prima pars: quia vtuntur arte Dæmonum, qui præstant naturæ subtilitate, & lõga rerum experientia: & multo rectius omnibus medicis norunt rerum naturalium virtutes & causas. Sic Plinius lib. 24. cap. 17. variarum meminit herbarum, quibus Magi vel ad morbos depellẽdos, aut etiam inferendos, vtũtur: quæ quia hominibus sunt ignotæ, & velocissimæ operationis, plurimum admirationis adferunt nescientibus. Ad idem facit ratio S. Thom. in qq. disputatis de potentia, q. 6. art. 3. Sicut ars, quæ imitatur naturam, potest quędam, quę natura nequit efficere: ita dęmones multa facere possunt, quæ & præter humanum ingenium, omnem artem, & solitum naturæ cursum sunt.

Patet etiam secunda pars, quod non possint curare omnes morbos: Quia quicquid possunt in hac arte, hoc efficiunt per applicationem causarum naturalium: sed hæ non

possunt curare omnem morbum, maximè senectutis.

Dices: Si Dæmones tantæ sunt subtilitatis in naturalibus, possent ne protrahere vitam hominis ad octingentos, vel nongentos annos, sicut olim homines viuebant? Respondetur, quod non: quia per intemperantiam & ignorantiam hominum natura est valdè corrupta, & morbis infecta: & res naturales, præsertim cùm etiam terra deficiat à prima sua integritate, non sunt tanti vigoris & virtutis, sicuti in principio creationis. Statim post rerum creationem, ex diuina dispositione, omnia erant maioris perfectionis: complexio hominum fortior & constantior, ac cœli influentia salubrior. Vide ad hanc materiam Franciscum Victor. in Relectione de arte Magica, in solut. ad 4. non longè à fine, & Ioseph. Angles in q. de ead. materia, octaua difficultate.

Non licet grauorum vti remedio vel cõsilio in maleficijs tollendis.

9. Conclusio. *Quamuis Magi & malefici possint multos morbos curare, & maleficia illata sæpè dissoluere, licet non omnia: non est tamen licitum Magos vel maleficos accedere pro dissolutione: & qui contrafecit, grauissimè peccat.*

Probatur Leuit. 19. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí. & cap.

& cap. 20. Anima, quæ declinauerit ad Magos,&c. interficiam eam, & Deut.18.& 26.q. 7. cap.Non obseruetis: & in C. de malefic.& mathemat. L.Nullus, & L.Nemo. Et hoc in tantum verum est, quod etiamsi maleficus paratus esset, nõ esset licitum vti ipsius opera, contra Angelum in verb. Superstitio.§.13.allegantem pro se Aureolum in 4.d.34.qui putat esse licitum petere dissolutionem à parato:Sed communis sententia est in contrarium: S. Thom.in 4.dist.34. q.1.artic.3.S.Bonauent. ibidem q. 2. Sylvester in verb. maleficium.q. 8. Caietan. & Aurea Armilla ibidem. Turrecremata 33.q.1.super cap.Si per sortiarias.Martinus Nauarr.in Manuali cap. 11. num.29. Ratio etiam probat.Maleficus communiter non potest tollere, nisi per inuocationem & auxilium Dæmonis.At Dæmonis auxilium inuocare,ex se malum est,&nulla circunstantia potest muniri,vt sit bonum.¶ Ergo quisquis petit à malefico, vt faciat id, quod sine peccato non potest, peccat: quia sic petens, consentit peccato alterius. Non solùm autem qui faciunt,sed etiam qui consentiunt facientibus,digni sunt morte. Rom.1.

Si tamen maleficium adhibitum tale esset, quod sine inuocatione Dæmonis remoueri posset per remotionem signorum aut vnguẽtorum, tunc non esset illicitum procurare ipsius dissolutionem. Licitum autem est male-

ficia soluere per opera pia & Ecclesiastica, vt pote exorcismos, sacramentalia, sacramentorum frequentationem, orationes, ieiunia, aliaq; pietatis exercitia, de quibus in cap. Si per sortiarias.

10. Conclusio. *Magi & malefici potestate Dæmonum instructi, possunt tempestates mouere, pluuias, tonitrua, grandinem pruinam, aliaq; meteora producere.*

Iob. 1. et 2. PROBATVR ex historia Iob. Sathanę procuratione, ignis de cęlo cecidit, & tactas oues, pueroſq; consumpsit, & iterum: vehemens ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens, oppressit liberos. & in Psal. 77. Et occidit in grandine vlneas eorum, & moros eorum in pruina. Et tradidit grandini iumēta eorum, & possessiones eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram & tribulationem, immissiones per Angelos malos, &c. Super quæ verba legendus est Augustin. Idem patet in C. de malefic. & mathemat. L. Multi. Verb. Elementa turbare, & ibidem L. eorum: cuius verba sunt. Eorum est scientia punienda, & seueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut cōtra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur. Nullis verò crimina-

minationibus implicanda sunt quæsita humanis corporibus remedia, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis & grandinis lapidatione quaterentur, quibus nõ cuiusq; salus aut æstimatio lederetur, sed quorum proficit actus, ne diuina munera, & labores hominum sternerentur. Hæc in d. L.

Probatur ratione. Omnia meteorologica, vt constat ex libris Aristotelis Meteorologicis generantur in regione aeris ex concursu elementorum & causarum naturalium. Sed dæmonibus hæc inferiora subiacent quo ad motum localem, Deo permittente: ergò.

II. Conclusio. *Quæ ex proxima elicitur: Magi & malefici possunt efficere sterilitatem, & rerum necessariarum ad conseruationem humanæ vitæ inopiam.*

PROBATVR. Omnia quæ in terra crescunt & necessaria sunt ad sustentationem hominum, dependent ex motu & influentia corporum cœlestium, & elementorum temperamento. Si igitur elementa turbentur, tempestates ventiq; sine ordine & modo excitentur, necnon grandines & pruina immittantur, quę agris, vineis, arboribus & frugibus noceant: sequuntur sterilitas & rerum inopia.

12. Conclusio. *Magi & malefici sæpè transferuntur corporibus verè & realiter de loco ad locum, & ad conuentus suos.*

HAEC Conclusio est contra Ioann. Franciscum Ponzinibium in lib. de Lamijs, & Excellentia vtriusque Iuris, qui habetur in volum. 10. Oceani iuris, contra Andream Alciatum li. 8. parergon Iuris. cap. 22. Martinum Arlesin tractat. de superstitionibus. Vlricum Molitorem in Dialogis de Pythonicis mulieribus, & alios quosdam. Communis autem & vera sententia tenet Conclusionem. Sic tradunt Turrecre. in cap. Episcopi. 26. q. 5. Guilhelm. Parisiens. vltima parte de Vniuerso: cap. 21. Malleus in 1. & 2. par. Bartholomæus Spineus in q. de strigibus. cap. 5. & in Apologia prima contra Ponzinibium. Francisc. Victoria in Relect. de arte magica, à num. 32. Alfons. Castrens. lib. 1. de iusta hæretic. punitio. à cap. 14. Sylvest. in verb. Hæresis. 3. à num. 6. Card. Caietan. 2. 2. q. 95. super artic. 3. S. Thom. Ioseph. Angles in florib. loc. cit. diffic. 5. Mart. Nauar. in Manuali cap. 11. num. 38. Paul. Grill. Iurisconsultus latissimè in lib. 2. de Sortilegijs q. 7. Ioan. Bodinus lib. 2. cap. 4. & hæc est communis sententia, cui contradicere, repugnat Theologiæ, Philosophiæ, & rerum experientiæ certissimæ.

Pro-

Probatur Conclusio. Dæmones sunt integri in potentia naturali, sicut boni Angeli, vt probatum est in Præludio 8. Sed boni Angeli possunt transferre corpora breuissimo tempore de loco ad locum: ergo & mali. Assumptum probatur ex 14. cap. Danielis. Angelus apprehendit Prophetam Abacuc in vertice capitis, & ex Iudæa breuissimo tempore in Babylonem tulit, & restituit iterum confestim in locum suum, vt Scriptura loquitur: & Angelus malus, Matthæi 4. assumpsit Saluatorem, & statuit supra pinnaculum templi, & in Euangelio Dæmones à Christo expulsi, ex permissione diuina intrauerunt porcos, & eos præcipitarunt in mare. Et antiquissimi probatissimiq; historiarum scriptores prodiderunt, Simonem Magum vehiculo & opera Dæmonum in aëre volasse, & ad orationem D. Petri fugatis Dæmonijs, in terram, etiam populo spectante delapsum, & cruribus iacuisse perfractis. Sic Clemens lib. 6. Constitut. Apostol. cap. 9. Egesipp. lib. 3. de excidio Hierosolymitano, cap. 2. Arnobius lib. 2. aduersus gentes. Cyrillus Hierosolymitanus, cateches. 6. Maximus Taurinensis in serm. 5. de natali Apostol. & alij alibi. Et Epiphan. lib. 1. contra hæresim 30. de adolescente magica arte corrupto refert, quod in aquis salidis ad Gardara volauerit, & latus suum

ad so-

ad fœminæ pulchritudine formæ excellentis, latus affricuit. Illa autem signauit se in nomine Christi, vt quę Christiana esset: cui neq; necessarium erat delinquere, & inter viros & fœminas lauari. Basilius magus, vt testis est S. Gregor. lib. 1. dialog. cap. 4. repulsus à monasterio à fratribus, iussione sancti viri Equitij, dixit frequenter, se cellam Equitij magicis artibus in aera suspẽdisse: nec tamen eius quempiam lædere potuisse. Nec etiam desiderantur testimonia satis nota & terribilia, quibus declaratur, diabolum sua potestate hominem è medio sustulisse, & in aerem rapuisse. Cæsarius d. 5. cap. 27. narrat in ciuitate Lubecen. puellam quandam fuisse, cui iuuenis quidã procabatur, secundum quod ei promiserat, fęmina consentiente, cùm Theodoricus Susatiensis se eius concubitu vti speraſſet, socius ei illudens, accessit illam. Quo cognito, iratus dixit: Diabolus qui me huc adduxit, poterit me etiã hinc reducere. Mox inuitatus adfuit, hominẽ rapuit, & in aera leuauit, & vltra ciuitatem transferẽs, iuxta ripam cuiusdam lacus incommodè satis deposuit. Ad quem sic ait: Si non quocũq; modo te signasses, modò occidissem te: tenuiter enim & imperfectè in ipso raptu signum sibi crucis impresserat. Dimissus à dæmone tam grauiter cecidit, vt in terra sine sensu iacens, sanguinem vomeret. Et cap. 34. aliud inserit satis etiam memorabile. In Susatia ciui-

tate

tate Diœcesis Colonienſis, miles quidã Thyemo nomine habitabat, qui ſic totus deditus erat ludo teſſerarum, vt non die, nec nocte quieſceret, ſemper ſacculum cũ nummis ſecũ portabat, vt non deeſſet ad ludendum pecunia, ac ita in ludis expeditus & fortunatus erat, vt vix aliquis ab illo ſine dãno recederet. Nocte quadam Deo iuſtè in pœnam, ad aliorum exẽplum permittente, diabolus domum eius in ſpecie cuiuſdam ludere volentis intrans, ſaccellumque nummis refertum, ſub aſcella portans, ad tabulam ſedit, denarios liberaliter appoſuit, teſſeras iactauit, & multa acquiſiuit. Cui cùm proſperè ſuccederet, & militi iam pecunia, quam apponeret defuiſſet, iratus ait: Nunquid non diabolus es tu? Et ille: Nunc ſatis eſt, appropinquat enim tempus matutinale, oportet nos ire. Tollenſq; illum, per tectum traxit, cuius viſcera tegulis retrahentibus miſerabiliter excuſſit, & quid de eius corpore factum ſit, vel in quem locum illud proiecerit, vſque hodie ignoratur. Et in cap. 56. eiuſdem diſtinctionis. In villa quadam, ait, ante paucos annos, diœceſis Colonienſis, quæ Ambula vocatur, campanarius fuit, & fortè adhuc viuit, votum habens cuiuſdam peregrinationis. Hic cũ die quadam condixiſſet cum fœmina quadam villæ ſuæ, quod manè pariter ituri eſſent, illa eum rogauit, vt maturius ſurgeret, & matutinas pulſaret, propter ſolis feruorem: & promiſit.

sit. Eadem nocte diabolus ad lectum eius veniens, tetigit eum, & ait: Pulsa matutinas, sicq; discessit. Qui mox surgens, & lumen in Ecclesia ardere conspiciens, cùm ante primum gallicantum esse deprehendisset, putans quia à prædicta fœmina fuisset excitatus, de Ecclesia exiuit volens ei dicere, vt iret dormitum, eò quòd nec tempus esset. Quam cùm quæreret, nec inueniret, bouem nigrum contra se stare vidit, qui lingua emissa hominem tetigit, eumque super dorsum suum per illam misit, & per aërem cum illo volitans, super pinnam turris Castri quod Isenburg dicitur deposuit. Cui cùm diceret: Timesne aliquid modo? Respondit ille: Dei permissione huc ductus sum, nihil contra me poteris, nisi quantum ille permiserit. Ad quod diabolus: Fac mihi homagium, & ego te deponam, daboq; tibi diuitias multas: quod si non feceris, vel fame in hoc loco morieris, vel præcipitio interibis. Cui campanarius spem habens in Christo, respondit: Adiuro te per nomen Iesu Christi ne me lędas, & vt me sine periculo corporis mei deponas. Mox diabolus illum tollens, in campo iuxta villam Gerißheim/ satis incõmodè deposuit. Ante lucem diei in dedicatione Ecclesiæ eiusdẽ villę, diluculò homines ad matutinarũ solemnia cum faculis properantes, cùm hominem in agro, in magno defectu reperissẽt, atq; refocillassent, auditis his,

quæ

quę ei cõtigerant, satis mirati sunt. Quarto verò die regressus in domũ suam, situm tã locorũ, quàm ædificiorum, quæ nũquam aliâs ante viderat, tã plenè omnibus exposuit, vt de raptu eius nihil dubitarent. His & addere possumus aliud recentius relatum à Ioanne Georgio Godelmanno Iurisconsulto, in tractat. de magis, veneficis & lamijs, lib. 1. cap. 1. num. 8. In Saxonia virgo opulenta formoso iuueni, sed tenuioris fortunæ, matrimoniũ promisit. Hic quid futurum præuidens, illam prædiuitẽ, & sexus ratione mutabilem, fidem vix seruaturã esse, puellæ respondit. Illa contra diris se execrari his verbis cępit, si alteri quàm tibi nupsero, tunc diabolus in nuptijs illis me abripiat. Post interuallum aliquod illa mutat animum, nubit alteri, priore sponso spreto, qui eã semel atq; iterum promissi, direq; imprecationis admonuit. Sed illa posthabitis his omnibus, nuptias cũ altero spõso, relicto priore, celebrat. Ipso die nuptiali cognatis, amicis & cõuiuis hilaribus, sponsa vigilante conscientia, redditur tristior solito. Tandẽ diaboli duo sub specie duorũ equitum, in ędes nuptiales veniunt, excipiuntur, adducuntur mensæ, hisq; remotis, choreę, vniq; ex his spõsa honoris caussa tanq; peregrino adiungitur, cum qua bis saltauit, & tandẽ eam è conspectu parentũ & amicorum, summo cum gemitu & lamentatione, per ostium, in altum sustulit. Altero die parentes &

ami-

amici mœsti, sponsam quærunt, vt delapsam fortè sepelirent, sed ecce eidem socij occurrũt, vestes, aurumq; referentes, additis his verbis: non in has res, sed in sponsam à Deo nobis fuit potestas concessa.

Memorabile est & illud, quod recenter contigit anno elapso 1595. in oppidulo Vilmarienſi, Treuerensis diœcesis. Quædam Margareta, vxor Ioannis Eysenkopff, ciuis illius loci, peperit infantem, nomine Conrardum. Hunc etiam ante & post diem purificationis sæpissimè à festo Ascensionis vsque ad Diuisionis Apostolorum spiritus è cunis abstractum in alium locum transtulit. Aliquando in lectum matris collocauit, quandoq; in gradibus cellæ vinariæ abscondit, nonnunquam in partibus superioribus domus, aut secretioribus. Ne tamen puer quid mali pateretur, spiritus acceptis pannis etiam clam è custodia parentum semper tenero corpusculo suppositit. Quadam vice cùm mater lectum in hypocausto pro puero à spiritu accommodatum destruxisset, manus & facies, vbi nuditatem vestes non cooperiebant, intumuerunt, & cutem exuerũt. Quandoq; etiam spiritus puerulum in cunis mouit. Fuit & illud vsitatum, quod infans semper ferè fleret, quando à matre in cunis collocabatur: quiesceret autem positus à spiritu in alio loco. Visis & cognitis tot molestijs & vexationibus spiritus Reuerendus Domi-

Dominus VVilhelmus Lyndener, Decanus Ruralis, & vicepastor Vilmarienſis, ſcripto me conſuluit, quid fieri poſſit ad liberãdum puerum à moleſtia ſpiritus. Inter reliqua remedia admonui vtendum fore rebus ſacramentalibus & benedictis, quas ſancta mater Eccleſia exorcizat & benedicit ad effugandas & diminuendas Dæmonum poteſtates. Parentes huiuſmodi res adhibuerunt, nec non etiam ad locum ſacrum peregrinationem inſtituerunt, Deumq; precati ſunt. His adhibitis & perfectis aliquo tempore tentatio deſijt. Poſtea autem res benedictæ abſciſſæ repertæ ſunt, & iterum ſpiritus puerum transferre cœpit. Hæc latius ad diligentem inquiſitionem præfati Domini VVilhelmi, Scriba ciuitatis Vilmarienſis in notam recepit, atq; perſcripſit.

Alia adhuc plura adduci poſſent, ad demonſtrationem realis tranſlationis, ſed hæc ſufficiant, deinceps etiam maleficorum & ſagarum certiſſima experimenta in vlteriorem confirmationem adiungentur. Cæterum tranſlatio corporis de loco ad locum virtute diabolica effecta, etſi breuiſſimo tempore fiat, non tamen fit in inſtanti: cùm id repugnet motori finitæ virtutis. Celeriter autem talis motus peragitur propter maximam virtutem & fortitudinem dæmonis: quandoquidem quanto maior eſt potentia mouentis, tanto celerior ac velocior eſt motus, vt rerum ex-

perientia & Philosophia attestantur. Nunc veritas Conclusionis latius confirmanda est varijs experimentis, de quorum veritate minimè dubitandum est.

Multi vtriusque sexus viri, mulieres, pueri & puellæ confitentur id verum esse. Imò quandoque deferuntur à Dæmonibus ad cursum: & quia vel nomen Iesvs ex improuiso nominant, vel signo crucis se muniunt, vel aliud signum Christiani præstant, alijs disparentibus, pedestris ordinis fiunt in redeundo, qui ferebantur à Diabolo in adeundo conuentum: quandoque cadunt ex arboribus in terram, & membra collidunt: quandoque, quia leges Diaboli transgrediuntur, miserè vel à Diabolo tractantur, vel à socijs percutiuntur. Quoniam in priori æditione spem dedi me experientijs data meliori occasione vberius Conclusionem probaturum, id nunc præstare decreui: in primis aliena, deinde nostra inferam. Paulus Grillandus Iurisconsultus Italus, in lib. 2. de Sortilegijs q. refert cum alijs experimentis, quod nec dum, inquit, decem elapsi sunt anni, quod mulier quædam iuuencula, infra 16. annum ætatis suæ existens, adhuc virgo, Sabinensis Diocæsis, ex altero tamen oppido oriunda, à quadam alia malefica seducta, & ad ludum ducta fuerit, vt profiteretur illam sectam, & præmonita ne signo crucis se

cis se muniret in locò congregationis, acceſſerunt, iuuencula videns maximam virorum & mulierum multitudinem, & principem ipſum Sathanam in ſolio maieſtatis ſuperbè ſedentem, & ornamentis auratis, & purpuratis veſtibus decoratum, vehementer obſtupuit, & cùm eſſet ſimplex, incauta, immemor præmiſſæ admonitionis, ſtupefacta & admirata rerum magnificentiam & ſtatum, ſigno crucis ſe muniuit, dicendo: Ieſu benedetto, che coſa è queſta? id eſt, Ieſu benedicte, quæ res eſt iſta? Nec dum verba protulerat, ſtatim cuncta euanuêre, & omnibus luminaribus penitus extinctis, ſola miſera in maximis tenebris remanſit, & maximo terrore affecta, penè mortua eſt. Recordata nominis Ieſu & B. Virginis Mariæ, deuotiſſimis precibus ſe illis commendauit, & vouit caſtitatem, ſi incolumis euaderet. Quidam ſenex ruſticus vnà cum filia & aſello tranſibat locum, vbi puella erat, & plurimùm de ſorte ſua lamentabatur. Qui ſenex audito gemitu acceſſit, dicens, filia mea quid facis hic ſola tempore nocturno? quam videns nudam magis obſtupuit. Virgo pudore confuſa lachrymans & ſuſpiria trahens, viro ſe commendauit, vt illam duceret ſecum ad domum ſuam, quæ non multum diſtabat. In itinere totam facti ſeriè narrauit. Quibus auditis ſenex obſtupuit, & cùm intellexiſſet de patria & parentibus

virginis, decreuit parentes certiores reddere, & puellam restituere. Retinuit eam domi suæ duobus aut tribus diebus, & vxor viri eam beneuolè tractauit. Post triduum senex iuuenculam asello suo impositam, reduxit ad patriam, & parentibus restituit: Qui existimabãt puellam raptam, vel à milite, vel alio nequam nocturno tempore. Senex benignissimè, vt decebat, à parentibus puellæ susceptus & tractatus, & tandem dimissus cum muneribus. Puella quæ dono Dei, & intercessione B. Virginis periculum euaserat, votũ adimplere decreuit, & ingressa est monasterium S. Francisci, assumptoq; habitu, professionem fecit, consentientibus parentibus, & castissimè vixit. Maleficam verò, quæ filiam ad illum locum conuentus duxerat, denunciârunt curiæ, & re comperta, publicè fuit igne combusta. Aliud quod etiam in Italia contigit, narrat Bartholomęus Spineus in q. de Strigibus cap. 18. Quidam, inquit, Andreas Magnanus Bergomẽsis, habitator Ferrariæ, hac hyeme mihi narrauit, quod à quodam suo affine Venetijs commorante cognouit, hoc quod contigit superioribus annis, quandam puellam, quæ cum matre Bergomi morabatur, inuentam fuisse nocte Venetijs in thalamo sui affinis: quam manè repertam nudam, recognitamq;, quia consobrina erat, cùm interrogassent, quomodo illuc veniisset, aut ibi esset, & quare? Plorãs illa, post-

quam

quam vestita ab illis fuit, hæc narrauit. Hac nocte cùm in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quæ me dormire putabat, surgentem de lecto, & exutam camisia, se quodam vnguento, quod ex vasculo assumpsit, de lateribus extracto, perungentem corpus. Et statim assumpto baculo quodam ibi præparato, in modum equitãtis ascendens, extra fenestram deportata est, & à me nequaquam ex tunc ibi visa. Cumq; ipsa quoq; de lecto surgẽs, meum vt mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram educta, statim in hunc locum deportata sum, vbi matrem puero huic insidiantem vidi. Ex quo ego territa, cùm matrem etiam ob meum aduentum conturbatam vidissem, & comminantem, nomen Domini IESV & B. Virginis inuocaui, & ex tunc matrem non vidi, & ego hîc nuda solaq; remansi. His auditis à puella, omnia hæc affinis scripsit Inquisitori Bergomensi, à quo mater capta, & tormentis exposita, cuncta confessa est, & addidit se à dæmone plus quàm quinquagesies deportatam, vt puerum illum prædicti affinis occideret, sed tamen nũquam præualuisse, eo quod semper puerum signo crucis, & sanctis orationibus parentum munitum inuenerit. Haud dissimilia refert Bodinus lib. 2. cap. 4. in Gallia contigisse, & inter alia de Lochiana Saga. Vir enim quidam tenuis, cùm vxorem interdum abesse noctu perciperet, bonamq; noctis par-

tem emanere: præterea dicentem se, aut ad deonerandum aluum egredi, aut ad lauandum cum vicina sua, aliquoties falsi euicisset, suspicionem concepit de perfida eius libidine, & necem interminatus est, nisi locum quo proficiscebatur, indicaret. Illa sibi à periculo metuens, rem vt erat confessa est, atq; vt explores, & videas hæc ita se habere, si volueris, eodem deuenies. Tunc tradidit ei vnguentum, quo se vterq; inunxerunt, & pronunciatis aliquot vocibus, Diabolus eos Lochijs in Arenarias Burdegalenses magno spacio distãtes exportauit. Videns itaq; vir se in ignota Magorum & Dæmonum humana specie, aspectus tamen horrifici, frequentia versari, dicere cepit: Deus mi vbi nam sumus? hoc dicto, repentè cætus disparuit. Ille verò cernens nuditatem sui corporis, oberrauit per agros, donec manè rusticos inuenit, qui ipsum in viã deduxerunt. Reuersus Lochias ad Quęstorem rerum capitaliũ recta via contendit, qui audita probè historia fœminam præhendi iussit: Illa verò minutatim omnia confessa est, & vltrò agnouit peccatũ. Aliud refert, quod cuidam nobili viro ad Melodunum accidit, qui Molitoris verbis & propria curiositate ductus, cætum maleficorum adijt, sed quoniam perhorrescebat metu, quamuis non inuocaret Deũ, Diabolus maxima voce inclamauit, quisnã hîc metuit? Sic volẽti nobili viro discedere, cætus abscessit. Nobilis

bilis reuersus maleficũ indicare statuerat, sed ille admonitus, fuga sibi consuluit. Et de Lugdunensi potenti muliere narrat, quod nocte surgens lucẽ accendit, & arrepta pyxide se inunxit, & post voces aliquot elata est: hos ritus obseruans męchus, qui cũ ea cubauerat, lucernã capit, perueſtigat vndiq;, & ea non inuenta, cùm pyxidem vnguenti reperiſſet, curioſo animo exploraturus virtutem vnguenti, fecit prout mulier ſe habuerat, ſtatim elatus cõperit ſe cum Magorum cętu eſſe in agro Lotharingiæ, & conſternatus eſt: Sed cùm primũ Dei opem implorauit, euanuit totus cętus. Ipſe verò Lugdunũ reuerſus pedibus, maleficam accuſauit, quæ confeſſa rem totam, igne perijt. Multa quæ in Germania contigerunt, habet Malleus maleficarũ, ſed ex noſtris quæ recẽtiſſima & notiſſima ſunt, placet aliqua adiũgere. Anno Dñi 1589. 22. Septemb. quidam Villicus nomine Michaël, de pago Longen, ſub iuriſdictione Reuerendiſs. Dñi noſtri Archiepiſcopi Treuirenſis, in præfectura Pfaltzel extremum ſupplicium pertulit, qui inter reliquos articulos confeſſus eſt, quod circa diem natalẽ Chriſti tunc præteritam, ad locum Congregationis cis Moſellam, ad crucem prope pagum Lonckwich, deportatus fuerit, & cùm ad dictum locum tardius veniſſet, congregatio abſoluta extitit, tunc tacitè dixit: Domine Deus, iam factũ eſt, tuncin eodem morali temporis puncto

cecidit in terram planam: & circa horam vndecimam noctis versus Mosellam se contulit, accepta scapha traiecit, domum rediens, ad lectum se recepit. Hoc anno 1591. 4. die mensis Maij, in quo adhuc versamur, etiam in præfectura Palatiolensi igne vitam finiuit quidam Martinus de Corlingen, qui inter alia confessus est, quod bis à cursu & conuentu, qui fuerat prope pagum dictum Pellingen, rediens, ceciderit inter frutices, eò quòd dixisset. O Deus, quomodo huc appulimus? Idem confessus est quid satis memorabile, quod videlicet illo anno superiori, quando maxima fuit annonæ in his partibus penuria, &, si bene recolo, contigit talis caritas Anno Domini 1584. in vere Treuiris emerit duas mensuras siliginis, quas nostrates viercellas nominant, & quia edictum Ciuitatis publicatum extitit, ne frumenta dimitterentur extra ciuitatem, propter ciuium necessitatem, commodè exportare non potuit, Dæmon ipsum prope portam ciuitatis dictam antiquam, in loco iuxta muros, vbi aliquando fuit capella Sanctissimę Trinitati sacra, cum sacco frumenti in aërem sustulit, & trans murum & fossata deposuit, deinde cum frumento domum abijt.

Hîc dubium esse possit, quis saccum frumenti tulerit? Responsio digna data est in simili Domino Henrico Huiltzbach, Iuris Doctori, prætori huius Ciuitatis Treuirensis, qui

cùm

cùm ante paucos annos coram alijs maleficum doctum examinaret super articulis, de quo præcesserant testimonia, quod in congregatione in sella sedisset, exactius rem cognoscere desiderans, interrogauit, quis sedem attulisset? Examinatus molestè tam studiosam interrogationem ferens, respondit, quod principium peteret, addens: qui me deportauit, nunquid potuit & sedem deferre? Sic in proposito, qui hominem transtulit, saccum cum frumento simul portauit. Sicut idem Angelus qui Abacuc Prophetam ex Iudæa in Babylonem portauit, simul etiam pulmentum pro prandio Danielis transtulit. Anno Domini 1586. 13. Augusti, quædam malefica nomine Gertrudis, de oppidulo Erangh, cum alijs incinerata est, quæ cùm quadam vice ad cœtum, qui tunc congregandus in Hetzenroderheydt/ portaretur à Diabolo sub forma hirci, Deum nominauit nescio qua occasione, & sic hircus eam in frutices & spinas deiecit, ita quod valdè malè se læserit. Altera die domum rediens, vicinis dixit, quod supplicatum iuisset ad B. Virginem in Clusam Euerhardi. Adhuc vnum ex processu Meisenbeins Annæ annotandum. Hæc cùm Coloniæ ageret, quadam vice vecta hirco cum Amasio redijt ad solitum cętum in Hetzenroderheidt/ est enim hic locus nominatissimus apud maleficos & sagas, generales conuentus vt plurimum nostrates ibidem

celebrant, finito cætu siue concilio, incidit in contentionem ratione quorũdam bonorum cum propria filia, eamq; verberauit in præsentia filij, vt non solùm mater, sed etiam filius & filia deposuerunt. Plurima similia facta adferre possem; sed hæc sufficiant: abundant enim his nostrorum iudicum acta & processus, & res tam clara est, vt nemo negere possit, nisi solem de mundo tollere audeat: Hîc respondẽdum vni argumento Franciſci Ponzinibij, quod quidam maleficorum aduocati Achilleum purãt, cùm ne quidem Therſitis ſit. Confeſſio debet continere verum & poſſibile, per Gloſſam, Baldum, & alios in l. 1. C. de Confeſſ. & Gloſſ. in cap. fin. de Confeſſ. in 6. ff. ad legem Aquil. l. Inde Neratius. §. fin. Sed iſta quæ confitentur de delatione reali, reſpuunt ius & natura: ergo non ſequitur: iſtæ mulieres ſic confitentur, ergo ſic eſt. Nam confeſſio longè diſtat ab actu: & quicquid eſt contra naturam, deficit in ſuis principijs, ergo naturaliter eſt impoſſibile. Ad hoc argumentum facilis eſt reſponſio. Si quid probaret, argueret contra Scripturam, quod ea quæ de delatione Abacuc, Chriſti Saluatoris, & Philippi, quem Spiritus Domini rapuit, & inuentus eſt in Azoto, Scriptura narrat, eſſent falſa, & contra naturam, & phantaſtica. Quia ſi impoſſibilis & falſa eſt confeſſio, quod Dæmon hominem poſſit per aërem deferre, & deficit in ſuis principijs:

Daniel 14.
Matth. 4.
Actor. 8.

cipijs: impossibiles sunt etiam dictæ translationes. Quia sicut data possibilitate in vno, per consequens datur in omnibus alijs, quæ sunt eiusdem ponderis & magnitudinis, vt S. Thomas argumentatur, in cap. 4. Matth. Ita posita impossibilitate in vno, sequitur impossibilitas in omnibus alijs eiusdem ponderis ac rationis. Præterea si trãslatio realis deficit in suis principijs, & repugnat naturæ: aut id contingit ex parte mobilis, aut mouẽtis, aut vtriusq; simul. Non ex parte mobilis, homo enim est corpus, quod moueri potest tam motu naturali, quàm violento, vt omnibus sensu præditis manifestissimũ est. Non ex parte mouentis: quia mouens est fortissimus, & non est creatura super terram, quæ ei comparari possit Non ex parte vtriusque, vtpote quia non possit esse contactus debitus inter agens & patiens, qui requiritur ad actionem & passionem, cùm homo sit corpore affectus, Dæmon verò spiritualis creatura: hoc, inquam, non impedit. Nam anima mouet suum corpus, & Dæmon etiam corpus assumptum. Si quis dicat: Deus non permittit, frustra hoc dicitur. Quæ enim fieri & facta cognoscimus, nec principijs naturæ, aut Theologiæ repugnant, ea Deum permittere dubitare non debemus. Scimus enim quod nihil facere possumus sine permissione diuina, nec aliter inuestigamus, an Deus permittat, nisi quia similia facta & fieri experimur,

mur. Argumentum nunc mutatis mutandis retorquetur. Confessio debet esse vera & possibilis. Sed confessio maleficorum & sagarum est vera & possibilis, ergo fidem meretur.

Maior probatur ex legibus & iuribus à Ponzinibio allegatis : assumptum constat ex dictis. Quicquid Theologiæ conuenit, nec naturæ principijs repugnat, & de facto contigit: verum est & possibile, sequitur ergo optimè. Viri & mulieres confitentur delationem realem : ergo sic est, si argumentum rectè intelligatur. Non enim confessio facit verum & possibile, quod ex rei natura eiusque principijs fieri nequit, vt argumentum in oppositum præsupponit. Sed confessio prodit verum, quod in facto contigit, res enim non accipit veritatem à confessione, sed à propria entitate & existentia. Quis enim tam ignarus, qui non nouerit confessionem distare ab actu. Si quis confiteatur & affirmet chimeram esse, non ideò, quia ignarus id confitetur, chimera est. Confessio ergò vera est, quando est conformitas siue adæquatio rei & principiorum in ordine ad intellectum: quod est in confessione maleficorum de reali delatione. Imò etiam Textus in Cod. Theodosiano L. fin. de malefic. & mathemat. videtur mentionem facere congregationum magicarum siue malefica-

ficarum. Sic enim ait. Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut magicos apparatus, aut sacrificia funesta celebrare conetur, detectum enim & conuictum competenti animaduersione mactari perenni auctoritate censemus. Quid enim aliud nostri malefici faciunt? habent magicos apparatus, nocturnis horis conueniunt, Dæmoni obsequium præstant, Deum inhonorant, & conspirant contra Christum & exercitum eius. Dicet quispiam: aliquando experientia compertum, quod quando mulieres dicebantur in cursu fuisse, domi remanserint, nec loco se dimouerint. Huic dubitationi satisfaciet sequens conclusio. Certum est enim, quod aliquando non sunt realiter in cursu & congregatione, sed tantum repræsentatiuè: tamen tũc consensum Diabolo prębuerunt in repræsentationem: vt proprijs eorum confessionibus didicimus.

Ex dicta Conclusione elicitur, secundum communem sententiam, hanc translationem fieri virtute Diaboli, nec vllam virtutem habere vnguenta, herbas, baculos, aliaque corporalia, quę adhibentur, sed signa tantum esse.

Dicet hîc fortasse aliquis: compertum experientia quandoque est, alios experimenti gratia animaduertisse vxores se vnxisse, qui etiam idem præstiterunt, & secuti sunt: ergò

aliqua

aliqua virtus ex rei natura ineſt vnguentis. Reſpondeo: hoc non probat aliquam virtutem vnguẽtis ineſſe, ſed tales ex aliqua infidelitate, & quaſi fiducia implicitè in dæmonem habita id tentaſſe, & ita opera Diaboli talem tranſlationem effectam. Si quis autem forti fide inſtructus, in confuſionem diabolicæ machinationis, ad docendum & confortandum alios, nihil virtutis ineſſe huiuſmodi naturalibus, ad tales effectus vtatur, procul dubio nulla tranſlatio ſequeretur. Proximę concluſioni obſtare videtur cap. Epiſcop. 26. q. 5. ſed huic reſpondebitur infrà in fine tractatus, in ſolutione argumentorum.

13. Concluſio. *Non ſemper corporaliter feruntur ad conuentus, ſed quandoque fiunt illuſiones in imaginatione & phantaſia.*

IN hac Concluſione non eſt Controuerſia. Quando tamen fit illuſio, maleficorum accedit conſenſus, quia vt declaratum in præludijs 3. 4. & 5. ad maleficia requiruntur coniunctim Dæmonis poteſtas, & peruerſa malefici voluntas. Per conſenſum autem intelligo, tam implicitum, quàm explicitum voluntatis actum. Et, ſi per impoſſibile, ita Deo permittente, ſenſum tam exteriorem quàm interiorem ſomno ſupprimeret Dæmon, vt intellectus

lectus non aduerteret, & voluntatis consensus, qui præsupponit intellectus dijudicantis actum, non accederet, vt accidit in phreneticis & somniantibus: homo non peccaret: quia peccatum ex sua natura voluntarium esse debet, vel in se, vel in sua caussa: & sic Diabolus in huiusmodi actibus non assequeretur suum intentum.

(·.·)

SECVN.

SECVNDVM MEMBRVM QVAESTIONIS PROPOSITAE.

AN FIDES MALEFICORUM confeßioni contra ſocios & participes criminis ſit habenda, & quanta, in ordine ad torturam?

NON deſunt authores, qui nullam virtutem tribuunt denunciationibus, idq; magna cum iniuria diuini numinis, pernicie animarum, & euidenti reipublicæ detrimẽto: quorum auctorum princeps eſſe videtur Ioannes Franciſcus Ponzinibius in tractatu de Lamijs, & excellentia vtriuſq; Iuris. Quare hanc quæſtionem ab aliquibus breuiter narratã, à nemine autem expoſito pertractatam, diuina aſſiſtente gratia, elucidabimus & reſoluemus per concluſiones hoc ordine. In primis, paucis prẽmiſſis, veritas concluſionibus claris proponetur: Deinde argumenta ſoluentur, & per proceſſum dubijs occurrentibus reſpondebitur.

Ordo ſequẽtis tractatus.

Pro introductione quæſtionis aduertendum eſt, Iuris vtriuſque certiſſimum ac firmiſſi-

missimum esse decretum, vt de se confessi, super aliorum conscientijs non interrogentur: vt patet in iure canonico ca. 1. de confessis, & ca. Veniens 1. de test. & 15. q. 3. ca. Nemini: & in Ciuili, C. de accus. l. fin. his verbis in medio l. Nemo tamen sibi blandiatur obiectu cuiuslibet criminis de se in quęst. confessus, veniã sperans, propter flagitia adiuncti, vel per cõmunionem criminis consortiũ personę superioris optans, aut inimici supplicio in ipsa supremorum suorum sorte sociandus: aut eripi se posse confidens, aut studio, priuilegio nominati: Cum veteris iuris authoritas, de se confessos, nec interrogari quidem de aliorum conscientia sinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentẽ super cõscientia aliena scrutetur. Hęc lex.

Ex quibus omnibus regula sumitur: Nulli de se confesso super aliorum crimine creditur. Et ratio reddi potest, quia talis persona est infamis, vilis & suspecta ex confessione proprij criminis. Quod argumentum in nostra materia imperiti maleficorum aduocati multum solent vrgere, quamuis infirmum admodum & fragile sit ad propositum, vt in sequentibus manifestabitur. Cũm autem, vt Grammatici loquuntur, nulla regula tam firma sit, quę non patiatur exceptionem, crimen læsæ maiestatis excipitur, & cum ob paritatem siue identitatẽ rationis lex ad similem casum extendatur, cũ crimine læsę maiestatis alia adhuc excipiuntur,

secundum canonum & legum dispositionem, vt videre est in Glossa communiter recepta inc. 1. de Confessis. & L. fin. C. de accusationibus & L. Quoniam liberi, C. de testib. & Doctorib. in eisdem locis. Sunt autem hæc excepta, in quibus socius de socio interrogandus est; Latrocinij crimen. ff. de custod. & exhibit. reorum L. D. Adrianus. & C. de ferijs. L. penultima. falsæ monetæ. L. fin. C. de falsis monet. Proditionis, L. penult. & fin. C. ad legem Iuliam Maiestat. Coniurationis, cap. fin. de testib. cog. Maleficij siue strygum. C. de malefic. & math. L. fin. crimen læsæ maiestatis diuinæ, id est, hæresis. cap. in fidei fauorem. lib. 6. de hæreticis. Alij alios casus exceptos colligunt, de quibus videndi Doctores in practicis criminalibus. Prædicti autem expressi sunt in iuribus allegatis. Theologi autem sub prædicta exceptione generaliter videntur comprehendere omnia crimina, quæ tendunt in perniciem & damnum siue spirituale siue temporale reipublicæ, quando crimina non sunt correcta, sed in futurum pendent.

Casus excepti, à regula confessorum de se.

Dubium hic esse potest, An in furto socius de socio possit interrogari, & an annumerandum sit furtum casibus exceptis. Bartolus in L. Repeti. ff. de quæstionibus; sic videtur sentire. Ab eius tamen sententia communiter Doctores recedunt, licet in praxi in Italia & alibi, vbi furta frequentantur, multi iudices eam se-

quantur.

quantur: hanc tamen cõsuetudinem iuri communi non conuenire certum est. Nam furtum non excipitur à lege, & vbi lex non excipit, & ratio dissuadet, excipere non debemus. Gloss. in L. fin. de accusat. Salycet. ibidem. Stephan. Bertrand. vol. 3. cons. 268. Hyppol. Marsil. in consilijs criminalibus, consil. 22. num. 13. Iacobus Menochius lib. 2. de arbitrarijs Iudicum quæstion. casu 474. à num. 20. Quare de fure non habet locum doctrina Bartoli, nisi velimus loqui in furto occulto, propter difficultatem probationis, vt sentire videtur Alexand. in cons. 69. li. 2. citatus à Menochio loco citato. Vel de furto ita circunstantijs aggrauato, quod meritò præsumi possit sine socijs non esse perpetratum: tunc enim locum haberet regula Salyceti in L. fin. Cod. de accusat. qua tradit generaliter confessum proprium crimen posse interrogari de socijs, quando præsumptio legitima dictat eum habere socios: aliàs standum est iuri communi: quia regulæ standum, donec de fallentia ostendatur, & exceptio probetur, secudum Gloss. receptam in L. omnis diffinitio. ff. de regulis iuris. Decium in lib. 1. eod. tit. Bart. in L. 1. Si quis vocatus non ierit.

Criminum exceptorũ, & non exceptorum differentia

Præterea obseruandum, maximam esse differentiam inter crimina excepta, & non excepta, quia Iudex si interrogat reum de se confessum, in casibus non exceptis, contra dictam Regulam,

gulam, peccat mortaliter, & reus non tenetur respondere veritate dicendo, sed potest æquiuocè loquendo subterfugere, modò tamen mendacio non vtatur: vel si quid confiteatur contra alios, eis non præiudicat. In exceptis verò criminibus, Iudex, sub peccato mortali, obligatur de se confessum, de socijs interrogare, & reus si quos scit, in conscientia tenetur denunciare, si non sint correcta crimina, sed probabiliter præsumit in futurum pendere: vt optimè tradunt Dom. Sot. in lib. de tegendo & deteg. secretum, memb. 3. q. 6. & li. 6. de iustit. & iure. q. 6. art. 2. circa medium. Cardin. Caiet. tom. 1. tract. 31. 17. Responsionum, responsi. 5. ad patrem Cherubinum de Florentia, & in 2. 2. S. Thom. q. 70. art. 1. Alfons. Castr. li. 2. de iusta hæret. punit. ca. 25. Ioseph. Angl. in floribus Theolog. q. 2. part. in 4. sent. in q. de correctione fraterna. Mart. Nauar. in manuali Confessariorum. ca. 18. à num. 58. & ante hos omnes S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. his verbis ait, quod quis ea, quæ per confessionem nouit in secreto, nullo modo potest prodere. Circa ea vero, ait, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoq; enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, vel si quid

aliud

aliud est huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denunciando, & contra hoc debitũ obligari non potest per secreti commissum. (Intellige aliter extra confessionem sacramentalem accepta) ex quibus manifestum est, hanc esse S. Doctoris sententiam.

Dubium. Quæ est ratio, cur Iudex teneatur Reum de se confessum interrogare de socijs in exceptis, & nõ alijs, & reus tenetur etiam non interrogatus, denunciare? DD. communiter ponunt prædictã differentiam: non tamen fundamentalẽ assignant rationem, quam pro sua singulari eruditione attingit Mart. Nauar. in Rubrica Relectionis ca. Nouit. de Iudicijs num. 92. & in cap. Sacerdos, de pœniten. distin. 6. nu. 24. In casibus non exceptis si Iudex interroget reum, peccat contra octauum Decalogi præceptum, quo prohibetur ne quis det iniustam causam infamię proximi. Ita hæc lex naturalis est de non infamando, qua lege etiam Reus, contra iuris ordinem interrogatus, tenetur celare occultum peccatorem. At in criminibus exceptis, quando agitur de impediendo damna spiritualia, vel temporalia reipublicæ, quæ in futurum pendent, alia lex naturalis accedit, qua etiam priuati tenentur aliorum mortem & pericula, si possunt, præcauere & vitare, iuxta illud Prouerb. 24. Eripe illos, qui ducuntur ad mortem: quę fortior est illa de non infamando occultum. Concurrentibus autem duabus naturæ

turæ legibus, contraria in casu aliquo dictantibus, standum est fortiori : quia fortius vinculum fortiori modo ligat. Fortior autem est lex de seruanda alicuius spirituali, vel temporali vita, quam de conseruanda fama: Quia præstantiora sunt bona corporis & vitæ, bonis famæ & fortunæ. Prohibetur ergo Iudex octauo Decalogi præcepto, in non exceptis Reum interrogare, & obligatur in exceptis lege naturali fortiori inquirere de consortibus, & reus eodem præcepto denunciare.

Difficultas hic moueri potest. An Pater filium suũ aut filiam teneatur denunciare, quem aut quam cognoscit sequi maleficarũ sectam: aut contrá filius, aut filia matrem, aut patrem?

PRo parte negatiua videtur facere, quod pœna scientis, & non reuelantis crimen læsæ maiestatis non habet locum in patre ratione filij. Si pater sciat filium moliri crimen læsæ maiestatis, si non reuelet, non punitur, de iure ciuili & in foro exteriori: ne videatur filium offerre ad supplicium. L. Miles, §. Desertorem. ff. de re militari. Salycet. in L. propter insidias C. Qui accusare non possunt. Ioannes de Anania in cap. fin. de his, qui filios occidunt. Decius in cap. 1. de offic. delegati numer.

numer. 7. Alexander. in L. Vtrum. ff. ad L. Pompeiam de parricid. Bertachin. in Repertorio iuris, verbo, Reuelans: & alij alibi. Ante omnia præsupponendum, quòd in hæresi filius potest patris hæresin denunciare, si verisimiliter cognoscat patrem non corrigi admonitione priuata, vt est text. in cap. Literas, de præsumpt. & sequitur ibidem communis opinio. Quod de hæresi dicitur, idem statuimus de hoc maleficorum crimine: Quia ad hæresin refertur, & non minus, quam hæresis imò magis cæteris paribus communi saluti obest. Respondetur nunc: Pater aut mater si sciat filium, aut filiam hæresi laborare, aut crimine maleficorum, si non sciat emendatos, aut admonitione priuata corrigendos, si alij non sint, qui denuncient, tenetur denunciare. Nauar. in Manuali confessariorum cap. 25. numero 50. & in commentario cap. Inter verba. 11. q. 3. concl 6. Alexan. Halen. 3. part. 4. præcepto. q. 33. Alfonsus Castrens. lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 26. & alij, quos citat & sequitur Iosephus Mascardus de probationibus, volum. 2. conclus. 857. num. 18. Quia etsi Pater filium, aut mater filiam, vel contrà, teneatur amare quantum ad vitam, plus tamen secundum ordinem charitatis tenetur consulere saluti animæ vt ad sanam reducatur viam, quia anima prętiosior est corpore. Adhæc bonum commune reipub. est præferen-

priuato. Certum etiam est, quando Pater filiũ, aut filiam denunciat in tali crimine: vel filia patrem, matrem, aut sororẽ, quod ei facilè credendum, & maxima pręsumptio est de veritate ex d. cap. Literas, & cõmuni sententia ibidem. Et talium testimonium tanto firmius, quanto à suspicione odij longiùs absunt. Non est tamen valde humanum, si iudices inquisitione aut tortura, nimis durè exquirant à parentibus contra filios, aut filias, vel contrà: magna est enim vis sanguinis, & naturalis reuerentia horrorem quasi incutit. Quę causa facit, quod Doctores iuris citati excusent in foro ciuili patrem scientem & non reuelantem crimen læsæ maiestatis in filio.

Aliud hic occurrit dubium soluendum, An reus, qui confessus est crimen, de quo contra eum adsunt indicia, possit interrogari de alijs delictis, de quibus contra eum non sunt indicia: exempli gratia, aliquis sufficientibus indicijs repertus est fur, & hoc confessus, an possit interrogari de adulterio aut latrocinio, de quibus nulla sunt legitima indicia. De iure secundum omnes non potest interrogari, vt docet optimè Iulius Clarus lib. 5. §. fin. practicæ criminalis, q. 64. vers. Successiuè quæro. & Hyppol. Marsi. in L. Repeti. ff. de quæstionibus Mart. Nauar. in Rubrica cap. Nouit, de Iudicijs à n. 62. Sed cùm cõtrarium in multis locis seruetur, vt dicunt Angelus in tract. de male-

fic.

lefic. in verb. Fama publica, Gandinus in tract. de malefic. in tit. de quæstionib. num. 19. Frâcis. Brunus in tract. de indicijs & tortura, & alij multi, quos refert Clarus loc. cit. An hæc consuetudo sit bona, meritò dubitatur. Hanc consuetudinem & praxim tanquam malam aliqui reprehendunt: inter quos Nauar. loc. cit. & Caietanus 2. 2. q. 69. art. 1. quoniam cum apertè sit contra ius standum est regulæ iuris, quando non probatur exceptio: & est contra ius diuinum, quod aliquis iniustè det alteri causam se infamandi: ad quod nulla lege tenetur.

Quando autem vnum crimen est præparatorium ad aliud, vel consequens, aut annexum: tunc Iudex potest interrogare, vt Nauarrus loco citato numero 64. tradit. Peccant igitur grauiter Iudices, qui contra ius sic interrogant: cum sit contra legē naturalem & diuinam: de quib. ibidem latiùs in num. 56. & potiùs contrarium facere est corruptela, quam consuetudo. Ex his patet, contra diuinum præceptum & iustitiam facere illos iudices, qui reum crimen confessum, de quo indicia procedebant, cogunt tormentis & minis fateri alia, de quibus nulla adsunt indicia, & quasi totius vitæ suæ generalem subire confessionem: hoc non iudicis, qui iustè iudicare debet, sed Tyranni officium est. His præmissis pro resolutione sit.

1. Concluſio. *Maleficis de ſe confeſsis credendum eſt contra participes criminis.*

Probatvr Concluſio rationibus. Prima ratio: Maleficus de ſocijs interrogatus tenetur reſpondere Iudici interroganti, & iudex obligatus eſt ad interrogandum reum de conſortibus: ergo ei credendum eſt. Quia ſi nulla ei adhibenda eſt fides, non eſt ratio, quare ipſe obligetur denunciare. Antecedens probatur authoritate Theologorum citatorum, & ex iure naturali, quo quiſq; etiam priuatus tenetur, ſi poteſt, maximè ſine ſuo periculo, amouere aliorum mortem, & maxima pericula, quæ tendunt contra ſalutem reipubl. & multorum, vt fortiſsimè probant non ſolum lex illa Prouerb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: ſed etiam cap. Non inferenda. 23. q. 3. & cap. Quantæ. de ſentent. excommunicationis, & cap. 1. diſt. 83.

Atq; hanc doctrinam aliquando exiſtimaui tantum eſſe Theologorum & D. Nauarri, ob ſummam eruditionem in vtroque iure, & ſingularem pietatem, Vrbi & orbi notiſsimi: nunc verò ampliùs extendo & aſſero, eſſe communem Iuriſperitorum ſententiam, atque in primis in ſummo rigore eam tenet Bartolus in L. Vtrum, & L. Si ſciente, ff. ad legem

legem Pompeiam de Parricid. & in L. 1. §. occiforum. ff. ad Sillanian. in quibus locis tradit, si quis sciat committenda in principem, vel tractatus contra ciuitatem suam aut Rempublicam, vel in patrem, aut dominum, & non indicat, quod sit puniendus pœna legis, id est, mortis: hæc opinio Bartoli communior est, & in multis locis practicatur, vt multorum authoritate ostendit Julius Clarus lib. 5. §. fin. practicæ Criminalis: q. 87. Alij dicunt scientem & non reuelantem, puniendum pœna graui, sed non mortis, vt Felinus in cap. 1. de offic. & potestate Iudicis deleg. Decius ibidem & Andreas Barbatius. Sed quicquid sit, omnes probant scientem teneri ad reuelandum in conscientia. Id quod in specie tradunt Panormit. in cap. 1. de restitutione spoliatorum. Felin. & Decius loc. cit. Anthonius de Butrio in cap. Quantæ. de sentent. excom. & Salycetus, qui quoad pœnam tenet contra Bart. in L. Quisquis, C. ad legem Iuliam Maiest. docet, quod in conscientia & apud Deum sciens tenetur ad reuelandum, & id ex lege charitatis, & Lancilottus in tract. de offic. prætoris in caussis criminalibus, in §. de conscijs. fol. 573. in impressione Colonienſi: Ad temperandum Bartoli sententiam, quantum ad pœnam, quidam interpretantur eum intelligendum de socijs criminum: sed alij absolutè intelligendum putant de omni sciente

& non

& non reuelante. Quare Baldus & alij clamant contra Bartolum, quod anima ipsius & omnium qui eum sequuntur, crucientur in inferno; eo quod sint homicidæ.

Ex his infero, Iudicem non solùm teneri ratione officij, virtute cuius obligatur, vt prouincia purgetur à malefactoribus & hostibus communis salutis, iuxta L. Congruit. ff. de offic. præsid. sed etiam legis naturalis vinculo, quo etiam priuati tenentur, ad credendũ denunciationi rationali, ex circunstantijs, & ad inquirendum circa denunciatos. Quod si omittat, duplici ratione peccat: quia duplicem legem, transgreditur, iustitiæ & charitatis: & ratione iustitiæ, qua obligatur reipub. ex officio prouidere de malis imminentibus si negligit, & respubl. cuius interest delicta puniri, cap. vt famæ. de sententia excom. & L. Ita vulneratus. ff. ad legem Aquil. patitur detrimentum, grauissimè peccat, & criminis fit particeps, ex cap. 1. de offic. & potest. iudicis deleg. & Innocentio, Baldo, Decio, Barbatio, Panorm. & omnibus D D. cum, T. ibid. & tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde redundant vel in rempub. vel in priuatos, vt definitur ex d. c. 1. de offic. deleg. & communi sententia Theologorum. S. Tho. 2. 2. q 62. & 7. Domi. Soti lib. 4. de iustit. & iure. q. 7. art. 3. Ioan. Medinæ in Cod. de rebus restituendis. q. 9. Mart. Nauar. in manuali cap. 17. num. 21. Syl-

uest-

uest. in verb. Restitutio. 3. nu. 6. Angeli in verb. Iudex. §. 8. Caietani in Summa, verbo restitutio, cap. 1. versic. Non obstans. Aureæ Armillæ ibidem. Ioseph Angles in floribus in 2. par. 4. sentent in q. Quis restituere teneatur, Nona difficultate. Conclus. 1. & aliorum. Deinde deduco cum Dom. Soto, in li. de tegendo. & deteg. secretum, loc. cit. & Nauarr. Confessarius tenetur huiusmodi reos admonere, vt socios denuncient in casibus exceptis, quod si facere renuant, eos absoluere nequaquam debet, & si absoluerit, æquè peccat absoluendo, atq; rei non denunciando. Pro iudicibus annotandũ ex doctoribus, quod quando facienda est interrogatio secundum iuris dispositionem, de complicibus, vt non fiat in specie vel indiuiduo contra aliquam singularem personam, Quia hoc potius esset officium suggerentis, quam interrogantis, & factu pessimum: sed in genere, quos habeant complices, vt eos nominent, iuxta doctrinam Salyceti in L. fin. Cod. de accusat. communiter receptam à practicis. Quare grauissimè peccant iudices, qui cogunt reos quocunq; modo per fas & nefas detegere socios, & summa repræhensione digni sunt, vt bene tradunt Iulius Clarus. lib. 5. loc. cit. q. 21. vers. Retenta igitur, in fine. & Nauar. in Manuali. cap. 18. num. 59.

Sed circa prædicta potest dubitari, an Iudex etiam quando interrogat de socijs in casibus exceptis

exceptis posſit in aliquo casu in ſpecie vt iuriſperiti loquuntur, ſeu in indiuiduo interrogare de ſocio aliquo, exempli gratia, fuit ne tecum Tytius cum consilium iniretur de proditione, aut alio maleficio perpetrando?

Quod talis interrogatio in ſpecie non ſit coueniens, & iuri conſona, videtur communis Iuriſperitorum doctrina in. L. fin. C. de accuſat. Gloſs. Cyn. Salyc. Alberi. in qua communi ſententia fundata etiam eſt Conſtitutio Carolina in art. 31. dum volunt circa nominationem ſocij, à iudice interrogationem faciendam & proponendam in genere, & non in ſpecie ſeu indiuiduo, exempli cauſa, fuit ne aliquis ſocius tibi in perpetratione talis maleficij? & non in hunc modū; fuit ne Tytius tibi ſocius? Quoniam Alberic. in d. L. fin. & nunc aliqui aduocati videntur vniuerſaliter intelligere prædictam communem doctrinam, ideoque confeſsionem reijciendam vt inualidam ad talem interrogationem in ſpecie factam exiſtimantes, volui in hac tertia editione clarius hoc dubium proponere, & reſoluere. Reſpondetur ergo ſimpliciter doctrinam illam communem, & conſequenter Conſtitutionem Carolinam in communi fundatam intelligendam, quando nulla alia præſumptio legitima eſt, aut indicia, ſuppetunt contra ſingularem perſonam. At quando aliqua præſump

tio

tio, aut indicium seu indicia militant contra personam in specie siue singulari; tunc licitum est interrogando descendere ad speciem: vt fuit ne tecum Berta in conuentu maleficorum, quando à principe tenebrarum accepisti vnguentum ad maleficiandum Sempronium. Pro hac vera responsione clarissimè sunt Salycetus in d.L.fin. Franciſc. Brunus in tract. de inditijs & tortura, quæst.3.primæ principalis.num 23. Anton. Blancus in tract.de inditijs, num.381. quem allegat & sequitur Menochius de arbitrarijs iudicum q q.lib.2.casu474.num. 53.Iulius Clarus in q.d.num 4.versus finem. Ioseph Mascardus vol.3.de probationibus. conclu. 1311. & alij alibi; nec puto doctum in hac re nunc laborare. Hinc quando contra aliquam particularem personam duæ aut tres denunciationes maleficorum debitis circumstantijs vestitæ præcessissent, quæ arguerent, aut præsumptionem præberent, eum, de quo iudex interrogare intendit, criminis participem & socium, nihil criminis foret descendere interrogatione ad speciem siue indiuiduum: Quod euidenter demonstratur. In tali casu iudex debet inquirere contra talem personam, imo eandem sic diffamatam comprehendere, carceribus mancipare, & torturæ subijcere potest, si veritatem neget, vt ex professo infra in conclusionibus 4. 5. & seq.

seq. probamus. Ergo à fortiori licitum est in specie interrogare: An videlicet Sempronius fuerit in societate, quando tale maleficiū contra talem hominem commissum.

Postremò ex superiori doctrina infero: quod si reus de se confessus, aliquem in sua societate nouerit pœnituisse & conuersum, nec ampliùs esse periculum moraliter præsumpserit redeundi ad vomitum, non tenetur talem iudici interroganti denunciare: imò si denunciet, peccat.

Secunda ratio sumpta ex differentia criminum exceptorum & non exceptorum. Omnium tam Theologorum, quam Canonistarum & legistarum iudicio receptum est, quod de se confessus, super aliorum conscientia nō debet interrogari, & si interrogetur, non creditur ei, ex iuribus allegatis: & hac regula non obstante casus supradicti excipiuntur, in quibus debent interrogari, & eis credendum. Ergò eorum confessio fidem facit: aliàs nulla est distinctio inter casus exceptos & non exceptos, contra iura & leges allegatas, & communem Doctorum sententiam.

Tertia. Regulæ standum & inhærendum est, donec de exceptione & fallentia ostendatur, & probatur ex Gloss. recepta in L. omnis diffinitio. ff. de regulis iuris. & in 6. in Rubrica eiusd. tit. Petro de Ancharano ibidem Barto.

Bartol.l.1. num.2.ff. si quis in ius vocatus non ierit. Panorm. in cap. ad nostram, nu.9. & in cap. Consuluit. 1. num.4. de apellat. Iacobo Menochio lib.1.q.91.num.16. de arbitr. Iudic. quæst. Zasio in tract. de substitutionibus cap. 6.nu.3. Couarr. lib.2. variar. resolut. cap.12. num.4. Nauar. in Rubr. cap. Nouit, de iudicijs, num 61. Sed crimen maleficorum ostenditur & probatur exceptum à Regula illa communi posita in cap.1. de confess. & L.fin. Cod. de accus. in quo reus interrogandus de socio, & ei credendum est. Ergò. Probatur assumptum ex L.fin.C. de malefic.& mathem. cuius verba sunt: Quicunq; maleficorum labe pollutum audierit, depræhenderit, occupauerit: ilicò ad publicum pertrahat, & iudicum oculis, communis hostem salutis ostendat. Quod si quisquam ex agitatoribus, id est, aurigis, seu quolibet alio genere hominum, contra hoc edictum venire attentauerit, aut clandestinis supplicijs etiam manifestum reum maleficæ artis oppresserit, vltimum supplicium nõ euadat: geminę suspicionis obnoxius quod aut publicum reum, ne facinoris socios publicaret, seueritati legum, & debitæ subtraxerit quæstioni, aut proprium fortassis inimicum sub huiusmodi vindictæ nomine, consilio atrociori confecerit: hæc sunt verba legis, in qua notanda verba, quod suspicionis redditur obnoxius: quia publicum reum, ne so-

cios criminis publicaret, etiam puniendos, si ueritati legum subtraxerit. Atq; hanc legem, ne quis in intelligentia dubitet, in hunc modum allegatam interpretantur communiter Doctores, Alberi. in d. leg. Bartol. in l. Repeti. ff. de quæst. Bald. lib. 1. consil. 95. incipiente, Regula iuris est. Specul. in titul. de accusat. versi. item repellitur. Angel. ab Aretio in tractat. de malefi. versu. Sempronium mandatorem, fol. 19. colum. 2. verbo. Quæro an particeps. Panormitan. Ioan. Immolen. & Anthon. à Butrio in cap. 1. de Confess. Albert. de Gandino in tractat. de malefi. in Rubri. de quæstionibus. Franciscus Brunus in tract. de indicijs & tortura. q. 5. 1. part. à nu. 9. Salicet. in L. fin. C. de accusat. Glos. ibid. & in C. de testib. L. Quoniam liberi. & in c. 1 de Confess. Marsil. in L. 1. §. D. Antoninus. ff. de quæst. & ibid. in L. Repeti. col. penul. Nauar. in Manuali c. 18. nu. 58. Menoch. li. 1. de arbi. Iud. casu 474. nu. 33. & alij alibi: Recedere autem à textu iuris, ratione, & communi sententia, summæ temeritatis est.

Quarta. Malefici sunt latrones, & plus quàm latrones: maius enim est occidere veneno, quàm gladio, ex L. 1. C. de malefi. & mathem. Sed latroni contra latronem adhibetur fides, C. de ferijs. L. penult. & ff. de custod. & extrib. reor. L. Diuus Adrian. & communi Doctorum sententia & praxi. Ergo.

Quia

Quinta. Malefici faciunt coniurationem cum Dæmonibus, in perniciem hominum, & destructionem omnium, quæ communem salutem tam corporalem, quàm spiritualem humanam promouent, vt experientia constat, & processibus exploratum est: quare d. lex eos meritò hostes communis salutis appellat. Sed in coniuratione datur fides socio contra socium, ex cap. fin. de testib. cogend. & ibid. consensu omnium, & Bald. in cap. Quoniam liberi. C de testib.

Sexta. Malefici sunt rei læsæ maiestatis diuinæ. Ipsam propemodum diuinam pulsant maiestatem. L. Etsi excepta, C. eod. Si enim crimen læsæ maiestatis committit, qui in Imperatorem, Regem aut Principem conuicia conijcit, eis insidiatur ex odio, in ministros, vel in Reginam delinquit: Quanto magis obnoxij erunt tanti criminis, qui diuinam Maiestatem blasphemãt, sanctissimam Dei genitricem Reginam cœli maximis iniurijs afficiunt, atq; Regis æterni ministros in cœlo regnantes, & in terra militantes omni modo odio persequuntur? Sed in crimine lęsę maiestatis humanæ creditur socio contra socium, vt constat ex cap. 1. de Confess. & communi omnium sentẽtia. Ergo & in hoc: quia sicut vbi est par ratio, est idem ius: sic etiã vbi est maior ratio, maius. Ratio autem quare excipiatur à regula crimen læsę maiestatis humanæ, est immanitas, &

reipub. vtilitas, quæ profectò à fortiori militat in hoc crimine. Et confirmatur: quia hoc crimen multa habet priuilegia cõmunia cum scelere læsæ maiestatis, quilibet enim admittitur ad accusandum, quilibet potest capere, modò Iudici deinde præsentet: quilibet etiam ob hoc crimen, cuiuscunq; sit dignitatis, torturæ subijcitur, & inuentus reus punitur: ex d. L. Etsi excepta. Quomodo hoc crimen spectet ad læsæ maiestatis peccatum, vide Iodocum Damhauderium in practica Criminali, cap. 61.

Septima. Malefici sunt sacrilegi, rebus enim sacramentalibus & sacramentis sacramentorum abutuntur in maximis sceleribus. Sed in crimine sacrilegij inquisitus potest interrogari de socijs, & ei creditur, si alij non sint testes. 2. q. 1. & cap. Qui autem. 17. q. 4. Campegius in tractat. de testib. reg. 86. fallent. 9. Lancelot. in tractat. de offic. prætoris in criminal. in cap. de Sacrilegijs. num. 2. & alibi. Menoch. in loco proximè citato, num. 30. & alij, quos ipse citat.

Octaua. Malefici sunt proditores patriæ: faciunt enim tractatus, vt experientia constat, quomodo vineas destruant, fructus perdant, & annonę caritatem introducant. At proditoribus creditur contra socios. C. ad Legem Iuliam Maiest. L. penult. & fin.

Nona. Malefici aut sunt hæretici, aut eorum

rum facta sapiunt hæresin: ex cap. Accusatus. lib.6.§.Sanè. Hoc qui negat, rerum experientiam impugnat. Quid enim aliud arguit, Deo abrenunciare, pacta cum Dæmonibus inire, Diabolos adorare, Dei genitricem blasphemijs lacerare, mysterijs nostræ salutis abuti, corpus Christi conculcare, aliaq; nefandissima scelera in Deum, sanctosq; cõmittere? Quę omnia aut hæreses sunt, aut manifestam hæresin sapiunt. Sed in hæresi socius admittitur cõtra socium, ex c. In fidei fauorem, in 6. & communi omnium sententia.

Decima. Eis, qui veritatem loquuntur, credendum est: alias fides humana periret. Sed communiter accidit, vt socij in hoc crimine complices denunciantes, veritatem dicant: &, si in casu vnus inueniatur, qui in denũciando fallatur, centum vel plures veritatem dicunt, vt constat experientia, & processibus contra maleficos. A communiter autem accidẽtibus licet argumentari in materia morali. Gloss. Bald. in l. Neq; natales. C. de probat. Boer. in decis. 288. num. 1. Gloss. & DD. in l. Non hoc. C. Vnde cog. Vnde Baldus locum à communiter accidentibus tradit facere indicium indubitatum, in additionibus ad speculatorem tit. de sent. & his quæ ipsam sequuntur, in vers. incipiente, ad mortem. Quod latius ostendit Marsil. in pract. criminali. §. Secunda. num. 36. Id quod confirmo ex doctrina S. Thom. 2.2.

quæst.70.artic.2. qui dicit, quod in actibus humanis,super quibus constituuntur iudicia & exiguntur testimonia, non potest adhiberi certitudo demonstratiua, eò quòd sint contingentia & variabilia.Sufficit ergò probabilis certitudo,quæ vt in pluribus veritatem attingat,& sic in paucioribus à veritate deficiat hæc S.Thomas.Si enim testimonium hominum esset reijciendum, quia testes quandoque falluntur, vel falsum testimonium dicunt,omne iudicium cessaret. Nam & in iudicio Susannæ falsa erant testimonia:& quando Saluator morti adiudicabatur,& Actor.6. in condemnatione Stephani: & apud homines,innocentes quandoq; condemnãtur:non tamen propterea testimonia humana,quæ vt plurimum veritatem attingunt, relinquuntur. Et ideò in hoc crimine etsi error contingat quãdoq; in denunciationibus, non propterea fides omnis eis adimenda. In iudicijs & testimonijs falsitatem & errorem quandoq; contingere, probat nobilis illa difficultas apud Theologos & Iurisconsultos: An Iudex contra veritatem sibi notam, secundum allegata & probata possit sententiam pronunciare, & innocentem sibi cognitum condemnare? Cuius affirmantem partem tenent S.Tho. 2.2.q.76.arti.2.& q.64.art.3.ad 3.Alexand.Halen.3.part.q.40.membr.6. Caietan.in loc.S. Thom.Sylvest.in verb.Iudex 2.q.5. Dominicus

cus Sotus l. 5. de iust. & iure q. 4. art. 2. & ex Iurisconsultis Bartol. in L. Illicitas, de offi. præsid. Ioan. Andreas in Speculo, tit. de disput. & alleg. §. Satis. Glos. in cap. pastoralis. §. quia de offi. Delegat. & Felin. ibid. Couarr. li. 1. variar. resol. c. 1. & alij alibi. Non ergo ex humanis veritas tollenda est, quia propter hominum fragilitatem & inconstantiam quandoq; homines à veritate deficiunt.

Vndecima ratio. Testes, qui non debent examinari, examinati faciunt aliqualem fidem, quia faciunt quale quale indicium, vt DD. loquuntur. Bald. in L. Martinus. ff. de quæst. & in L. Cunctos populos. C. de summa Trinit. & fide Catho. Salic. in L. Si seruos. C. de testi. Glos. in L. 3. ff. de testi. Quod latius probat Marsil. in pract. §. Diligenter. à num. 141. Ergo magis credendum illi testi, qui debuit examinari, quia maiorem fidem facit. Si enim id quod videtur minus adesse, adest: multò magis quod magis videtur adesse, adest. Sed maleficus de se confessus, examinari debet de cõplicibus, ex LL. & communi sententia: Ergo.

Duodecima ratio sumpta est ex praxi Ecclesiæ, quæ tradit eis esse habendam fidem. Nam omni tempore Iudices ex huiusmodi denunciationibus inquisiuerunt contra denunciatos, vt patet ex Malleo Malefi. & Bulla Innocentij VIII. Malleo præfixa: Nicolao Iaquerio & Barth. Spineo, S. Palatij Magistro

in lib. de Strygibus, & Paulo Grillando Iurisconsulto, causarum Criminalium in vrbe Iudice, in li. 2. de Sortilegijs. Omnes enim dicti & alij, processus instituerunt secúdum formam Iuris, in inquisitione hęreticorum seruãdam. Sed in hac forma continetur, vt credatur consortibus, ex lib. 6. de hæret. cap. In fidei fauorem.

2. Conclusio. *Certum etiam est, quod maleficis de se confessis non habetur tanta fides, quanta hominibus integræ famæ, opinionis & vitæ.*

Omnes in hac re conueniunt: quia ex confessione proprij criminis, aliquo modo eorum in opinione hominum læsa est fides: Alias etiam ad trium vel quatuor denunciationes posset aliquis damnari: quod non est in práxi, vt in Conclusione vltima plenius declarabitur.

3. Conclusio, *Confessio malefici contra socium, facit indicium ad torturam.*

Notandvm: hæc Conclusio duplicem potest habere sensum: vnus est, quod cófessio vnius contra socium sit sufficiens ad torturam, absq; alijs indicijs & adminiculis, & sic tenẽt Cynus in L. fin. C. de accusa. Anthon. de Butrio in cap. 1. de confess. Paulus de Leazaris

ris in ca. grauis. De depoſito, vt citat eos Alexand. lib. 3. conſil. 89. incipiente: Viſo themate anteſcriptæ. In eundem videntur deſcendere ſenſum Ioan. Immol. & Panorm. in cap. d. de confeſſ. Angel. in d. L. fin. & Dinus in tractatu de quæſt. Secundus ſenſus eſt, quod confeſſio vnius contra ſocium, vnum faciat indicium, non per ſe ſufficiens ſine alia præſumptione vel indicijs: & hunc in Concluſione intendimus.

Probatur nunc Concluſio, preſuppoſitis ſuprà probatis. In criminibus exceptis ſocium interrogandum de ſocijs, & Maleficium eſſe è numero exceptorum. In criminibus exceptis dictum ſocij facere indicium ad torturam, à fortiori probat authoritas Doctorum pro primo ſenſu citatorum. Nam qui ſentit id, quod maius eſt, multò magis id quod minus eſt, ſub eodem gradu ſentire dicitur. Deinde in ſenſu noſtro tenent communiter Doctores, in criminibus exceptis confeſſionem ſocij contra ſocium facere indicium ad torturam: Innocẽtius in cap. Quoniam. de teſtib. Gloſſ. in L. fin. C. de accuſ. & in L. Quoniam liberi. C. de teſt. quam ibidem Doctores ſequuntur. Alexand. in d. conſil. & in lib. 2. conſil. 211. incipiente. Viſa facti renunciatione. Philippus Decius in conſil. 189. num. 7. & 10. incipiente, Lætatus ſum plurimùm, &c. Idem in cap. Quoniam de teſt. Philip. Corneus vol. 1. conſil. 58. Hyppol.

Marsil. in consil. Criminal. consil. 22. & 109. num. 11. & in L. 1. §. D. Antoninus. ff. de q. & latè in praxi criminali. §. Diligenter, à num. 59. Ludouic. Roman. in consil. 154. Bald. 1. vol. consil. 95. Conrard. Lancilott. in tractat. de offic. prætor. in criminal. in tit. de negatione criminis & tormentis, num. 23. Albert. Gandinus in tractatu maleficorum, in Rubr. de quæstionibus & tormentis: & hæc est communis sententia, vt tradit Iul. Clarus lib. 5. sententiarum. §. fin. q. 21. vers. Sed quid in criminibus exceptis. Idem confirmo ex definitione & differentia indicij leuis & grauis, secundum practicos. Leue est, cui contingit frequenter abesse veritatem. Graue, cui contingit frequenter adesse veritatem. Sed maleficorum denuntiationibus non solùm frequenter, sed aut ferè semper, aut semper contingit adesse veritatem, vt Iudicum experientia & processibus constat, ergo denunciatio malefici contra socium facit indicium graue: quia cui competit definitio, competit & definitum.

4. Conclusio. *Confessio vnius socij in maleficio contra alium, est sufficiens ad inquirendum in criminibus exceptis.*

Probatvr. Confessio huiusmodi aliquem habet effectum, vt constat ex dictis. Ergò ad inquirendum: cùm per se nō sufficiat ad tor-

ad torturam, imò in non exceptis tradunt Doctores nominationem socij efficere, vt Iudex possit inquirere: quantò magis in exceptis? Deinde nostram Conclusionem tenent communiter Doctores, vt docent Clarus loc. citat. vers. Retenta ergo communi Conclusione. Et ante hunc Ludouic. Romanus in L. Et si certus. ff. ad Syllan. Augustin. ad Angelum Aretin. in tract. malefi. in verb. Fama publica, n. 31. Roland. in cons. 73. lib. 1. & alij alibi.

Ex hac Conclusione sequitur, quod Iudex habita confessione vnius malefici contra participem criminis, debet cautè inquirere circa nominati statum & conuersationem, & indagare an alia reperiantur indicia.

5. Concluſ. *Confessio socij contra complices & participes in crimine, in malefico-rum scelere, si aliam habet præsumptionem adiunctam, vel indicium, aut indicia, facit indicium ad torturam sufficiens.*

PROBATVR Conclusio ex Gloss. & Saliceto in L. fin. C. de accus. vbi Salicet. dicit in exceptis talem confessionem siue nominationē secundum Doctores facere indicium ad torturam, quam ipse moderatur ex Glos. citata, si talis nominatio sit cōiuncta cū alia præsumptione: & hanc doctrinam Saliceti Doctores in praxi sequuntur, vt testatur Iulius Clarus in q. d. &

q.d.& in specie Alexand.lib.3.consil.59.incipiente:Viso themate.Albertus Gandinus loc. citat.Francis.Brunus de indicijs & tortura loco d.vers. Qualis autem sit modus. Guido à Suzaria,de indicijs & tortura.num.49.& ibid. inaddit.Ludouicus Bologninus. Hyppolit. Marsil.in cons. 28. nu.17.& in cons.130.nu.42. vbi latè probat ex Alexand.& alijs. Atque hîc pro lectore notandum,quando citantur consilia Marsilij, intelligendum de criminalibus, & non ciuilibus in hac materia.

Circa hanc Conclusionem & alias de confessione socij criminis, secundum Doctores notãdum est,ad hoc vt dictum socij faciat indicium ad torturam,requiri, vt in tormentis confiteatur. Sic tenent communiter Doctores: quia cùm sit infamis & vilis factus ex confessione proprij criminis, purgandus est talis defectus tortura.Bald.1. vol.cons.95.Alexan.5.vol.cons.152.incipiente. Viso processu, nu.17.Raphael Fulgos.cons.173.incipiente.In caussa inquisitionis.Marsi.cons.22.n.22.&109. nu.13 & in pract.criminal.§.Diligenter.nu.61. Gandinus de quæst.& torment.§.Nunc restat formare.Alberi.in L.fin.C.de accusat. Addo his ea,quæ secundum Baldum,Salicetum,Oldratum,& alios,Iason in L.Cunctos populos. de summa Trinit.& fid.Cath.num.70. in prima lectura,& in 2.nu.51. docet infames in criminalibus cum tortura admitti, ad hoc vt indi-

indicium faciant ad torturam, in subsidium: quæ communis Doctorum est sententia, vt infrà constabit. & licet Couarruuias lib. 2. variarum Resolutionum, cap. 13. nu. 8. videatur tenere, quod tantum in ciuilibus id obtineat, vt periurium & infamia tormentis purgentur: tamen ipse intelligendus est, quantum ad absolutam probationem: & ita communi non aduersatur, imò maximè fauet. Quia vt Bartol. in L. fin. in fine. ff. de in lit. iurand. vult, quotiescunq; probatio probat in ciuilibus: in criminalibus facit indicium ad torturam, qd comprobat Marsi. in pract. d. §. Diligenter. nu. 133. Quod autem socij criminis cum tormentis admittantur, valdè iuridicum est, & in quibusdam locis seruatur. Dicit tamen Chassanæus in consuetudinib. Burgundiæ, in Rubr. 1. se hoc sæpè allegasse in curia Francię: Curiam tamen non attendere in delictis atrocioribus, quæ fiunt de nocte, & clandestinis: sed admittere, propter difficultatem probationis, probationem sociorum criminis sine tortura, in casibus, quibus socij criminis admittuntur. Seruãda autem in hac re consuetudo loci, vbi ius dicitur, vt tradit Clarus q. cit. Constitutiones Imperiales Criminales Caroli V. quamuis declarent socium contra socium facere indicium ad torturam, inter alias conditiones, nulla tamen fit mentio, quod debeat fieri nominatio in tortura, vt est videre in articulo 31.

Con-

Concedendum tamen maximè in vilibus personis, Confessionem reddi probabiliorē, quādo examē fit in tormentis. 2. q. 1. can. In primis. & 5. q. 5. can. Illi qui. & L. ob carnem. & L. 2. ff. de testib. & in Auth. de test. §. Si verò etiā. Aduertendum tamen pro praxi, non esse necessarium, vt confitens actu tractus sit ad tormenta, modò metu tormētorum confiteatur. Quia confiteri in tormentis, & metu tormentorum, æquiparantur in iure, vt tradunt Bartol. in L. 1. §. D. Seuerus. ff. de quęst. Bald. in tract. de quæst. & torm. Guido à Suzaria de indicijs & tortura. num. 72. & ibid. in addition. Bolognin. & communiter practici. Metu autem tormentorum fit confessio, non solùm quando actualiter tortura adhibetur, sed etiam quando est in locum tormentorum ductus ad torquēdum, vel præcedunt minæ tormentorum, secundum Angelum ab Aretio in tract. malefi. verb. Fama publica. Bartol. ind. L. 1. Gandin. in tract. de malef. in Rub. de quęstio. & torment. Marsil. in Pract. Criminali. §. Expedita. num. 10.

Sed hîc exurgit dubium.

An ad hoc vt dictum socij faciat indicium requiratur, vt deponat cum iuramento?

Marsilius in Pract. §. Diligenter. à num. 6. tenet quod sic: & propterea dicit se Bononiæ

sem.

semel liberasse à furca quendam furem, nomine Ludouicum de Parisijs. Eundem sequitur Iulius Clarus in d.q. 21. vers. Quæro nunquid ad hoc: & dicit, quod sic semper viderit obseruari. Sufficit autem vt fiat iuramentum, vel ante torturam, vel præsente ipso, contra quem deponit, prout seruatur in confrontatione teste Boërio de incis. 319. Marc. Anton. Blancus in tract. de indicijs, nu. 384. tenet contrarium, vt citant eum Clarus & Menochius lib. 2. de arbitrar. Iudi. quæst. nu. 60. Tradit Menoch. ex aliorum authoritate praxim esse seruandam: & hoc videtur tenendum. Requirunt enim iura & leges iuramentum in teste, qui plenè probare debet, quod nõ est in proposito: quare tantus rigor iuris non attenditur. Pro cuius rei confirmatione facit, quod idem Marsil. in eod. §. infra. n. 143. latè probat, testem examinatum sine iuramento facere præsumptionem. Hoc tamen semper faciendum à prudenti & timorato Iudice, qui Deum & iustitiam ante oculos habere debet, vt quando Reus complices, in casibus, quibus tenetur, nominat, eum admoneat, vt propriæ memor salutis, nemini iniuriam faciat, sed bene consideret, quid loquatur, imò & interrogare poterit reum, an in animam & conscientiam suam velit recipere, sic se rem habere: hoc enim induit quasi rationem iuramenti.

Hic

Hîc libet pro noſtra materia mouere dubium.

An dictum mandatarij ſolum ſine alijs adminiculis vel indicijs, faciat indicium ad torturam contra mandantem?

Exempli gratia, in præſenti crimine inter maleficos & maleficas ſunt homines inferioris ſortis, vilis conditionis, mediocris ſtatus, & ſuperioris: Nunc maleficus vilis conditionis & pauper fatetur ſe grandinem mouiſſe, ad perdendum frumentum. Ipſe eſt pauper, mendicat panem, mallet frumenti copiam, quàm inopiam: præſumit meritò Iudex talem motu proprio non feciſſe, ſed alio mandante, vel alijs ſuperioris ordinis. Interrogat de mandantibus vel mandante: Mandatarius verò reuelat & denunciat mandantem. An talis denunciatio faciat indicium ſolùm, ita vt mandans poſſit capi & torqueri? Ante reſolutionem notandum eſt, quod mandatarius poteſt interrogari de mandante, quãdo præſumptio eſt veriſimilis, eum feciſſe ex alterius mandato. Deinde aduertendum, etſi mandans non dicatur propriè facere, interpretatiuè tamen, vt Doctores loquuntur, concurrit. Vnde tenetur de delicto mandatarij, & punitur eadem pœna regulariter, qua mandatarius. Bartol. in L. Non ſolùm. ff. de iniurijs.

rijs.§.Si mandato: & est communis opinio, vt testantur Albert. Gandinus in tractatu de malefic. in Rubrica de pœnis. Iulius Clarus lib. 5. §.fin. q.89. Lancilottus in tractat. de offic. prætor. in cap. de mandante homicidium. Didac. Couarr. in Clement. Furiosus de homicidio. Hoc tamen sciendum est, quod quando mandans est potens & seuerus erga eos, mitius puniendus est mandatarius: quia cùm actio tum minus sit voluntaria, minus in eadem specie peccat. Metus enim etsi non tollat, minuit tamen voluntarium.

Respondetur nunc conformiter superioribus Conclusionibus, quod mandatarij dictum solum sine alia præsumptione, vel indicijs non est sufficiens ad hoc, vt mandans possit subijci tormentis, vt patet ex proxima Conclusione. Deinde ob aliã rationem, quam ponunt Clarus d. lib. quæst. 21. & Marsil. in §. Diligenter. num. 39. Quia aliàs esset in potestate cuiuslibet hominis scelesti, & vilis personæ, vt vir probus subijceretur tormentis: quod esset impium & absurdum, & ita dicit Clarus, quod viderit semper seruari: hoc tamen modo, vt in criminibus exceptis leuiores suspiciones sufficiant, quàm in non exceptis. Quæ praxis bene notanda est ad propositum, quod propter atrocitatem criminis, & occulti exercitij naturam, leuiores sufficiãt suspiciones: sicuti etiam in hæresi omnium iudicio leuiora argumen-

ta & signa, quàm in alijs, acceptantur ad præsumendum ex L. 2. C. de hæret. Felin. in cap. literas. de præsumpt. Lancilott. in d. tract. in cap. de hæret. num. 8.

Dicet quispiam, cùm hîc agatur de indicijs, quot indicia requirantur ad torturam? Respondetur, secundùm Doctores, in praxi ita seruari, quod per vnũ indicium, si sit proximum, procedatur ad torturam: vt si sit vnus bonus testis de visu, vel Confessio extra iudicium, vel res reperta apud reum præsumptum. Atq; etiam duo leuia vnum sufficiens ad torturam efficiunt, vt Doctores practici, Lancilott. in d. tract. in cap. de negatione criminis. nu. 29. Marsil. in pract. & alij colligunt ex Bart. L. fin. ff. de quæst. Quod autem de cõsuetudine seruetur, vt propter vnum indiciũ Reus tormentis subijciatur, attestantur Ioan. Andreas in addit. ad Speculato. in tit. de præsumpt. §. Species. Alexan. lib. 1. cons. 77. Alberi. in L. Si quis alicui. C. ad L. Iul. Maiest. & hæc est communis opinio. vt tradunt Clarus li. 5. §. fin. q. 84. & Marsi. in pract. Criminal. §. Diligenter, à n. 177. Animaduertendum est, quod in materia indiciorum & torturæ non potest in omnibus dari certa regula, propter varios casus emergentes. Ideò Iudicis arbitrio multa relinquuntur, an vnum sufficiat indicium, vel plura, vel quale. Iudicis tamen arbitriũ in hoc sicut in alijs omnibus, debet esse iuri & æquitati

tati consonum: aliâs non valet, nec debet sequi propriam conscientiam, sed publicam & regulas legum, vt latè Marsil. in pract. loco cit. à num. 27. prosequitur: quia in arbitrijs Iudex debet facere suum arbitrium cum consilio peritorum. Quando enim dicitur aliquid relinqui Iudicis arbitrio, non est is sensus, vt fortasse indocti iudices, & iuris imperiti intelligũt, quod quisque Iudex pro suo sensu & cerebro possit decernere, ita vt pro ratione sit voluntas propria, sed quod Iudex consideratis circunstantijs rerum & personarum, necnon etiam legum decretis, & doctorum sententijs, arbitretur quod iuri & æquitati consonum erit, quando lex expressè de iustitia non statuit. Vnde arbitraria, quæ dantur iudicibus, intelliguntur concedi, secundum mentem legis, & arbitrium intellectus rationis, vt rectè docet Andreas Barbatius in ca. 1. de constitut. num. 167. Si autem lex quid certi statuat in casu, legi standum est. Hinc infertur, illa indicia maximè quæ leges ponunt, & DD. ex legibus colligunt, obseruanda esse. Deinde breuiter deduco (inferius latius Deo duce probaturus) in materia maleficorum peccare quosdam Iudices Iurium ignaros, qui requirunt tantam copiam indiciorum, vt ex natura & statu istius exercitij, quod occultissimum est, vix vnquam sit, aut esse velit, qui aut accusare, aut denunciare audeat: maximè cùm

regulariter omne indicium, secundum communem sententiam, quam etiam Constitutio Criminalis Caroli Quinti in articulo 23. complectitur per duos testes probandum sit: Cùm tamen iura, Doctores, & praxes doctissimarú Curiarum, in enormibus, clandestinis, & occultis, ne crimina impunita maneant, Diuina maiestas grauissimè lędatur, atq; ad iram prouocetur, & Respub. patiatur: leuiores & minores quàm in alijs admittant suspiciones, & minora argumenta seu indicia requirant, vt in probatione sextæ Conclusionis euidenter probabo.

Quæstio. Vtr sufficiat confessio de voce fieri.

Aliud hîc dubium incidenter soluendum, quod sæpe in praxi occurrit: Casus talis est: Maleficus indicijs sufficientibus, & seruatis seruandis in tortura coram Iudice, notario & assistentibus proprium crimen confessus, deinde de consortibus interrogatus, cùm iure & potuerit & debuerit interrogari, denunciauit duos, vel duas, vel plures: quam confessionem ratam habet, & confirmat, dum est ad banchum Iuris, vt vocant, & sententiam expectat. Sentétia lata proceditur ad executionem, & dum est in manibus Carnificis, locum præparatum ad incinerandum intraturus, vel instantia partis denunciatæ, vel importunitate admonentium mortis, & vrgentium per animæ salutem, vt cogitet, verè, an falsò denunciauerit: reus perturbatus hisce vel similibus ver-

verbis, dum in extremis militat, vertit se ad populum, dicens ad Iudicem, vt paululum expectet, & ait, in præsentia omnium. Rogo vos omnes, vt mihi ignoscatis, atq; pro anima mea Dominum rogetis, & quia illos vel illas denunciaui tanquam participes criminis: excuso eos, & dico me nihil mali de ipsis scire. Vel, delatis præsentibus & instantibus respondet: habeo vos pro bonis & probis. Quibus peractis non est amplius locus verbis, sed procedit ad executionem. Difficultas nunc est, an confessio in extremis facta elidat primam confessionem, in tortura & iudicio factam, ita vt prior non sit amplius indicium ad torturam contra denunciatos, iuxta modum in Conclusione expositum.

Videtur quod elidat, tum quia confessio nulla, & non perseuerans, eiusdem censetur virtutis, apud Doctores: tum quia quilibet in articulo mortis memor salutis præsumitur. can. Sancimus. 1. q. 7. & Gloss. in cap. literas. de præsumpt. Quæstio hæc parum apud Doctores trita est. Eam in casu furti mouet Marsilius in pract. Criminali. §. Restat. in principio, & soluit in partem negantem: & sic etiam in præsenti resoluimus: Non esse standum tali confessioni, quæ in extremis fit: & probatur ex L. Si quis in graui. §. Si quis moriens. ff. ad Syllan. vbi per illum textum Bartolus & alij dicunt, quod si aliquis Iudex, constitutus in mortis

articulo, dicit se falsam tulisse sentẽtiam, non ſtatur ipsius dicto, nec ei creditur ad annullandum ſententiam: & multis alijs iuribus & allegationibus prosequitur dictus auctor. Preterea eadem ſolemnitas requiritur in deſtruendo, quæ exigitur in conſtruendo: nec non etiam eadem ſolemnitas poſtulatur in reuocatione actus, quæ in celebratione. Sed talis reuocatio in articulo mortis fit extra iudicialiter, ſine debita ſolemnitate: denunciatio verò facta eſt ſeruatis ſeruandis in iudicio: & actus fortior eſt, qui fit in iudicio, quàm qui fit extrà, iuxta Gloſſ. receptam in Authen. Generaliter. C. de Epiſc. & Cleric. Ergo poſterior confeſſio nõ derogat priori. Atq; in maiorem cõfirmationem optima eſt ratio. Rei cùm ducuntur ad ſupplicium, & ſunt in puncto mortis, adeò concutiuntur timore, & perturbãtur anguſtia necis, vt quaſi alieni à mente videantur, & plenum iudicium non habeant, & oppreſſi mortis timore ſunt veluti ſimiles mortuis. Adhæc: talis perſona, maximè ſi moriatur pœnitens ſana mente & ratione, nõ confirmaſſet primam confeſſionem factam in tortura, quando ſententia danda erat ad banchum iuris: tunc enim conſcientiam ſuam aperuiſſet, & reuelaſſet excuſando, quod in tormentis timore pœnæ, ad liberandum ſe à tortura, vel alia affectione mota, denunciaſſet tales, tanquam participes criminis, contra veri-

veritatem. Si autem in iudicio persistit in prima confessione, veritatem dixisse,& consensum præbuisse, in primam præsumitur. Quia qui tacet, quando loqui tenetur,& interrogatur, pro consentiente habetur. Ex his similibusque argumentis videtur concludendum, quod in foro exteriori talis excusatio in extremis non elidat primam confessionem : quamuis maximum quiddam apud Deum & homines sit, quod ille reus statim moriturus exculpet,& excuset, quem inculpauit. Quod in contrarium obijcitur, verum est, quod confessio non perseuerans, æquiparetur confessioni nulli: hoc tamen intelligitur vsque ad sententiam condemnatoriam. Si reus non perseueret in confessione facta in tortura, non potest condemnari vi prioris confessionis. At alia ratio est post sententiam. Quod verò adducitur: moriens præsumitur memor salutis, verum est, si constanti & sana mente, & deliberato iudicio respondeat, & non perturbetur timore mortis, vel instantia importuna partium, aut solicitantium. His addo, quod Baldus ait, in tractat. de pace Constantiæ. §. extra quæro. num. 66. qui tractatus habetur in 3. vol. Oceani iuris, fol. 77. quem sequitur Iason. in L. 1. ff. Per quam factum erit. num. 16. Non omnis qui moritur, vel est in extremo vitæ constitutus , est Sanctus Ioannes Baptista, licet receperit corpus

Christi. Vnde licet sit aliqualis præsumptio, non tamen tanta, vt multùm probet. Ex his duo elicio: Primum, pro Confessarijs, qui talium reorum audiunt confessiones in casibus, quibus socios criminis tenentur denunciare, vt admoneant eos seriò in confessione, ad denunciandum eos, quos in conscientia, ex certa scientia, sepositis omnibus humanis affectionibus, nouerint consortes, Iudici coram notario & testibus, & si quos fortè in tormentis ex odio, inuidia, vel timore pœnæ, vel alia causa cõtra veritatem denunciassent: reuocent cum eadem solemnitate, ante sententiam. Quia si postea Confessarius reum comitetur ad supplicium, & tunc sæpius inculcando admoneat vt memor salutis, si quem iniustè denunciasset, eum reuocet, stimulis conscientiæ ex vna parte, cùm mors instet, & ratio reddenda sit: & ex altera anxietate mortis exagitatus facile cõtingere posset, vt totã primam Confessionem in dubium reuocaret. Secundum, vt Iudex nunquam permittat, sententia lata partes accedere ad instandum & molestandum reum, sed si iudicet cõfrontandos, vt loquuntur, id fieri curet ante sentẽtiam pro commoditate. Aliàs si post, quid per importunitatem reuocetur, generatur aliquo modo præiudicium tum iudicio, quod sanctum esse debet, & sine mendacio, tum etiam ipsi reo, qui falsum dixit, aut in falsum consensum dedit, dum loqui debebat, & ta-

& tacuit, si postea non stet confessioni: Nec etiam secundum leges talis subsecuta reuocatio, vt suprà dictum, magni ponderis est, præsertim quando prima confessio fulcitur adminiculis, quæ ipsam probabilem reddunt. Vide ad hanc materiam Constitutionem Criminalem Caroli V. in art. 31. vers. Zum fünfften. Huic resolutioni multum fauet, casus in simili expressus in L. Si quis in graui. §. Si quis moriens. Ad Syllania. vbi non creditur vulnerato morienti, qui in extremis vitæ, exempli gratia, dicit se à Titio vulneratum, nisi potuerit aliter probare. Ex qua lege Angelus ibidem, & Marsilius cons. 5. num. 14. & cons. 109. tradunt dictum moriẽtis facere indicium ad torturam. In contrarium est communis opinio, facere aliqualem præsumptionem, sed non tantam, quæ sufficiat ad torturam. Stephan. Bertrand. lib. 2. cons. 137. & alij multi, quos citat & sequitur Iul. Clarus lib. 5. quæst. 21. Vnde Constitutiones Criminales Caroli V. in art. 28. determinant, quòd sermo morientis, si quem denunciet, aliquod faciat indicium.

Cùm in crimine maleficiorum denunciantes sæpè sint varij in confessione, dubitatur meritò: Cui confessioni standum?

HAEC quæstio si in generali tractetur, intricatissima est, & eam ad longum ex re-

centioribus tractant, Didacus Couarr. lib. 2. variarum Resolut. cap. 13. Anthonius Gabriel, Romanus li. 7. communium Conclusionum, conclus. 26. 27. 28. 29. & seq. Iul. Clar. lib. 5. Sententiarum iuris. §. fin. & latissimè Menoch. lib. 2. de arbitrarijs Iudic. qq. casu. 108. Sed omissis alijs, quantum ad nostrum propositum, sit

Prima Conclusio. In crimine hæresis & negotio fidei, si quis de seipso testificetur, & de alijs, etiamsi ex interuallo fuerint contrariate-stimonia prolata, nihilominus statur illi testimonio, quo hęresis reuelatur, etiamsi prius testimonium iuramento sit firmatum, & hæresin non detegat, secundum verò detegat, secundo potius statur: ex textu & Glos. c. Accusatus. §. licet, de hæret. in 6. Felin. in ca. Cum in tua. col. 2. de testib. Menoch. loc. cit. num. 13. Couarr. vbi suprà num. & alij ab eo citati. Ratio redditur à Repertorio inquisitorum in verbo. Testes. Couarru. & Menochio: Ne tam horrendum crimen, in perniciem Christianæ religionis, omninò maneat occultum. Vbi tamen seruanda est consideratio d. §. licet, vt ex manifestis indicijs appareat, talem non ex animæ leuitate, vel odij fomite, seu pecuniæ corruptione, sed zelo fidei & religionis suum testimonium corrigere, ac quod reuelat, reuelare. Et hoc est priuilegium concessum in fauorem fidei & religionis. Tantus enim

enim est fauor fidei, vt quamuis in alijs criminibus in dubio tutius sit nocentem absoluere, quàm innocentem condemnare: in hæresi tamen & negotio fidei, in dubio quis præsumitur hæreticus, quantum ad condemnationem pœnitentiæ imponendæ in foro Ecclesiæ, pro vtilitate animæ. Franciscus Squillacens. de fide Catholica. cap. 34. Glossa, & Immolen. ab eo citati. Iosephus Mascardus de Probationibus, volum. 1. Conclus. 495. num. 8. & alij, quos ipse citat.

Secunda Conclusio. Quod de hæresi & negotio fidei dictum, quantum ad testium varietatem, idem seruandum est in crimine maleficorum. Tum, quia eadem ratio multo fortius in hoc crimine militat: Cùm hoc crimen maleficorum omni crimine sit atrocius, maximeque sit in perniciem Christianæ religionis, plurimaque mala in Rempubl. redundent, si lateat: Tum, quia crimē maleficorum omnium iudicio refertur ad hæresin: Tum quia omni tempore, Inquisitores seruârunt modum probandi & detegendi hoc crimen à canonibus præscriptum pro hæreticis. Vt est videre apud Doctores mallei malefic.

Syluestr. Bartholom. Spineum,
Nicolaum Iaquerium,
& alios.

6. Con-

6. Conclusio. *Confessio duorum vel trium contra aliquem, vel aliquos participes criminis, regulariter facit indicium ad torturam, in crimine maleficorum.*

Hanc Conclusionem sic intelligo: si duo vel tres socij rei inuenti in tormentis, de se confessi, simul vel successiuè denuntient alium, vel alios, faciunt indicium, vel indicia sufficientia cõtra talem, vel tales, ad torturam: si in confessione constanter perseuerent, pœnitentes ad iudicium accedant, morientes cum contritione, ita vt ex circunstantijs adiunctis non possit præsumi eos mentiri: &, si alia non sint indicia, Iudex potest & debet ex lege naturali suprà insinuata, & ratione officij, tales denunciatos apprehendere, inquirere, & torturæ subijcere. Et in tali cõfessione multum est obseruandum, an reus sæpius confessionem contra alios reiteret, & geminet in tormentis postea, & ad banchum iuris: quia geminatio arguit magnam firmitatem animi & propositi. Marsil. in cons. 113. num. 2. & in L. 1. ff. de quæst. §. Quæstioni. Felin. in ca. si cautio, De fide instrumentorum, num. 39. Decius in consil. 185. num. 10. Talis etiam geminatio & reiteratio præsupponit deliberationem, iuxta Gloss. in cap. Si quis iratus. 2. q. 3. Qua de caussa non est reuocabilis prætextu erroris aut falsitatis. Ludouic.

douic. Roman. in cons. 346. incipiente, in hac causſa. Barth. in L. Cùm ſcimus. C. de Agricolis & cenſitis. lib. 11. Bald. in L. Nec damnoſa. C. de precibus Imperat. offerendis, & alij iam citati. Dictum in Cõcluſione (regulariter) quia poſſit eſſe caſus, in quo tam paucæ denuntiationes non ſufficerent: vt ſi vir in poteſtate & authoritate conſtitutus, à ſubditis denunciaretur tanti criminis, poſſit fortaſſè præſumi, ex odio factum, vel alio humano reſpectu, præſertim ſi nullæ aliæ adſunt præſumptiones coadiuuantes. Si tamen tales denunciationes multiplicentur à perſonis infimæ, mediocris, & fortaſſis æqualis (conſideratis conſiderandis) conditionis & ſtatus hominibus: iuſtitia vendicat ſibi locum. Videndum etiam, an tales denunciantes ſint maioris authoritatis habiti: tunc enim eorum denunciationes ſunt maioris etiam virtutis, in æquilibrio rationis, contra pares, ſi debitæ ſeruantur conditiones. Propter hoc enim crimen licet quemlibet, nõ obſtante dignitate, torturę ſubijcere, & inuentum reum punire ex L. Etſi excepta. C. De malef. & mathem. Probatur nunc Concluſio ſic declarata.

Primò, authoritate omnium DD. allegatorum in 3. & 5. Concluſ. Nam cùm dubitant, an vnius confeſſio in exceptis ſufficiat ad torturam, præſupponunt duorum vel trium ſufficere: & communis & in praxi recepta opinio tenet,

tenet, cõfessionem siue nominationem vnius facere indicium ad torturam, si alia præsumptione vel indicio iuuetur. Sed hîc in proposito vnius inculpatio, vel nominatio coniungitur nominationi alterius. Ergo.

Secundò, ex communi sententia, vt supra ostensum est, vnum graue indicium & proximum sufficeret regulariter ad torturam. Sed inculpatio duorum vel trium facit grauissimum contra tertium: cùm vnius faciat graue, ex definitione grauis indicij, & proximum: cùm omnes rerum circunstantias nominans posset significare & aperire viam ad vlteriorem inquisitionem.

Tertiò, in crimine læsæ maiestatis diuinæ & humanæ, duorum sociorum confessio contra socium vel socios, sufficeret ad torturam, ex cap. In fidei fauorem. in 6. de hæret. & 6. quæst. 1. cap. Si quis cum militibus. & in L. Quisquis. C. ad Legem Iuliam Maiest. & communi doctorum sententia. Ergo & in nostro casu: quia vbi est similis ratio, idem ius est. ff. ad Legem Aquil. L. Illud. & vbi maior ratio, maius ius. Ratio autem in dictis criminibus est enormitas criminis, & reipubl. damnum. Sed magnitudine & immanitate hoc crimen omnia superat, maximaque damna in rempubl. redundant, vt omnium confessionibus constat, & hisce infœliciſſimis temporibus Respubl. experitur. Hinc bene Lambertus

Danæus

Danæus cap.5. in dialogis de sortiarijs & maleficis, ait: Sunt à fide sceleratissimi apostatæ, Dei potentiæ perfidi abiuratores, rei læsæ Maiestatis diuinæ, transfugæ teterrimi, proditores Dei fœdissimi, assecłæ diaboli turpissimi, deniq; diabolici venefici & impostores. Hæc ille. Si ergo in crimine læsæ maiestatis diuinæ & humanæ, duo socij criminis contra participes faciunt indicium ad torturam sufficiens, imò fortassè plus probant in defectu aliorum (nam iura eos in testes admittunt indistinctè) quis negabit in nefandissimo scelere duorum vel trium testimonium, de se confessorum, contra alios sufficere ad torturam? quæ solum est medium ad inquirendum veritatem. Quid immanius, quàm Deo datam fidem abnegare, cum Diabolo fœdus contra diuinam maiestatem, eiusque sanctos contrahere, Dæmonem adorare, sanctissimam Dei genitricem blasphemijs impetere, hosti communis salutis obedientiam, homagiumque præstare? Etenim qui in religionem diuinam peccat, omnibus facit iniuriam, & publicum crimen committit. c. Vergentis. de hæreticis. & C. eod. tit. L. Gazaros. Si ergo, vt L. 2. ibidem definit, Hæreticorum vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus debent succumbere, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deuiare; quanto magis qui tot tamq;

tamque enormibus flagitijs, non dico deuiare à fide, sed totam religionem conculcare maximis argumentis cognoscuntur, & deteguntur?

Quartò: in crimine latrocinij, & alijs exceptis, omnium practicorum iudicio, duorum vel trium denunciationes contra consortes criminis sufficiunt ad torturam, ex legibus suprà citatis & allegationibus. Et sic practicatur in rebuspubl. bene institutis, doctissimorum virorum consilijs, vt bene docent experientia, & aliorum testimonijs Iul. Clarus lib. 5. §. fin. pract. criminalis. q. 21. vers. Sed pone. Chassanęus in Consuetudinibus Burgundiæ, Rubr. 1. §. 5. num. 123. vers. Et quantum ad laicum. Raphaël Fulgosius in consil. 173. Alexan. cons. 89. li. 3. incipiente, Viso themate ante scriptæ. In crimine hæresis duos tantum sufficere probat pluribus allegationibus. Ioseph. Mascard. vol. 2. de probat. Concl. 857.

Quintò. Omnium Doctorum iudicio, in defectum aliarum probationum, & in subsidium, admittuntur testes non integri, inhabiles, infames, & socij criminum, quando ex natura rei & actus alij haberi nō possunt, iuxta communem rerum cursum. Sic tenent Panorm. Baldus. Hostien. Felinus & alij, in cap. fin. de test. cogend. Anthon. à Butrio in cap. Tertio loco, de Probat. Ioann. Andreas in addit. ad Speculat. tit. de teste. §. 1. vers. Quid si olim.

olim. Bald. Glos. & alij d. in C. de testib. L. Quoniam liberi. Alexand. lib. 2. consil. 320. incip. Et viso themate. & eod. lib. 2. cons. 166. incip. Anima duersis. & lib. 5. cons. 152. incip. Viso processu causæ. Philip. Cornæus 1. part. cons. 58. incip. Post reditum cõsilium dicitur mihi. Paul. Castr. 1. part. cons. 348. incip. Notãdum quod adulterium. Decius in cons. 189. incip. Lętatus sum. à num. 10. Marsil. consil. 41. num. 6. & consil. 61. & 102. num. 7. & in pract. criminal. §. Diligenter. à nu. 81. Mattheus Matthesil. in singularibus. versic. Nota quod subsidium, pag. penult. Landfranc. in tractatu de depositionibus testium. num. 102. Salyce. in L. Ea quidem. C. de accusat. Iason in L. Cunctos populos. De summa Trinit. & communis ibidem. Mart. Nauarr. in Manual. Confessar. cap. 25. num. 49. & 50. Plurimas ad hoc congregat allegationes Anthon. Gabrielius, Romanus Fisci Apostolici Aduocatus lib. 1. communiũ Conclusionum, in Rub. de test. Conclu. 7. Sed in crimine maleficorum aliter veritas haberi non potest, ex natura ipsius rei & actus, iuxta communem rerum cursum. Eorum enim exercitia, conuenticula, coniurationesq; de nocte fiunt, & in locis secretis, & ab hominum consuetudine remotis. Vnde dicuntur striges, quia quasi aues nocturnæ de nocte stridẽt, vt notat Sylvest. in summa, verb. Hæresis 3. & sua maleficia exercent. Quæ autem de nocte fiũt,

& in locis secretis, difficilis sunt probationis, vt pulchrè ostendunt Alexand. in d. cons. 166. & Marsil. in cons. 5. Si autem aliquod in rerum natura crimen est, quod aliter probari non possit, nisi per consortes & socios criminis, hoc profectò est, vt rei natura ostendit, & experientia rerum magistra docet.

Nunquid princeps tenebrarum est author principalis, qui odit lucem, & omnia inuisibiliter operatur? & quis probus eorũ tractatibus & conuentibus interest, aut interesse permittitur, vt sit testis omni exceptione maior, qui testimonium ferat? Quis enim vir vxorem habẽs, cum qua noctes dieſq; versatur, ipsam innocentem affirmare audebit? Aut quę mulier, virum ab hoc crimine liberum pronunciabit? Hîc sibi locum vendicat illud poëticum: *Quo minimè credis gurgite, piscis erit.* Quis igitur Iudex tam à ratione alienus est, qui bonorũ requirat testimoniũ, vbi nulli boni interesse possunt, nisi probitatem amittere, & pactum cum dæmone & sua societate inire velint? Atq; hoc argumentũ confirmat Regula illa Iuridica; in defectum probationum, si ex negotij & actus natura non potest haberi legitima probatio, admittitur minus legitima: & lex contenta est ea probatione, quæ haberi potest. text. & Glos. in c. fin. de testib. cog. Panormit. ibid. Alexand. i. volu. consil. 64. incip AEterni numinis inuocato spiritu. Marsil. cons. 5. & in Pract. Crimin. §. Di-

§. Diligenter. nu. 126. Bartol. & Immolen. in L. in illa stipulatione. in fine. de verbor. obligat. Chassanæus super Consuetudin. Burgundiæ, Rubr. 1. §. 5. nu. 173. Amplius roboratur ex Panormit. in cap. De cætero. de testib. vbi testatur, quod licet regulariter non admittantur laici contra clericos, in causa Criminali: tamẽ quando delictum est commissum in villa, vbi solùm vnus est clericus, in defectum probationum, admittendi sunt laici. Ad idem facit doctrina Saliceti in L. Ea quidem. C. de accusat. q. 5. recepta ab Angelo ab Aretio, in Tract. de malefic. Verb. Metitor. & Marsilio d. cons. 5. & alijs. Quando in casu sumus, in quo testes integri haberi non possunt, tunc admittendi non integri: & ponit exemplum. Si quis lusit in prostibulo, & fuit deceptus propter taxillos falsos, &c. poterit læsionem & falsitatem probare per lenones & infames.

Sextò, in enormibus & occultis, facilior & promptior debet esse Iudex in procedendo ad torturam, sicut in incantatione, venenatione & similibus, ex Bald. in L. Nemo deinceps. C. de Episcopali audient. Barbat. & alijs in addit. ad Bart. L. fin. ff. de quæst. Quod latè confirmat Francis. Brunus in Tractat. de indicijs & tortura, 2 part. q. 8. num. 2. & hæc est communis regula, vt tradit Clarus lib. 5. q. 64. versi. & ideò. Ratio redditur: quia ea, quæ in occulto fiunt difficilius probari possunt.

Ex qua cauſſa, reſultat illud iuridicum pronunciatum: In clandeſtinis & occultis ſufficere probationes per coniecturas, ob rei difficultatem, quæ aliâs non ſufficerent. Occulta autem ſunt, quæ fiunt de nocte, & in loco occulto. Baldus in L. Cùm fratrem. C. de his quibus vt indignis. in principio. Angel. in L. 1. §. Occiſorum. ff. ad Syllanian. Hinc Bald. clandeſtinum dicit: quia rarò inuenitur ſine tortura, vt eſt venenatio, ex d. L. Cùm fratrem. Quomodo autem quæ de nocte fiunt, difficilis ſint probationis, probat latè Alexand. lib. 2. conſ. 211. incipien. Viſa facti narratione, & eod. li. conſ. 167. incip. Animaduerſis his, quæ tam per teſtes. Atque crimen maleficorum ex his cauſſis alijſq;, quod eſt occultiſſimum, leuioribus argumentis tortura inquiri poſſe quis dubitat? tamen à regula criminum aliorum exceptorum non recedimus, vt ſatis ſuperq; conſtat ex ſupradictis. Quare autem maleficia potius fiant de nocte, & in locis ab hominum conuerſatione deſertis, duplex redditur ratio à Paulo Grillando, in lib. 2. de Sortilegijs cap. 4. Prima, quia Dæmon poſt caſum ex paradiſo effectus fuit obſcurus, & tenebroſus: quare etiam dicitur princeps tenebrarum: proinde ſua opera facit in loco obſcuro, & tempore tenebroſo, iuxta commune dictum: Qui malè agit, odit lucem: Secunda: Si de die fierent, poſſent videri ab aliquo, & facilius diſcooperiren-

rirentur eorum maleficia, & deuenirent ad notitiam, & sic caperentur & punirentur.

Septimò. Regulare & iuridicum est, quod propter enormitatem & immanitatem criminis, iura & statuta transgredi licet; Id quod probatur cap. 1. de confess. Glos. & DD. Excipiuntur, propter immanitatem, quæ vocãtur excepta ab illa regula: De se confessus super aliorum conscientia non debet inquiri. L. Nemo deinceps. C. de Episcopali audient. In festis Paschalibus relaxantur carcerati, exceptis qui atrocia commiserunt. L. per omnes. C. de defensorib. ciuit. denegatur defensio, propter magnitudinem criminis. L. prouinciarum. C. de ferijs. In venerabili Paschæ die, propter immanitatem, admittitur tortura ad honorem Dei: quod & Bald. in d. l. Nemo deinceps, tradit. Fecit ad idem Gloss. in §. per contrarium. Instit. de hæred. quæ ab intestat. deferuntur. vbi propter immanitatem fama defuncti damnatur. Sic Ioann. Andreas, propter atrocissimum crimen. in cap. Cùm non ab homine, de iudicijs. Testatur Clericum sine degradatione posse puniri, non attenta dispositione d. ca. Sic Marsil. in singular. 601. propter immanitatem criminis recipiuntur testes, lite non contestata, & parte non citata: iuxta notata ab Archidiacono, Dominico Geminiano, Hostien. in cap. 1. de homicid. in 6. & Felin. in cap. Quoniam, num. 7. Vt lite non contestata. Probant

hanc regulam latissimè Baldus in Authent. sed nouo iure. C. de seruis fugitiuis. & Doctores in addition. ibidem. Marsil. in L. vnius. §. Cogniturum. ff. de quæst. & in d. singulari: & omnium latissimè Andreas Barbatius in c. 1. de Constit. à num. 155. secutus doctrinam Innocentij ibidem. Propter hanc regulam in atrocissimis non seruatur ita processus, recipiuntur testes ante litem contestatam, & parte non citata, & proceditur ad torturam, etiamsi non sint ita sufficientia indicia, vt rectè infert Iulius Clarus lib. 5. q. 1. §. primo: vers. sunt etiã. Enormia enim, vt in d. singul. 601. Marsil. tradit, talis sunt naturæ & importantiæ, quod alterét dispositionem statutorum & iuris communis. Atq; si hęc omnia in vllo crimine locũ habeant, in hoc nostro proposito in summo gradu obtinebunt. Si quidem vt plurimum in crimine maleficorum, in vno subiecto cõueniunt crimen læsæ maiestatis diuinæ, quandoq; etiam humanæ, vt experientia compertum est: latrocinia horrẽda, & grauissimis circunstantijs affecta; coniuratio cum diabolo in subuersionem regni summi Regis: Idololatria pessima, pactum cum diabolo & inferno; blasphemia in Deum, Beatissimam Virginem, & omnes sanctos; peccatum contra naturã cum spiritualibus creaturis: sacrilegia nefãdissima in abusu sacramenti sacramentorum, & rerum sacrarum; Infantium & innocentium cędes; sepulchro-

pulchrorum violatio, vt innocentes effodiãt, quorum carnibus horrendè abutuntur; perditio agrorum, vinearũ, syluarum, omniumque rerum ad salutem hominum spectãtium: ita vt meritò à lege appellẽtur hostes communis salutis; & alia plurima scelera perpetrant, quæ nec mens humana concipere valet. Quis igitur tam insipiens est, qui legibus concludere velit, quod omnes leges immanitate & atrocitate superat? Estne vllus canon, aut lex, aut statutum, quod dæmonem cum sua societate includat? Hîc Iudices atq; potestatem habentes, per Deum, cõmunemq; salutem obsecro, vt leges, iura, rationes, & authoritatem doctissimorum virorum intueantur, oculos aperiãt, & cernant, quomodo Deus immanissimis criminibus irritetur, quomodo propter periculum communis salutis, in enormibus, ne quidem à processu & inquisitione, & executione in diebus Deo singulari ratione cõsecratis cessandum sit; quomodo Deus executione iustitię reconciletur. Facilimè, ait d. lex, prouinciarum. C. de ferijs. in hoc summi numinis speratur venia, per quod multorũ salus, & incolumitas procuratur: Quomodo ad honorẽ Dei, iuxta d. L. Nemo de inceps: crimina punienda sint; quomodo sinãt crimina impunita coalescere, cõtra l. per omnes. C. de defen. Ciui. quomodo in tam enormibus & periculosis, contra

communem salutem, relictis legibus diuinis, naturalibus & positiuis, dum periculum est in mora, iustitiæ executionem differant, cum multorum scandalo, dantes iustam occasionem multis temerarijs iudicijs, & sic communicantes grauissimis peccatis alienis? quomodo deglutiant camelos, exoculantes culices, dum minora & manifesta Lynceis oculis perlustrant, & talpis sunt cæciores in occultis & atrocissimis? quomodo festucam videant, & trabem non animaduertunt, dum furta simplicia, homicidia sine proposito perpetrata, aliaq; minora cane peius & angue persequuntur: crimen verò læsæ maiestatis diuinæ, apostasiam, tractatus secretos contra patriæ salutem, & alia immanissima facinora, tanquam phantasias & somnia negligunt. Habeant Iudices in hoc negocio doctrinam Magni Basilij ante oculos: Qui veram germanamq; iustitiã non habet in animo repositam, ac velut ex præuia quadam meditatione reconditam, sed aut pecunijs corrumpitur, aut amicis obsequitur, aut etiam inimicos vlciscitur, aut alienam reformidat potentiam; rectè ius dicere, iudiciaq; exercere non potest.

Octauò & vltimò probo Conclusionem. Si non demus locum denunciationibus consortum in crimine maleficorum, non est via extirpandi hoc crimen, nec inquirendi, aut procedendi contra multos, nec locus puniendi prin-

di principes huius sceleris; quod concedere est absurdissimum. Et hoc probo reducendo in memoriam ea, quæ posita & probata sunt ex fidei fundamentis, in decimo præludio. Inter Dæmones est prælatio & ordo. Sunt enim supremi, medij, & infimi. Qualis ergo ordo inter dominos, talis inter ministros. Nam norunt optimè tantò stabilius esse regnum, quãto maiori firmatur ordine. Videmus autem in regno temporali, superiores, potentiores, & honoratiores principibus assidere; consilia ac responsa dare, ac demum quod executioni mandandum, concludere, concluſa per medios & infimos in effectum deducere. Non enim est supremorum Consiliariorum, manus admouere operi. Sicut enim superiores Dæmones suas prouincias committunt inferioribus: Sic etiam in pessima illa politia, principes & superiores malefici, cum Principe Dæmoniorum concludunt tractatus, atq; inferioribus executionem mandant.

Atque hanc doctrinam non solùm ratio comprobat, sed etiam maleficorum & maleficarum confessiones confirmant. Quæro nunc ab homine, qui nullum dat locum denunciationibus, contra ius, doctissimorum virorum authoritatem, & praxim tam Ecclesiæ, quàm rerumpubl. bene institutarum, atq; rectam rationem; quis modus erit procedendi contra illos, qui sunt in superiori ordine? manebunt

ne impunita eorum scelera? eorum tractatus contra rempub. communemq; salutem occulti latebunt, vt indies plures pertrahantur in Diaboli societatem? Recurris ad externa indicia: perquire quando principes huius sceleris visi fuerint aut scopas erigere ad causandum pluuiam, aut ollam supponere vestibulo alicuius stabuli, aut lites & minas intentasse plebeis, aut alia opera externa exercuisse, quæ indiciorum vices subeant ad probandum. Hæc enim sunt facta vulgarium & vilium personarum, quæ rus incolunt, & ruri versantur inter plebeos. Ibi quandoq; hæc & similia perspiciuntur indicia. Tollatur igitur via inquisitionis & processus per denunciationes, & alantur principes maleficorũ, & magistri scholæ Diaboli: & videbitur, cum maximo Reipubl. dãno, quis sit futurus rei exitus. Habeant ante oculos, qui gladium portant, iustitiam, quę tribuit vnicuiq; quod suum est, bene agenti prę mium & honorem; malè operanti pœnam & vindictam: ne si respectu humano omittant punire Dei iniurias, ac reipubl. vindicare scelera, seueriſſimam indignationem eius, qui etiam iustitias iudicat, iucurrant.

Dubia duo hoc loco paucis mouenda & resoluenda sunt.

Primum. *An testes huiusmodi singulares*

res probent aliquid, ita vt quis possit torqueri ad denunciationes eorum, e.gra.

VNvs dicit, quod viderit N. venientem in deaurato curru, alius in nigro equo, alius in hirco, ad congregationem nocturnam, sed diuerso tempore. Videtur quod non: Tãtum enim probant mille testes singulares, quãtum vnus. Bald. in L. Iurisiurandi. colum. 2. C. de testib. Alexand. in cons. 20. & 81. vol. 4. Marsil. cons. 27. & 28. & alij alibi. & regulariter testes singulares non probant. cap. Tam literis, de testib. c. Cùm dilecti. de election. & c. licet causam. de probat. & L. ob carmen. ff. de test. §. fin. His & similibus auctoritatibus quidam persuadere conatus est dictam singularitatẽ impedire. Sed quia hîc loquimur in ordine ad torturam, parum ad rem facit disputare de testium singularitate: tum quia communissima est sententia, quod vnus testis omni exceptione maior, faciat indicium sufficiens ad torturam: tum quia socij criminis, etiamsi sint singulares, faciunt indicium ad torturam in criminibus exceptis, vt tradit ex praxi doctissimarum Curiarum Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 21. vers. Sed pone. Deinde vt communior est opinio DD. attestante hoc & confirmante Anton. Gabriel. lib. 1. com. concl. conc. 2. nu. 19. in Rub. de testi. testes singulares probant de delicto in genere, vt quẽ esse hæreticum, vsurariũ, male-

maleficum, &c. vel quando agitur de probatione actus non momentanei, sed successiui. Quare esse potest, quod maleficus vna vice veniat ad cursum in figura deaurati currus, alia vice in capro, & sic de similibus. Quia Dæmō sicuti dicitur mille artifex: ita etiam versipellis, quod formam subinde mutet.

Dubium secundum.

An, quando malefici à socijs denunciantur, quod ludis Diabolicis & choreis interfuerint, sociorum denunciationes faciant indicium ad torturam, etiamsi non fiat mentio, quod hominem, aut equum necauerint, aut damna intulerint?

QVIDAM distinguunt, & dicunt: si tantum denuncientur, quod congregationi interfuerint, & ludis, non faciant indicium ad torturam plures denunciationes: si autem homines, aut equos necauerint, aut damna intulerint, tunc faciant indicium. Sed hæc distinctio tantum narratur, nec vlla ratione aut fundamento stabili fulcitur, imò videtur implicare ignorantiam negocij eius, quod arte Diaboli ibidem geritur. Et probatur contrarium. Malefici aut sunt rei læsæ maiestatis diuinæ, quando in cursu & congregatione sunt: aut non sunt. Si rei sunt læsæ maiestatis diuinæ, vt cer-

vt certè dicendum est: Nam in hoc grauissimè diuinam maiestatem lædunt, quod Deo & regno suo abrenunciant, pacta cum aduersario contra Christum & eius exercitum contrahunt. Quis enim nescit, omnem societatem cum Dæmone esse homini interdictam: cùm à principe vniuersi, tali hosti perpetuum sit indictum bellum? S. Thom. 2.2. q. 95. artic. 2. ad vlt. Caietan. ibid. Domini. Sotus lib. 8. de iust. & iure, q. 3. artic. 2. Hostes autem regis & regni dicuntur, quibus à Rege indictum est bellum, per notata in L. Si quis ingenuam. §. fin. & L. Hostes. ff. de captiu. Barto. ibid. circa fin. Martinus Laudensis in tractat. de bello. §. 5. & latius Boërius cum alijs in decis. 178. num. 1. Sed societas subditi cũ hoste regis, aut principis, siue consummata, siue inita solũ sit, facit aliquem reum læsæ maiestatis, vt rectè Caietanus 2.2. q. 95. artic. 4. docet, & text. L. Quisquis. C. ad L. Iul. Maiest. cum DD. conuincit, quod etiam conatus in crimine læsę maiestatis puniendus: quem conatum Caietan. appellat societatem initam, nec dum consummatam. Reo autem læsæ maiestatis tã diuinæ quàm humanæ multò magis creditur, quàm latroni contra latronem: Quia dicta crimina, vt omnibus in confesso est, multò magis sunt priuilegiata; quàm alia excepta, ex cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6. & d. L. Quisquis, & alijs ibid. Magis autem priuilegiata præcedunt. §. Sanè, cap. Accusa-

tus.

tus de hæreti. in 6. Ergo multò magis denunciantes merentur fidem, si quem in cursu & congregatione fuisse denuncient, quàm si dicerent, ipsum hominem occidisse, aut equum veneficio infeciſſe. Nisi quis dicere velit, quod equum interficere aut vaccam occidere, sit crimen grauius, & magis exceptum, quàm Deum abnegare, & cum summo aduersario fœdus inire. Quis autem ignorat, neminem talem conuentum & congregationẽ frequentare, qui non prius Deum abnegauerit, pacta cum Dæmone contraxerit, societatem cum eo inierit, & ad omne malum animum habuerit paratum? Quid autem ita professioni nostræ fidei repugnat, sicut Deum expressis verbis abnegare, & professioni in baptismo factæ abrenunciare, Diabolo fidem & ministerium addicere? Ergo qui in cursu & ludis diabolicis iam apparent, sunt perfidi in fide & religione: ergo socij eorum eos denunciantes plus merentur fidei, quàm si dicerent eos equos, aut vaccas, aut etiam hominem occidisse. Nam si priuilegium fidei est in d. cap. In fauorem, quod socij criminis, & alij testes inhabiles possunt testes esse contra participes in crimine: Quomodo plus fauoris habet latrocinium hominis, aut veneficiũ equi? Nunquid priuilegium, cùm sit quid fauorabile, debet aliquid operari vltra ius cõmune? cap. In his de priuilegijs. Gloss. Bernard. Panormit.

mit. Anton. cum alijs ibidem. & lib. 6. eodem tit. cap. Si papa. & l. 1. ff. ad municipales, & de incolis cum Gloss. Quid ergo operatur priuilegiũ fidei concessum. Si socij contra latrones, vaccam aut equum interficientes merentur fidem, & non contra eum, qui iam fidem abiurauit, religioni nostræ bellum indixit, communioni sanctorum valedixit? Quæ communiter omnia præstiterunt omnes, qui in congregatione diabolica apparent, vt constat confessionibus innumerabiliũ hominũ vtriusq; sexus & status. Imò vt hoc addam, de quo alîs dubitaui, tantum operatur fidei fauor, d. c. In fidei fauorem, quod plures quàm duo testes inhabiles, & minus idonei, in negotio fidei & hæresi faciunt plenam probationem ad condemnationem, & pœnam ordinariam criminis hæreseos, quando ex circunstantijs, & coniecturis, & personarum qualitate verisimiliter præsumuntur verum deponere. Quam sentẽtiam dilucidè verba c. In fidei fauorem, videntur probare: Quia vt manifesti iuris est, priuilegium sic interpretandum, vt aliquid operetur, & hanc doctrinam securam & in praxi seruandam ex alijs approbat Ioseph. Mascard. de probat. volum. 2. Concl. 857. num. 39. Si quis autem neget maleficos reos esse criminis læsæ maiestatis diuinæ, quando sunt in ludis diabolicis, & congregatione, hic poterit etiam negare prima principia. Cogitet talis, qua

ratio-

ratione eò deueniant, quæ pacta & acta præcedant, quid ibidem faciant, cui obsequium & famulatum præstent, quis finis tragediæ. Quæ soleant ibidem tractari contra Deum, rem. publ. & communebonum. A communiter accidentibus argumenta ducuntur non solùm à Logicis & Theologis, sed etiam à iurisperitis. Vnde secundum eos locus à communiter accidentibus facit indicium indubitatum. Bald. in additionib. ad Specul. in tit. de sentent. & his quæ ipsam sequuntur, & Marsil. in pract. Criminal. §. Secunda. num. 36. Et talia confitentur ibi fieri facta, & communiter tractari, non solùm vetulæ & melancholicæ mulieres, iam ratione & viribus destitutæ, sed etiam iuuenculæ, non solùm fœminæ, sed etiam viri, iuuenes, adolescentes, & ætate graues, docti, & rerum experientia conspicui, etiam postquam iam se Deo suo iterum reconciliarunt, dispositi ad mortem, & pœnam pro suis sceleribus subeundam cum magna detestatione scelerum, & vt communiter confitentur, ita reperiuntur esse vera, si fortasse vnus sit, qui fallatur, sicut in omnibus rebus moralibus & actionibus humanis accidit quandoq; error, mille reperiuntur dicere veritatem, vt experientia testis est, quæ est rerum magistra. cap. Quam sit. cum Gloss. de electio. in 6. & cap. Statutum, de rescript. eod. lib. & multa experimenta cognitio veritatis insequitur. Bald. in

cap.

cap. Contingit, de dolo & contum. & Marsil. in pract. Crimin. §. Principium, num. 4. & imperator in Authent. de appellat. Ex rerum experientia inuenimus. Et certum est in hoc negotio, si multi experientia cognoscerent, & ab eis audirent, qui experti sunt cum suis circunstantijs rerum, personarum, temporum & locorum, non somnia dicerent: si hominibus expertis in sua arte non est credendum, à quibus rerum veritas inquirenda: Peto, quare in experto credendum, quod terminis suæ artis non continetur? Quia neq; scientiam, neq; experientiam habet, nec meretur fidem in his: vnicuiq; enim artifici in sua arte credendum est Sic profectò in hac misera secta credẽdum est expertis. Hi sciunt quid ibi agatur, quæ negotium præcedant, sequantur, & comitentur. Miserum enim est, & à ratione alienum, si ego dormiens velim dicere, me dormiente neminem vigilare, nec velim credere dicentibus alijs, se vigilasse in alio loco, cum circumstantijs locorum, personarum, & rerum actarum: Sic profectò etiã cęci sunt, qui dicunt esse somnia, & in somno tantum accidere, quæ homines vigilantes vnanimi consensu & magna cõstantia seruatis circunstantijs omnibus, non tã in commodum suum, quàm etiam contra se confitẽtur fieri, & facta esse. Prædicta ergo distinctio nihil habet fundamenti, sed meritò reijcienda est, cùm rationi & iuri aduersetur.

Ex proxima Conclusione & alijs infero quædam in hac materia:

Primum. Cæteris paribus in hoc enormissimo & occultissimo crimine, contra quorundam falsam opinionem, maiorum virium esse denunciationes talibus circunstantijs fulcitas, quales posuimus, omnibus alijs indicijs: tum quia alia vt plurimum sunt simplicia, leuia, & remota à substantia actus: At denunciationes naturam negotij & circunstantias in omnem euentum aperire possunt. Id quod ex definitione indicij confirmatur. Dicitur enim ab indicando, & est medium intellectuale veritatis eliciendæ, ex aliqua singulari circunstantia insurgens, ex L. Indicia, C. de rei vindicatione, & L. fin. C. de probat. quæ descriptio multò fortius conuenit denunciationibus, vt patet intuenti. Quare rectè denunciationem sociorum in genere, Constitutio Caroli V. in arti. 31. refert in numerum indiciorum, eamq; ob causam etiam inter interrogationes ad maleficij reos adiungit, vt interrogentur de magistro, à quo didicerint. in art. 51. Tum etiam, quia omne indicium, iuxta doctrinam Barto. in L. fin. ff. de q. ab omnibus receptam, regulariter per duos testes probari debet. Sed denunciationes fiunt coram iudice, notario, alijsq; adiunctis. Denuncians enim ipse circunstantias explicat & causas scientiæ, è quibus testis dictũ magnas vires

sumit;

sumit, reddit. Præterea semper vt plurimum denũciationes aperiunt viam indicijs, & vlteriori inquisitioni. Tandem, quia in hoc crimine, sicut actiones communiter in grauioribus sequuntur operationem Dæmonum, & non maleficorum; ita indicia nullam habent naturalem coniunctionem cum effectu, quare facilè possunt elidi.

Secundum illatum: Non esse iuri canonico, ciuilíq;, praxi, rationi; doctissimorumq; virorum authoritati consonum; id quod memini meà quodam Iurisperito audiuisse (seriò an ioco dictum, nescio) se nihili facere etiam mille denunciationes.

Tertium: siue hoc crimen consideremus vt Ecclesiasticum, siue vt seculare; iustissimè & rectissimè Iudices procedere per denunciationes ad inquisitionem & torturam. Ad Ecclesiasticum Iudicem enim pertinet, quatenus aut hæresis est, aut hæresin sapit, vt tertiodecimo præludio demonstratum est: & sic per participes criminis potest procedi, vt patet ex Bulla Innocentij Octaui prefixa malleo maleficorum, & ex cap. In fidei fauorem: & cap. Accusatus. §. Sanè. de hæreti. in 6. Ad secularem verò; quatenus malefici latrocinia exercent, in perniciem hominum conspirant, vineas & agros destruunt, tractatus contra Rempubl. instituunt, animalia in vtilitatem hominum creata enecant, veneficia intentant,

ac similia flagitia contra bonum commune moliuntur. Latrones verò, coniuratores, grassatores, proditores reipubl. hostesq; communis salutis, contra socios criminis, vt constat ex canonibus, legibus, allegationibusq; suprà allatis, testimonium sufficiens ad torturam ferre possunt.

Quartum: consultissimè & æquissimè hactenus illos fecisse Iudices, qui processerunt per denunciationes ad inquisitionem & torturam contra maleficos: quia id fecerunt, ad quod obligabantur ex lege diuina & naturali, nec non etiam officio, secundum praxim tam Ecclesiæ, quàm reipubl. ciuilis benè ordinatæ.

Quintum: Infero, satisfaciendo eorum clamoribus, qui clamant, torturam debere præcedere indicia, & à tortura non esse inciendum, ex ll. 1. penult. & fin. De quæstio. & communi sententia, quibus legibus hæc doctrina aduersatur. Respondeo ex dictis sequi confirmationem harum legum. Conclusiones enim prędictę indicia non tollunt, sed ponunt. Nam probant denunciationes Reorum contra socios, in casibus à iure expressis, esse indicia ad torturam, & subire vices indiciorum. Quis enim Iurisperitus negabit, si quis probet aliquod maleficium, quantum ad substantiam, per vnum testem omni exceptione maiorem, malefactorem posse subijci tormé-

tis,

tis, sine omni alio indicio? quam communem sententiam sequitur Constitutio Criminalis Caroli V. in art. 30. Tunc enim ille testis supplet locum indiciorum. Atq; sic in præsenti Iudex non incipit à tortura sed denunciationes sternunt viam inquirendi veritatem, per medium torturæ, & eandem præcedunt.

Sextum: Ex dictis Conclusionibus inferendo, ad argumentum Aduocatorum criminis maleficorum, quo arguunt huiusmodi de se confessos esse criminosos & infames, ex confessione proprij criminis: ergò eis in hoc casu non esse credendum; respondeo, negandam esse consequentiam. Quia, vt euidenter probatum est, possunt esse testes, quando veritas aliter haberi non potest; & in promptu ratio est, probationis difficultas, ne via probandi tollatur, & enormissima crimina impunita in occulto lateant. Si ergo testes esse possunt, secundum omnium Doctorum sententiam: quomodo eis non erit credendum? testibus enim fides debetur. Adhæc, vt infames, serui, domestici, socij criminis, non admittantur in testimonium; nunquid inductum est iure positiuo? Sic enim attestantur Philipp. Corneus. in 4. volum. consil. 241. in litera F. & eod. lib. consil. 259. in eadem litera. Philippus Francus in cap. In fidei fauorem. in 6. De hæreti. Petrus de Ancharano in c. Pastoralis: de re iudicata.

& Andreas Barbatius in tractat. de testib. nu. 42. & ratio suadet. Idem ergo ius, quod has exceptiones induxit contra testes tempore commoditatis, quando alij haberi possunt, ex natura rei & actus, admisit, vt exigente necessitate, ne veritas in multorum damnum occultetur, possint testimonium ferre sublata testium solemnitate, quæ iuris positiui est, & relicta earundem conditione in iure naturali & diuino. Sic enim locum habet quod cómuni proverbio dicitur: Necessitas legem non habet. Præterea infamia quandoque etiam purgatur tortura, vt suprà significatum est. Tandem cóstat ex ll. & canonibus & praxi, infames admitti, vt in crimine hæreseos, latrocinij, læsæ maiestatis, &c. Militat hoc ergo argumentum etiam in dictis & similibus. Dicendum ergo est, de iure positiuo regulariter non admitti infames, quando necessitas non vrget, & haberi possunt testes idonei & habiles.

Dices: cùm alij admittantur testes inhabiles, quare inimici repelluntur in hoc crimine, sicut in alijs? Certissimum est, quod testimonium inimici non recipitur etiam in criminibus exceptis, vt tradunt Bartol. in L. In quæst. ff. ad Legem Iuliam Maiestat. Marsil. consil. 20. num. 27. Angel. in L. Qui accusare. ff. de accusat. Bald. in L. in his. §. 1. in fine. ff. Soluto matrimon. Romanus in L. Si vero. §. Si viro. ff. eod. Panorm. in cap. Inquisi-

quisitionis. de accusat. Crauett. consil. 9. numer. 6. Menoch. de arbitrar. Iudi. quæst. lib. 1. q. 28. Iosephus Mascard. de Probatio. volum. 2. Conclus. 899. num. 2. & alij alibi, per text. singularem in cap. Per tuas. de Simonia. & in cap. Cum P. de accusat. Vnde generale est, quod nec etiam in criminibus atrocissimis inimicus admittatur. Imò nec etiam inimici testimonium facit indicium ad torturam, iuxta Baldum in consil. 36. incipiente, præsuppositò statuto. lib. 4. Marsil. consil. 15. numer. 6. Iacobus Menochius in lib. 1. de arbitrar. Iud. quæstionib. quæst. 28. num. 5.

Respondeo nunc dubio. Quædam exceptiones testium siue inhabilitates sunt iuris naturalis, vt quod puer non habens vsum rationis, furiosus & inimicus non admittantur. In inimico naturaliter ira & odium impediunt animum, ne possit cernere verum: Quædam sunt à lege inductæ, ex quadam congruentia, vt quod infamis, seruus, familiaris, &c. non possint testimonium ferre. Nunc, propter criminum enormitatem, & probandi difficultatem, Lex & conditor legis dispensant, in defectum aliarum probationum, vt exceptiones à lege statutæ non impediant. At in ijs, quæ sunt legis naturalis, non dispensatur; cùm non sit potestas. Quare benè docent Ancharanus, Francus & Barbat. in loc. cit. Pontificem non

posse dispensare, vt inimicus testimonium ferat.

Verùm quoniam aliqui minus docti recipiunt exceptionem cuiuscunque inimicitiæ, caussasq; etiam minimè validas ab Aduocatis in nostro crimine adductas admittunt, hoc in loco libet aliquid pro latiori intelligentia addere de inimicitia, eiusq; caussis, quæ testimonium infirmum & nullum reddunt. Atq; ante omnia præsupponimus, quod cùm crimen maleficij grauissimis sceleribus annumeretur, maximè autem hæresi in multis æquiparetur, quæ est ratio inimicitiæ in hæresi & alijs atrocissimis, ea etiam est conditio in hoc atrocissimo peccato. Nunc in primis obseruandum, quod quando loquimur de inimicitia repellente à testimonio in criminibus, intelligendum de inimicitia capitali. per cap. Per tuas, de Simonia, & licet Heli, ibidem. c. Repellantur, & cap. Meminimus, de accusat. 3. q. 5. cap. 2. Archidia. in cap. Accusatus. §. licet. de hæret. lib. 6. Eymeric. in 3. part: directorij Inquisit. q. 67. Francis. Pegna ibid. comment. 116. Mascar. de Probatio. vol. 2. Concl. 898. Malleus malef. in 3. par. q. 5. Ioan. Bodin. lib. 4. de magorum Dæmonomania, cap. 2. & alij communiter alibi. Quæ autem inimicitia capitalis sit, ad hunc effectum iudicis arbitrio relinquendum tradunt Felin. in cap. Cùm oporteat, nu. 5. de accusat. Marian. Socin. in d. ca. Repellantur. Menoch.

noch.lib.2.de arbitr.Iud.qq.caſ.110.num.3.allegando etiam Grammat. in conſ. 57.num.9. & aliqui alij recentiores. Quoniam autem Iudicis arbitrium formandum eſt in re expreſſè non cauta in iure, ſecundum Iuriſperitorum ſcientiam, planius proponendum, quid DD. circa hanc materiam ſentiant. In primis autem cenſetur inimicitia capitalis, quando mors inter teſtem, & inter eum contra quem deponere intendit eſt illata, aut intentata, ſeu ea quæ via ſunt ad mortem, vt vulnera grauia & lethalia, vt docent Eymeri. in 3. part. directorij in tit. de defenſionib. reorum, & Franciſ. Pegna Commentator ibid & latius infrà in q.67. comment.116. vbi eruditè hanc materiam diſcutit. Et pleniùs id expreſſum eſt legibus ſeptipartitis Hiſpanię. l.22.par.3 tit.16. quam legem ſic latinè Pegna reddit: Prohibemus ne quiſquam, qui magnam gerit cum altero inimicitiam, contra illum in aliqua cauſſa poſſit eſſe teſtis; vt ſi inimicitia ſit contracta ob conſanguineos occiſos: aut quia teſtis conatus eſt occidere eum, contra quem vult teſtificari: vel accuſauit eum de delicto, quod ſi fuiſſet probatum, ſequeretur vel mors, vel membri abſciſſio, vel exilium, vel amiſſio maioris partis bonorum: nam ob ſingulas ex cauſſis prædictis non poteſt vnus contra alterum eſſe teſtis, durante inimicitia. Hæc legis ſententia eſt. His addere poſſumus DD. ſententiam,

qui docent ex solis minis de occidendo oriri capitalem inimicitiam. Alexand. in cons. 14. incip. Ponderatis narratis. lib. 3. Angel. in cons. 261. incip. Ponderandum. Accurt. in L. Licet. verb. Capitales. ff. de recept. arbitr. Marsil. in L. 1. §. Præterea. ff. de quæstionib. Panormit. in d. cap. Repellantur. num. 4. de accusat. Cardin. & Ioannes ab Anania in cap. Cùm oporteat. eodem titul. Iosephus Mascard. vol. 2. de Probatio. Conclus. 898. nume. 14. & alij alibi. Quod maximè locum habet, quando minas intentans, potens est ad exequendum minas, & consueuit easdem exequi, vt Ioannes ab Anania, & Marsilius declarant. Quod etiam inimicitia capitalis oriatur, ex eo quod quis alterum accusauit de caussa capitali, exempli caussa, de crimine homicidij, læsæ maiestatis, proditionis, nefandi peccati, &c. text. in L. Qui cum maior. ff. de bonis libert. Glossa in L. Licet. verb. Capitales. ff. de recept. arbitr. & Glossa in §. Item propter inimicitias. verb. Si capitales. Institut. de excusat. tutor. Panormitanus in d. cap. Repellantur, & in cap. Accedens, de testib. Card. Zabarella in d. cap. Cùm oporteat, numer. 12. Bartolus L. 1. ff. de his quibus vt indign. & in L. 3. in princip. ff. de testibus. Marsil in d. §. Præterea, & Doctores in L. Liberi. C. de inoffi. testament. Mascard.

card. in d. Conclusione, num. 16. & alij alibi passim probant. Atque hoc locum habet in quocunque crimine, ex quo infamia nascitur, & quo probato, imponeretur pœna mortis, abscissionis membri, publicationis omnium, aut maioris partis bonorum, aut exilij, vt ex dictis iuribus & Doctoribus in specie colligunt Mascard. & Franciscus Pegna loc.cit. Præterea inimicitia capitalis præsumitur quando nascitur ex eo, quod quis mouit alicui Controuersiam & litem de omnibus bonis, aut eorum maiori parte. Panormitanus in d. cap. Repellantur, num. 4. Ananias in d. cap. Cùm oporteat. numer. 6. Felin. in cap. Quoties. colum. 2. de testibus. Bartol. in l. 3. §. fin. ff. de adimend. legat. Bald. in L. Parentes. C. de testib. Alexand. in consil. 99. incip. In causſa accusationis, lib. 1. Faber in d. §. Item propter inimicitias. Crauetta in consil. 31. numer. 3. & in consil. 75. numer. 1. Menoch. lib. 2. de arbitrar. Iudicum quæstionib. casu 110. Pegna & Mascard. vbi supra. Ratio duplex assignari potest. Vna est, quia temporalia & diuitiæ cùm sint necessariæ ad vitæ conseruationem, sunt quasi secundus sanguis, & loco sanguinis. Glossa cum textu in Lege Aduocati. Cod. de Aduocat. diuersor. Iudic. Bald. in L. in tuis. C. de oper. libert.

Marsil.

Marsil.in d §. Præterea, num 42. Iason in l.Nec quicquam.§. Vbi decretum, nu.2.de offi.proconsul. Petrasancta singul. 73. Altera ratio, quoniam causſa pecuniaria ardua, vtpote quando controuersia est de vniuersa substantia,aut maiori eius parte; æquiparatur causſæ criminali.Bald.in l.parentes. C.de testib.Marsil. in d.§.Præterea. Andreas Barbat. in cons.3. incip.Clementissimi Dei Patris.num.24 & in cons.16.incip. Præclarè scripsit, num.10.lib.2. vtrobique allegans Petrum Ancharan.in cons. 26.Menoch.in d.casu 110.num.5. Mascard.in d. Conclus. 898. nu.10.& alij alibi.Si ergo inimicitia orta ex causſa criminali & capitali reddit testem inhabilem, etiam eũdem effectum obtinebit causſa ciuilis & pecuniaria,quæ criminali æquiparatur. His additur quod etiam ea inimicitia capitalis censeatur, quæ ex graui iniuriarum prolatione originem trahit. Bald. in c. Veniens,de iureiurando. Iason. in l. Procuratoribus.C.de procurat. Marsil. in cons.3. incipien. Sæpè ac sæpius decreui. nu.12. Fran. Pegna in d.Comment.116.causſa 8.Mascar.vbi supra num.24. Quæ autem iniuriæ sint verbales,docent DD.in L.3. ff.de lib. & posth. & Instit.de iniurijs.§.2. & nos latius alijs in Commentario super titulo iuris Canonici de iniurijs & damno dato,cap.1.q.8.quem Commentarium,Deo fauente, Anno sequenti 1597.typis committemus.Ad has inimicitiæ capitalis ori-

origines aliæ cauſſæ, quas alijs, exactius explicat Pegna, & poſt eum Maſcar. reduci poſſunt. Hæc de inimicitia vera ſunt, durante ea: Si autem antiquitus inimicitia fuerit, quę reconciliatione ſublata, & obliuioni tradita, aut amicitiæ ſignis obliterata, ita vt nulla veteris odij veſtigia ſuperſint, nõ poteſt opponi exceptio ratione inimicitiæ. Ex antiquitate enim temporis præſumitur obliuio. Si autem is qui dudum fuit inimicus, recenter ſit reconciliatus, adhuc in criminibus non poteſt eſſe teſtis. cap. Accuſatores, 1.3.q.5. Accuſatores, inquit Anacletus Pontifex, & teſtes eſſe non poſſunt, qui ante heſternum diem, aut nudius tertius inimici fuerunt: ne irati nocere cupiant, ne læſi ſe vlciſci velint. Gloſſ. in c. Per tuas. de Simonia. Innocent. & Panormitanus in cap. Cùm oporteat. de accuſat. Bald. in margarita, in verb. Teſtis. verſ. Teſtis inimicus. Iaſon in L. apertiſſimi. C. de Iudi. Marſil. in L. 1. §. Præterea, num. 4. & 5. ff. de quęſt. & poſt alios plures Dida. Couarr. practi. qq. cap. 18. num. 3. Maſcard. vol. 2. de probationib. Concluſ. 857. à num. 47. Fran. Pegna in d. Comment.

An minorennes contra maleficos teſtari poſſint.

Dicet iterum hîc aliquis; An minoris teſtimonium in noſtra materia facere poſſit indicium ad torturam? cùm experientia conſtet, quod malefici aliqui pueros & puellas ad conuentus ſuos ducant: de cuius rei certitudine refero me ad Iudicum proceſſus, & communẽ

huius

huius ciuitatis Treuirensis scientiam, cui se opponere summæ dementiæ & pertinaciæ est. Non desunt docti viri, qui existimant testimonium minoris facere indicium ad torturam. Francis. Brun. de indicijs & tortura. 1. par. q. 2. nu. 18. Alberi. in tractat. de testib. 1. parte. §. videndum. nu. 10. Lancilot. loc. cit. num. 70. & confirmatur ad propositum: in crimine læsæ maiestatis in testem admittitur minor 14. annis cum tormentis, ex mente Bartoli, Marsilij & aliorum, in L. de minore. ff. de quæstio. Non tamen eo modo torquetur minor, quo maior. Minor terroribus mouetur, vel ferula, aut habena cæditur: & hoc ad illum effectum (vt tradit Bartolus) vt faciat indicium.

In contrarium sunt Marsilius in d. L. de minore, & alij, & Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 24. quod minores possint examinari, vt prosint ad inquirendum & veritatem indagandum, præsertim in criminibus atrocioribus, & quando aliter veritas haberi non potest. Proinde iustissimè faciunt nostri iudices, in hoc enormissimo & occultissimo crimine, quod minores examinẽt, ad accipiendum instructionem pro latiori inquisitione, & eorũ dicta, secundum doctorum sententiam, faciũt aliqualem præsumptionem, quæ si alijs indicijs iuuetur, augetindiciũ ad torturam. Quare existimo diuina prouidentia contingere quã-

doq;

doq;, vt cùm malefici innocentes pueros seducere volunt, puerorum simplicitate capiantur, vt eorum consilia dissipentur & reuelentur.

Septimum illatum. Cùm masculinum non concipiat fœminum in exorbitantibus à lege communi, & quando differens est ratio, vt probant aliorum authoritate Alexand. 2. part. consil. 166. incipiente. Animaduersis. & Ioannes de Cirier in lib. 2. de primogenitura, art. 5. num. 5. cuius libri habentur in 8. volum. Oceani iuris, & nostræ Conclusiones in masculino genere ponantur; in fœminino propter diuersitatem rationis extendo, neminem esse torquendum, nisi ad minimum à tribus vel quatuor sit denunciatus; nisi alia indicia concurrant. Quia testimonium virorum regulariter præfertur testimonio fœminarum. panormitan. in cap. Forus. de verbor. significatione. Marsil. in cons. 51. nu. 42. & in cons. 65. n. 45. & mulieri non est tanta fides adhibenda, quanta masculis, ob fragilitatem sexus. Lanfrancus in tract. de posit. testium, nu. 110. §. Et primò quæritur. Decius in L. fœmininę. ff. de regul. iuris. Conrard. Lancilot. loc. d. num. 75. qua de causa numerus debet supplere defectum.

At obijcis: Cùm secundum iura & Doctores, infames & socij criminum admittantur in testes, in defectum aliorum, quando aliter

veritas

veritas haberi non potest; quomodo per huiusmodi testimonia non proceditur ad condemnationem, sed tantum ad torturam? Sit ergò.

Septima & vltima Conclusio. *Quamuis communiter Doctores secundum iura tradant, infames & socios criminis admitti in testes, iuxta prædictam conclusionem: tamen securius est dicere, quod non admittantur ad condemnandum, sed tantum ad torturam inferendam.*

HANC Conclusionem ponit Salicet. in L. Cunctos populos. C. de summa Trinit. & fide Catho. Idem ibidem tenent Bald. & Iason in 1. lectura, à num. 70. & in 2. lectur. num 50. & 51. Lanfranc. in tractat. de depositionibus testium, à nu. 102. Atq; hi omnes Doctores Bartolum, qui in d. L. obscurè loquitur, nu. 4. in hunc sensum interpretãtur. Chassaneus super Consuetud. Burgund. Rubr. 1. §. 5. num. 123. versic. Et quantum ad laicum. Hippol. Marsil. in pract. Crim. §. Diligenter. num 3. Anthon. Gabriel. Roman. lib. 1. communium Conclusionum, Conclus. 7. num. 7. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 21. vers. Sed pone, quod non vnus tantum. Atq; sic in praxi seruari in senatu Neapolitano, Curia Parisiensi & alibi tradit ex Docto-

Doctoribus, vt non procedatur ad condemnandum, sed tantum ad torturam, propter testimonium duorum vel trium sociorum criminis, idq; esse verum, etiamsi testes sint singulares. Et ratio esse potest, quare huiusmodi testimonia non sufficiant ad condemnationem; quia cùm sit contra eos exceptio aliqua, non sunt tantæ fidei, vt quis possit ex eorum dictis condemnari: Ad condemnandum enim requiruntur probationes luce clariores: ad inquirendum verò veritatem per torturam minores sufficiunt probationes. Videtur tamen aliqui doctores plus tribuere huiusmodi testibus. A communi tamen sententia & praxi Doctorum, in tam periculosa re, non est recedendum. Tutius est ergo cum Salyceto dicere talium testimonium tantum sufficere ad torturam.

Maius autem dubium esse potest, An, si multiplicentur huiusmodi denunciationes, & testimonia, possit quis condemnari? Ioan. Bodinus in lib. 4. Dæmonomaniæ, cap. 2. & 4. affirmantem partem docet. Ad eandem videtur tendere sententiam, qui tradunt ex multis indicijs resultare indicia indubitata, & ex indubitatis indicijs posse aliquem condemnari: quam quæstionem celebrem in vtramq; partem disputat Marsilius in L. Repeti. ff. de quæstion. col. 6. & pro vtraq; parte adfert graues Doctores. De qua materia legendi Bald. & Salycet.

licet.in L. fin. C. de probat. Felin. in cap. Ter-
tio loco. de probat. num. 8. Quicquid autem
sit in genere de hac quæstione: video tamen
communiter in hanc ire Doctores sententiam,
quod in occultis & ex natura secretis atq; atro-
cibus, probatio per coniecturas & multa in-
dicia obtineat ad condemnandum. Sic Barto-
lus, Bald. & Angel. in L. Si quis ex argentarijs
§. penult. ff. de edendo, Franciscus Brunus de
indicijs & tortura. q. 4. 1. partis, nu. 7. Marsil. in
d. L. Repeti. & in cons. 44. nu. 8. & 9. Alexand.
in cons. 53. incip. In casu vertente inter. nu. 4.
Chassaneus super Consuetud. Burgun. Rub. 1.
§. 2. nu. 18. in addition. & ita dicit obseruari in
Curia, in atrocioribus, vbi probatio est sua na-
tura difficilis. Idem tradit Iul. Clarus in prax
esse in Mediolanensi & Neapolitano senatibus,
lib. 5. §. fin. q. 20. vers. Scias tamen. Hinc proba-
tio per coniecturas in casibus clamdestinis, di-
citur manifesta. Marsi. in cons. 44. num. 10. An-
gel. in L. Si quis ex argentarijs. §. prætor ait. ff.
de edendo. Quando autem aliquis damnatur
ex præsumptionibus, indicijs & coniecturis,
non deberet sibi imponi vera pœna delicti, sed
alia mitior, secundum doctrinam Innocentij
in ca. Verisimile. de præsumption. receptam à
Baldo in ca. 1. de offi. delegati, num. 13. & in L.
fin. C. de probat. Marsil. in d. L. Repeti. Lanci-
lot. in tractat. de offi. prætor. in criminalib. in
§. de negatione criminis & torment. nu. 55. Pa-
norm.

norm. in cap. Auditis. de præscript. nu. 32. Ad quod propositum faciunt multa, quæ dicit Menoch. lib. 2. de arbitrar. Iud. casu 279.

Antequam ad solutionem argumentorum descendam, aliqua dubia occurrentia resoluam.

Primum dubium: *Quid sentiendum de purgatione vel probatione aquæ frigidæ?*

PRo declaratione in primis cognoscendum est, apud quosdam Iudices esse moris, vt si quam maleficam præsumptam habeant, quæ veritatem etiam in tormentis fateri nolit, adhibeant probationem aquæ frigidæ in hunc, vt intelligo, modum. Malefica præsumpta adducitur ad flumen, vel lacum: ligatur manibus pedibusq;, ligata proijcitur in aquam frigidam: si enatat, habetur vehemētius suspecta maleficij, & iterum virtute huius indicij repetuntur tormenta: Si verò submergitur, vt innocens absoluitur. Dubium nunc postulat, an hæc probatio licita sit, & conueniens indicium culpæ vel innocentiæ.

Purgatio aquæ frigidæ in westphalia frequens.

Hanc probationem aquæ frigidæ ferunt in frequenti esse vsu apud VVestphalos: in nostris partibus hoc tempore quidam Iudices, vt fama est, hac probandi forma vtuntur. Eam longè defendit quidam Gulielmus Adolphus Scribonius Marpurgensis, lib. 2. de

Sagarum natura & potestate, qui liber prodijt in nundinis Francofordien. Mense Septembr. Anno Dom. 1588. Hic author contra Ioannem Evvichium & Hermann. Neuvvalt, Medicos, defendit & ab antiquitate confirmat purgationem aquæ frigidæ; quia eius meminit Cuiacius Iurisconsultus, asserens ea Christianos olim homines vsos fuisse; & adhuc in consuetudine apud multos est. Caussas verò naturales cùm reddere nequeat, vtpote qui manifestis aduersariorum conuincitur argumentis, alias confingit; in diabolo quandam leuitatem, qua detinentur huiusmodi corpora, ne submergantur: in aqua verò quandam antipathiam, & vt hoc figmentum intelligatur, ponenda breuibus, quę ipse multis profert. Aqua sagas in se ferre non potest; quia Deus aquam prædestinauit salutari regenerationis lauacro, vt in ea homines abluantur à peccato, & regnum Dei ingrediantur; quare odio maleficas auersatur, & reijcit, vt si maximè pro viribus tentent, non tamen submergi possint; cùm spreto diuino lauacro, toti Trinitati abrenunciauerint. Fatetur tamen & bene dictus author, hanc suam inuentionem non esse edicta prætoria. Ioannes Bodinus lib. 4. cap. 4. de Magorum Dæmonomania, damnat hoc iudicium aquæ frigidæ, tanquam opus quoq; magicum.

Nunc pro resolutione dico. Primò: Iudex,

vel

vel alius potestate & authoritate fungens, qui facit aliquem vel aliquam subire probationé aquæ frigidæ, mortaliter peccat. Probatur 2. quæst. 5. cap. Mennam. ex Registro S. Gregorij, in Epistola ad Brunichildam Reginam Franciæ, vbi reprobatur probatio vulgaris aquæ frigidæ, quia Diabolo fabricante introducta sit.

Deinde similium similis est ratio: & si in lege proprius casus non exprimeretur, ad similem expressum, vbi est identitas rationis, confugiendum est. Sed probationis aquæ frigidæ eadem est ratio, quæ candentis ferri vel aquæ feruentis. Tales autem probationes peruersæ sunt & superstitiosę, iuxta c. fin. de purgatione vulgar. & 2. q. 5. c. Mennam. & ca. Consuluisti. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. S. Anthon. 4. part. tit. 15. c. 34. §. 2. Ioan. à Turrecrema. in d. c. Consuluisti. Panorm. & Pet. de Anchar. in cap. fin. de purgat. vulgari. qui author & ibidem meminit probationis aquæ frigidæ. Martin. Nauarr. in Manual. Confessar. cap. 11. n. 39. Vt rei fundamentum perspiciatur, in quibusdam regionibus & prouincijs antiquitus fuit vsus vulgaris probationis, vt in Francia, sicut patet ex cap. Mennam, tempore S. Gregor. & in Liuonia, ex c. fin. de purgat. vulg. ætate Honorij tertij. Quare non est mirum, si Cuiacius Iurisconsultus aquæ frigidæ meminerit: non tamen, vt rectè DD. impugnantes dicunt, eius

vsum licitum asseruit. Sunt autem Honorij tertij verba in d.cap.fin. Dilecti filij nouiter in Liuonia baptizati, grauem ad nos quærimoniâ destinârunt, quod fratres Templariorum, & alij, qui temporalem in eis potestatem exercent, si quando de aliquo alio crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt, quibus si qua exinde sequitur adustio, ciuilem pœnâ infligunt. Cùm igitur huiusmodi iudiciũ sit penitus interdictum, vtpote in quo Deus tentari videtur, Mandamus quatenus dictos fratres, & alios vt ab huiusmodi conuersorum grauamine omninò desistant, per censuras Ecclesiasticas appellatione remota repellas: hęc ibi. Purgatio aũt ferri candentis, & aquæ calidæ vel frigidæ, dicitur vulgaris: quia nulla canonum aut legum authoritate fundata est, sed à vulgo inuenta, & diabolo fabricante introducta, ex d. c. Mennam. & c. Consuluisti. & est superstitiosa: quia intẽdit probare innocẽtiam vel culpam hominis per experimentum non secundum naturam, neq; secundum Catholicam Scripturam, sed per modum superstitiosum. Adhæc qui tali vulgari probatione vtuntur, tentant Deum, dum quærunt ab eo miraculum sine caussa. Ferrum candens cùm naturalis sit actionis, ita lędit innocentem, sicut peccantem, & in aqua frigida ita mali submerguntur, sicut boni. Ad miracula autem, quæ suo arbitrio Deus reseruauit,

vt Ancha-

vt Ancharan. ait, non ferro candenti, vel aquæ frigida, sed iustis orationibus commouetur Deus. Hinc in huiusmodi probatione duplex committitur peccatum: tentationis nimirum Dei, & superstitionis: quia pactũ implicitum intercedit cum Dæmone. Ad quod facit autoritas D. Thomæ loco citato, dum ait: Dicendum, quod indicium ferri cãdentis vel aquæ feruentis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquisitionem, per aliquid quod ab homine fit, & in hoc cõuenit cum sortibus. In quantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus à Deo, excedit communem sortiũ rationem. Vnde huiusmodi iudicium illicitum redditur; tum quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ diuino iudicio reseruãtur: tum quia huiusmodi iudicium non est diuina authoritate sancitum. Vnde 2. q. 5. c. Consuluisti, in decreto Stephani Papę dicitur. Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri nõ censent canones: & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. Hæc S. Thom. ex canon. De antiquitate purgationis ferri candentis legendus est Didac. Couar. lib. 4. variar. resolut. cap. 23.

Secundò: Non solùm peccant mortaliter cogẽtes subire probationem aquæ frigidæ, sed etiam omnes, qui credunt inesse effectum ad

probandum innocentiam vel culpam, nisi eos ignorantia probabilis excuset: quia est opus superstitiosum, à Diabolo introductum, ex pacto cum eo implicitè habito procedens: ergo mortaliter peccat, qui fidē adhibet tali rei Nam similes sunt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ex qua causa, qui admonentur talis erroris, & non deponunt, nec acquiescunt veritati, tam diu sunt in peccato mortali, quam diu non desistunt à tali superstitione. Quia post admonitionem & instructionem non est amplius locus probabili ignorantiæ. Quare rectè Bodinus & alij contra Scribonium, damnant probationem aquę frigidæ, tanquam opus diabolicum.

Tertiò: Siquis, vel quæ ponatur ad probationem aquæ frigidæ, & virtute talis indicij præsumpti confessio extorqueatur in tormentis, confessio est nullius roboris & momenti, & consequenter reus, vel rea non potest ex ea condemnari. Probatur. Confessio, quam nullum indicium legitimum præcedit, etiamsi in tormentis facta sit, & reus in ea perseueret, est nulla ipso iure, nec potest confessus ex eo condemnari. ex text. Gloss. Barto. & alijs in L. penult. ff. de quæst. Alexand. in L. Qui in aliena. §. Celsus, num. 12. De acquirend. hæred. Iason. ibid. num. 38. Angel. ab Aretio in tract. de malefi. in verb. Fama publica. vers. Quintò quæro. Marsil. in d. L. penult. & in pract. §. Secunda q.

Secunda q. nu. 2. Eman. Soarez in thesauro receptar. senten. verb. Confessio. Francis. Bruno de indicijs & tor. 2. part. q. 5. Francis. Viuio lib. 2. communium opinionum, opin. 70. Iul. Claro lib. 5. §. fin. q. 55. & hæc est communior opinio. Sed hæc talis cõfessio elicitur virtute nullius legitimi indicij, cùm talis probatio iuri & rationi repugnet, vt constat ex dictis. Si ergò indicium nullum est, & confessionem inde sequentem esse nullam necessum est: Si confessio nulla est: ergo & sententia nulla, quæ inde virtutem sumit. Ex prędictis constat, abusum illum probandi apud antiquos fuisse reprobatum, tanquam superstitiosum: nunc verò nostris temporibus denuò maligno procurãte reuocatum. Sicut enim hoc nostro infœlici seculo, antiquæ hæreses olim damnatæ prodeunt; sic etiam veteres superstitiones consopitæ renouantur. Caussam verò, quare non submergantur sagæ, si ita sit, vt refertur, non referimus in leuitatem, cùm nulla dęmoni insit (grauitas enim & leuitas sunt qualitates corporum, ex elementis compositorum) sed in potentiam dęmonum. Qui enim potest celerrimè per aera corpora ad remotissima loca deferre suavirtute, valet etiam sustentare, ne submergantur. Nam si vir mediocris potentiæ puerum potest tenere, ne profundum petat; quanto magis dæmon hominem deferre valebit? Hoc autem facit non vt nocentiam sagæ

declaret,cui omnem ſuam in protegendo operam addixit,ad ſaluandum innocentiam in conſpectu hominum(Malle enim talem,ſi in culpa ſit,innocentem,quàm culpabilem oſtẽdere, atq; ſic potius permittet in profundum deſcendere, quod naturale eſt corpori graui, quàm natare contra naturam:) ſed vt in talio pere,dum fortaſſe vnam animam perdit, quæ ad Deum per pœnitentiam reuertitur, plures per infidelitatem & ſuperſtitionem ſibi ſubijciat.Etenim & cooperantes & fidem adhibentes,in laqueum Diaboli cadunt. Sortitur autem hoc opus,ſicut aliæ ſuperſtitiones,de quibus in vltimo præludio actum eſt, effectum ex pacto implicito cum Dæmone. Dum enim homines ſcire volũt occulta per modum nec à natura, nec iure permiſſum, aut ordinatum; diabolus accurrit, & manus adiutrices porrigit.Atq; eam ob cauſſam canones & Doctores vulgarem probationem. tanquam rem ſuperſtitioſam, & diabolo ſuggerente inuentam reprobant, dum tales effectus neq; ſecundum ſcripturam,neq; ſecundum canones,vel Eccleſię conſuetudinem,aut rei naturam cum cauſſis coniungantur:quam Regulam, vt ſuprà ſignificatum eſt,Auguſtin.lib.2.cap.20.de doctrina Chriſtiana, indicat, pro dignoſcendis ſuperſtitionibus. Qua regula etiam reijcitur ficta illa antipathia. Nam aquæ talem tribuere effectum, indiget alia confirmatione,

aut

aut ratione, aut autoritate probandū est. Quis enim aquam in baptismo diceret talem tantamq; vim habere, nisi expresso Christi testimonio probatum existeret? Neq; aquæ soli virtus salubriter abluendi tribuitur, sed accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, vt dicit S. Augustinus tractatu 80. in Ioannem. Præterea, vt ex d. cap. Mennam, & alijs colligitur, hac probatione antiqui abusi sunt etiam in probandis alijs sceleribus: quomodo ergo nunc solùm obtinet in Sagarum crimine? Scribit quoque malleus maleficarum in vltima parte, familiare esse Magis, vt pro probanda innocentia appellent ad purgationem ferri candentis: sed non eis esse morem gerendum. Hæc de improbatione aquæ frigidæ.

Secundum Dubium: *Quod conclusio maleficum denuntiantem facere indicium contra socium ad torturam, videtur repugnare Constitutioni practicæ Caroli Quinti:* in art. 21. vbi expresse prohibetur, ne aliquis ex denunciatione Incantatorum aut diuinatorū capiatur & torqueatur, imò vt tales, si quid prę sumpserint, debitis pœnis subijciantur, statuitur. Casus talis est: aliquis perdidit rē pretiosā, vel alicui maleficio inficitur equus: accedit incātatorem vel diuinatorē, qui adhibita phiala vel cribro facit coniurationes & inuocationes dęmonum. Tandē dicit, consultatione habita

cum

cum Diabolo, vel alio modo vsus, talem furem rei esse, vel alienum equum maleficio destruxisse. Vel venit diuinator, aut incantator in aliquam villam, vt factum hoc anno intellexi prope Confluentiam in Kerlich; dicit, tot sunt in hoc loco sagæ, & illa & illa est, nominando aliquos; & breui aliquid videbitis, & sic de similibus. Dubitatur an talibus denunciationibus deueniendum sit ad capturam & torturam. Respondetur simpliciter quod non; vt determinat dicta Constitutio Caroli, quæ est iuri & authoritati consona, in L. item apud Labeonem. §. Si quis Astrol. ff. de iniur. & famos. libellis. Angelus ibid. Francis. Brun. in tract. de indicijs & tortura 1. part. q. 3. nu. 35. Marsil. in pract. & alij alibi. Quia, vt Angelus docet, Diuinationes cùm sint illicitæ, nec probant, nec faciunt indicium ad torturam. Aliam ratione ex vltimo præludio adferre possumus: quia incantatores & diuinatores, si secreta peccata denunciant, vel de futuris diuinant, non possunt ea scire, nisi à Diabolo, à quo cognoscere non est licitum. Quia talia obiecta cognitionem humanam excedunt, nisi reuelata mediante aliquo, qui sensu cognouit, existant. At in nostro proposito lõgè alia ratio est: malefici denunciant facta sociorum & consortum in crimine, quæ viderunt in loco, tempore, modoq; determinatis, quibus præsentes fuerunt, vbi verè & realiter biberunt, manducauerunt,

uerunt, varioſq; tractatus habuerunt, circunſtantias de acceſſu & receſſu aperiunt, quæ humanam cognitionem non excedunt, ſed ſenſibus apprehenderunt. Feruntur enim ad talem conuentum opera diaboli: ſed cùm in conuentu ſunt, functione ſenſuum corporeorum vtuntur, vident, audiunt, tangunt, ſaltant, bibunt, & comedunt: quæ omnia ſenſibilia ſunt. Aliquando quædam ex euentu inopinato fœlici relinquuntur in loco, & defeſſæ domum ambulando redeunt: de quorum veritate refero me ad experientias multas, quæ partim in malleo maleficorum, Grillando, Bartholomæo Spineo, & alijs: partim in noſtrorum Iudicum proceſſibus de tranſlatione reali habentur. Quare qui talia in ſomno contingere dicunt, ſenſus negant.

Quomodo ſomnia ſunt, quando dicunt, ex iſtis locis vinum allatum, ex talibus vaſis ſumptum, & hoc modo conſumptum? Adhęc ſi ea ſenſum effugiunt, quæ ibi tractãtur, quomodo nunc noſtro tempore, poſtquam animaduertunt in aliquibus locis denunciationibus locũ eſſe, honoratiores & maiores, vultu & forma teguntur in curſibus & conuentibus, ne à vulgaribus cognoſcantur? Hæc ita ſe habere, multorum relatione indies cognoſcimus. Portabatur Chriſtus à Diabolo, & ſtatuebatur in pinnaculo templi: At ibi exiſtens videbat: audiebatq; populum, aliaq; ſenſibilia

ad

ad humanam naturam spectantia opera exercebat. Sic & Abacuc ex Iudæa in Babylonem ferebatur ab Angelo: sed in Babylone existens loquebatur, audiebat, videbat, aliasq; sẽsuum functiones exercebat. Non repugnat, quod à Diabolo ad locum ferantur, & in loco existẽtes humana opera faciant. Ratio ergo fundamentalis, vt paucis concludam, quare maleficorum denunciationes admittantur, diuinatorum & incantatorum reijciantur, est, quia malefici testantur de rebus naturali & humano modo acceptis: Hi verò de obiectis, quæ excedunt humanam cognitionẽ, nisi alia conditio accedat. Vnde necesse est vt aut fallãtur; aut à diabolo, qui etiam fallere solet, & à quo non licet quicquam cognoscere, intelligant. Quare meritò dicta Carolina Constitutio statuit, sicut etiam decernunt. d. l. Idem apud Labeonem. & in C. de malefi. & mathem. L Nemo. vt in tales diuinatores & incantatotes seuera fiat animaduersio. Si tamẽ diuinatores & incantatores veritatem aliter quàm per incantationem & diuinationem scirent, non prohiberentur denunciare, seruatis seruandis.

An iudicibus liceat per mendacia veritatem à Reis elicere.

Tertium Dubium: *An liceat iudici vel alteri potestatem exercenti, dolo, mendacio, vel falsa promissione impunitatis, à Reo præsumpto in hoc crimine, vel alijs, confessionem elicere.*

Vt

Vt melius dubium intelligatur, talis formatur casus. Iudex habet in carcere sagam, quę non vult etiam confiteri: vt inducatur ad confessionem, ipsemet eam accedit, vel alium subornat & dicit; habeo adhuc tres vel duas suæ societatis in carceribus (easq; nominat) quæ te denunciant: cùm tamē nullam habeat: sic fortasse vlciscendi animo par pari referet, ait Bodinus. Vel promittit impunitatem & euasionem, quam nec cogitat, nec potest seruare. Quæritur nunc, an tales modi liciti sint?

Quantum ad primam partem, Ioannes Bodinus lib. 4. de Magorum Dæmonomania, cap. 1. prope finem, tradit licitum esse iudicibus, mendacijs eruere veritatem à magis & maleficis; Idq; diuino & humano iure, probat exemplis veteris testamenti. obstetrices, Exo. 1. propter mendacium remuneratæ sunt. Abraham Genes. 12. & 20. dixit de vxore sua, quòd soror esset. & Genes. 27. Iacob dixit se esse Esau: & alia extant plurima in libris veteris testamenti. Confirmat latius: Plato & Xenophon magistratibus permiserunt, vt ad reipubl. administrationem sic mendacia proferant, vt erga ægrotos & puerulos adhibentur. Sic ergo, inquit, in iure faciendum, vt occultorum scelerum perueſtigetur veritas. His rationibus mouetur ad dicendum, iure diuino & humano licitum esse iudicibus, eruere mendacijs veritatem, quicquid Augustin in

lib.

lib. de mendacio, & Aquinas sentiant ab octo mendacij generibus, quæ exponunt copiosè, abstinendum esse.

Bodinus notatur.

Sic Bodinus loquitur, & quia hæc doctrina falsissima & pernicioſissima est, in primâ parte dubij, contrarium, ne quis eius lectione capiatur, ostendendum, & eius argumentis respondẽdum est. Huic falsæ doctrinæ oppono veritatem. Mendacium omne prohibetur iure diuino & humano. Probatur, quod iure diuino. Non dices falsum testimonium contra proximum tuum. Psal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo, &c. Qui loquitur veritatem in corde suo, & qui nõ egit dolum in lingua sua. Ergo à contrario sensu non habitabit in tabernaculo Dei, qui loquitur mendacium, & egit dolum in lingua sua. Sapient. 1. cap. Os quod mentitur, occidit animam. Ecclesiastici. 7. Noli velle mentiri omne mendacium. Prouerb. 6. Proferentem mendacia odit Deus. Psalm. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Rectè ergò Augustin. in lib. de mendacio, cap. 14. & S. Thom. 2.2.q. 110. art. 3. sentiunt, quos necessariò communis sententia sequitur, cùm ex verbo Dei euidens sit, non esse licitum mentiri in vllo casu, neq; etiam pro conseruatione alicuius vitę. 2.2.q.2. can. Ne quis. Quia iuxta apostolicam doctri-

Rom 3.

nam, non sunt facienda mala, vt eueniant bona; nec etiam pro aliqua vtilitate & neces-

sitate,

sitate, ex eod. can. & ibidem in can. Primum, & multis alijs canonibus in eadem causa quæst. Quare oculos non habuit Bodinus, qui dixit licitum esse mentiri iure diuino & humano. Quod multò magis habet veritatem in Iudice & iudicio, cùm Iudex vir bonus, & iudicium sanctum esse debeat. Quâ de causa communis sententia tradit, omne peccatum esse mortale in iudicio, quando est de aliqua re graui, spectante ad iudicium, vt tradunt S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. Caietan. ibid. Martin. Nauarr. de pœnit. dist. 5. cap. Fratres. num. 12. & 14. & in Manuali Confessariorum, cap. 18. num. 3. Domin. Sotus in relect. de tegend. & deteg. secretum, memb. 2. q. 7. Didac. Couarr. lib. 1. variar. resolut. cap. 1. num. 2. At quis non intelligit confessionem, ex qua quis vel damnatur, aut absoluitur, rem esse grauissimam, spectantem ad substantiam iudicij? Et confirmatur: quia, vt Doctores tradunt, non licet iustè litiganti in iudicio, mendacio, aut falsitate vti aduersus aduersarij dolum & cauillationes. S. Tho. 2. 2. q. 71. art. 3. ad 3. de aduocato, quod non liceat ei falsitate vti. Syluest. in verb. Aduocatus, nu. 6. Aurea Armilla ibid. nu. 19. Nauarr. in Manuali c. 25. nu. 29. Ioan. Immolen. in c. 1. de mutuis petitis. num. 13. Bald. in Rubr. C. de fide instrum. Iason. in L. Cùm proponas inter vos. C. de pactis post. nu. 4. Couar. lib. 4. variar. resolut. c. 2. n. 1. Quare falsissima est Bodini sententia, quod

licitè possunt Iudices mendacijs & falsis modiseruere veritatem.

Solutio argumentorum Bodini.

Ad argumenta Bodini, & quidem ad illud de obstetricibus: respondetur primò, secundum Alexandrum Halensi. in 3. parte. q. 37. membr. 6. Quod in facto earum duo considerentur: pietas compassionis, & mendacium. Compassio opus bonum fuit moraliter, & si præcessit ex charitate, fuit etiam meritorium, pro quo remuneratæ sunt temporaliter: non tamen propter hoc priuatæ præmio æterno, saltem si ad fuit charitas. Mendacium verò fuit officiosum, quia profuit, & vtile fuit ad salutem paruulorum, & nulli nociuum: & ideò veniale: & idcircò non impediuit meritum pietatis, licet illi mendacio præmium nó debebatur. Secundò, cum S. Thoma loc. citato ad 2. Obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, & beneuolentia, ex qua processit mendacium. Vnde signanter dicitur Exod. 1. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos. Mendacium verò posteà sequens non fuit meritoriú. De hoc argumento latius in 22. quæst. 2. can. Si quælibet. Cum Ioan. Turrecre. ibid. Raab similiter propter pietatem in nuncios commé. datur, non propter mendacium officiosum, quo saluauit viros ad se declinantes, Iosue 2.

Ad alia exempla dico cum S. Thoma sol. ad 3. quod in Sacra Scriptura, vt Augustinus dicit,

dicit, in lib. de mendacio. cap. 5. inducuntur aliquorum gesta quasi exempla perfectæ virtutis, de quibus non est æstimandum eos fuisse mentitos. Si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videntur, intelligendum est ea figuraliter & propheticè dicta esse. Vnde Augustin. dicit, in lib. contra mendacium. Credendum est, illos homines, qui propheticis temporibus digni authoritate fuisse commemorantur, omnia quæ scripta sunt de illis, propheticè gessisse atq; dixisse. Abraham tamen, vt Augustin. ait, in quæst. super Genesin dicens, Saram esse suam sororem, veritatem voluit celari, & non mendacium dici. Soror enim dicitur: quia filia patris erat. Vnde & ipse Abraham dicit, Genes. 20. Verè soror mea est, filia patris mei, & non matris meæ filia: quia scilicet ex parte patris attinebat. Iacob verò mysticè dixit se esse Esau, primogenitum Isaac; quia videlicet primogenita illius de iure ei debebantur. Vsus autem est hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ, ad designandum mysteruim; quia videlicet minor populus, scilicet gentilium, substituendus erat in locum primogeniti. Iudith verò laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. Pro similium argumentorum & horum solutione legendi Alexand. Halens.

loc.dict. S.Bonauentu.in lib.3. sentent.d.38. quæst.2.Gabriel.ibid. q.vnica,arti.1. Turre. crema.cum text. 22. quæst.2. can. Vtilem.cap. Si quis per vetus testamentum,cap.Isautem, cap. Abraham. cap. Quæritur cur Patriarcha, & alijs.

Quod verò Plato & Xenophon magistratibus permiserunt, vt in administratione rei. publ.mendacia proferant, vt erga ægrotos & puerulos adhibẽtur,nihil probat,sed seipsum interimit: quia erga ægrotos & puerulos aut non vtimur mendacijs,aut si quid dicitur,ioco contingit,aut fingimus. At in iudicijs quando agitur de eruenda veritate, ex qua absolutio sequitur, vel damnatio pendet, res grauissima est,& magni præiudicij.

Quantum nunc ad secundam dubij partem spectat,An confessio à Iudice extorta promissione impunitatis,sit valida ad hoc,vt quis ex ea possit condemnari?

Negatiuam sententiam tenent Ioan. Immolen.cons.109.Hyppol.Marsil. ff.de quæst. L.1.§.quæstioni,& cons.14.nu.25.& in cons.32. nu.22. Decius in L.1. C.de sentent.quæ pro eo quod interest.nu.7. & in L.Ea est natura cauillationis.ff.de reg.iuris,in fin.Et alij,quos citat Couarr.lib.1.variar.Resolut.c.2.nu.16.Probatur hæc opinio. Iuramentum per dolum extortum non nocet iuranti. cap. Cùm contingat de iureiurando. & c. Quamuis.de pact.in

6.ergo

6.ergo eadem ratione non debet nocere confessio dolo extorta. Idem renunciatio illius, qui fraudulenter fuit inductus ad renunciandum, non valet.cap. Sanè. de renunciat. & confessio facta persuasione aduersarij potest reuocari, vt probat Marsil. in d.cons. 32. In contrarium, talem confessionem esse validam, & reum ex ea condemnari posse, tradunt Felin. in cap. Afferte. de præsumpt. Archidiaconus in c. vtilem 22.q.2. Cinus in L. præsenti. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. & alij. Ratio eorum est : quia cùm ista promissio perniciosa reipubl. sit, seruanda non est. Hanc quæstionem fusius tractant Couarr. lo. citat. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 55. vers. Circa secundum. Iacob. Menoch. lib. 2. de arbitrar. Iudi. casu 367. qui repetit omnia, & in ordinem digerit, quæ Couarr. trádit.

Conueniunt inprimis Doctores, & admonent, vt Iudices abstineant ab huiusmodi promissionibus, & ratio esse potest; quia promissio obligat de iure naturali: quare hosti etiam seruanda fides est. 23. quæst. 2. cap. Noli. & Gloss. in L. Conuentionum. ff. de pactis. si sit deliberata, voluntaria, de re possibili, aut notabili: & qui promissionem non seruat, frangit fidem. Si autem promittit Iudex impunitatem animo non se obligandi, grauiter peccat significando verbis animum, quem non habet: quod spectat ad mendacium pernitio-

sum, si sit de re notabili, tendente contra salutem corporalem vel spiritualem proximi, de qua re legendus Nauar. in Manuali cap. 18. num. 6.

Secundò, si reus spe promissionis frustratus in confessione perseueret, damnari poterit secundum communem sententiam.

Tertiò, si spe frustratus reuocet confessionem, & excipiat, non debet nec potest ex ea condemnari. Couar. loc. cit. & Menoch. & sic intelligendam primam sententiam tradit.

Quartò, quando reus sic confessus est crimen, & confessionem nec reuocauit, nec confirmauit, non pœna ordinaria, sed arbitraria puniendus esset, & mitiori. Couarr. & Clarus loc. cit. & Menoch. &, vt Clarus ait, si talis promissio fiat ab eo qui potest gratiam facere, seruanda esset: nisi circunstantiæ aggrauent: & id in aliquibus curijs practicari tradit.

Prima opinio validioribus nititur argumentis, quæ alij non soluunt, nec suam muniunt, quamus in praxi apud multos sit. Quod verò in oppositum adfertur, hanc Iudicis promissionem non esse seruandam, cùm tendat in perniciem reipub. cuius interest delicta puniri: verum est, vbi de delicto ordine iuris & recto modo constat, vt tradit Couarr. in loc. cit. prope finem.

Quæ-

Quartum Dubium. *An condemnati ad ignem, iuxta dispositionem legis, viui sint comburendi?*

Videtur quod sic: quia sententia videtur in illum effectum tendere, & quando ignis pœna à lege imponitur, in pœnam imponitur. Cadauer autem cùm careat sensibus, non est capax doloris & pœnæ. Ad hæc Iudices, qui exequuntur sententias, sunt ministri iustitiæ; ergo subduntur legibus, & debēt infligere pœnam à lege prescriptam: maximè qui agnoscūt superiorem. His non obstantibus, vsus obtinuit, vt priusquam igni tradantur, interficiantur compressis faucibus, siue strangulentur, ad euitandum periculum, ne lenta mors, ob magnos cruciatus, in blasphemias, aut desperationem reum trahat. Idcirco apud Christianos receptus est mos prius strangulandi, quā comburendi, nisi in aliquo casu, ob singulares circumstantias, criminis atrocitas aliud postulet. Si autem reus maneat pertinax in malo, & non conuertatur ad cor, nec pœniteat, viuus comburitur in crimine hæreseos, vt praxis Italiæ & Hispaniæ docet. Quod etiā in crimine maleficorum fieri debet: nam in impœnitenti nō est timenda desperatio; & ratio, vt viui non comburantur, est ne cadant in desperationē, vel aliud peccatum in maximo cruciatu. De

hoc dubio legendi sunt Couarruuias lib. 2. variarum Resolut. cap. 10. à num. 9. & Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. Criminalis. quæst. 99. versi. vnum tamen in hoc proposito notabis.

Quintum Dubium: *An maleficis pœnitentibus, nec non alijs damnatis ad mortem, petentibus Eucharistiæ sacramentum dandum?*

Respondeo, quod sic, si vera signa pœnitentiæ appareant, & ex dispositione deuotioneq; petãt: de furibus suspendendis est textus, 13. q. 2. cap. Quæsitum. de hæreticis. cap. Super eo. de hæret. in 6. de damnatis in genere, Gloss. recepta in Clementina 1. de pœnit. & remissionibus. Franciscus Cardinalis Zabarella ibid. quæst. 9. & 12. Turrecrem. in dict. cap. Quæsitum. Stephanus Aufrerius in tractatu dé potestate Ecclesiæ super laicis, num. 58. Iosep. Angles in florib. Theologicarum qq. 1. part. in 4. sent. in q. de Suscipientibus Eucharistiam. Iuli. Clarus lo. cit. sed quæro nunquid. Ange. in verb. Eucharistia 3. §. 27. Sylvest. ibid. num. 7. & ex professo Marti. Nauar. in Enchridio de oratione & horis canoncis, cap. 22. numer. 11. & Manuali confessariorum cap. 25. numero. 23. & hæc est communis sententia: quam in vrbe existens audiui in scholis confirmatam à Pio Quinto pijssimo Pontifice, in motu quodam

quodam proprio. Et nunc hũc morem pium sequuntur multi pij Magistratus, quamuis non vbiq; gentium obseruetur, & in Constitut. Criminal. Caroli V. artic. 79. statuitur vt Reo tempestiuè mors denuncietur, vt confiteri possit, & si petat Eucharistiam non ei denegetur. Hoc tamen obseruãdum est, vt propter sanctissimi sacramenti reuerentiam ipso die executionis non communicent, sed communio anticipetur. Si autem executio non pateretur moram ex rationalibus caussis, & damnatus ad mortem pro animæ consolatione cum fructu peteret sacramentum, contra nullam esset legem ipso die executionis communicare, modò communio executioni sententiæ, quatuor horis præmittatur, vt corrupta tanto temporis spacio sacramenti specie, nulla sacramento irreuerentia fiat. Atq; hæc consuetudo est in Vrbe Roma, digna maximorum Pontificum pietate & prudentia, quam orbis imitari deberet, vt rectè Nauarr. loco citato hortatur. Hac ratione motus ante decem annos non solùm dedi sacramentum, sed etiam quibusdam præfectis & iudicibus consilium super hoc petentibus consului dandum, & adhuc consulo. Sicut enim abusus, qui tendunt in animarum perditionem indies, sine mora extirpandi sunt: sic pij vsus, qui hominũ salutem & spiritualem consolationem promouent, introducendi. Confessariorum au-

tem est iudicium, an expediat Eucharistiam huiusmodi damnatis ministrare, vel non: pendet enim ex dispositione recipientium. Quidam enim ita sunt dispositi, vt multum ipsis prosit ad salutem animæ, si hoc salutari cibo confirmentur, ad subeundum mortis supplicium,& frangendum diaboli machinas in extremis.

Ex his deduco, quàm impium fuerit dictum,& pastore,qui sitientissimus esse debet salutis animarum, indignum, sacerdotis cuiusdam, qui damnatæ ad mortem pœnitenti personæ petenti viaticum respondit: Non est æquum sanctum dare canibus. Minimè canes sunt,sed oues,qui ad cor redeunt,& cum pœnitentia Dominum suum pro reconciliatione in cordis hospitium recipere desiderant. Hîc excludenda etiam occurrit praxis execranda quorundam ministrorum iustitiæ,vel potius in hoc casu iniustitiæ, qui damnatos ad mortem occidũt in corpore & anima,quando salutis remedijs ad conseruationem animæ essent muniendi: vt aduersus mortis timorem eos confirment, vino obruunt & rationem tollunt,ita vt miseri homines Dei & animarum obliti, moriantur in corpore & anima, sine fine nunquam ad vitam reducendi, cùm post mortem tam miseram nec spes veniæ,nec locus pœnitentiæ sit. Dictum etiam abusum damnat Carolus V. in d. artic. 79.

Caue-

Caueant ergo diligentissimè Iudices, vt hoc prohibeatur, ne ipsi fiant rei tanti facinoris, atq; etiam damnatis petentibus superfluus denegetur potus. Quomodo enim excusaretur ab homicidio, qui furioso aut amenti postulanti gladium ad interficiendum se, morem gereret? Ex dictis quoq; haberi potest solutio dubij, de quo semel interrogatus respondi affirmatiuè, prout etiam nunc respondeo; An pro personis maleficis, vel alijs mortis supplicio affectis pro sceleribus, possit quis orare, sacrificium offerre, vel alia satisfactionis opera exercere? Respondetur, quod sic; si pœnitentes discesserint, possunt hęc bona pro eis fieri. ex d. c. Quæsitum, Gloss. ibidem. Angel. loc. cit. Aurea Armilla in verb. Communio, num. 27. In cuius rei confirmationem faciunt multa, quæ adfert Petrus Rauennas in quodam tractatu incipiente, Valete cum perpetuo silentio ad Clarissimum Theologię Professorem Iacobum de alta platea, &c. Cuius scopus est probare, corpora suspensorum & latronum non esse in locis publicis relinquenda, sed sepulturę tradenda. Habetur hic Tractatus in fine Alphabeti aurei vtriusque iuris eiusdem authoris : his tamen non obstantibus dico, quod non deceat, vt pro talibus solemnes fiant exequiæ, prout pro alijs Christianis, qui cum honore vitam finiuerunt, fieri consueuit. Piè autem faciunt

ami-

amici & sanguine iuncti, qui priuatim pro eis orant, sacrificia offerunt, vel curant offerre, & satisfactoria opera exercent.

Sextum Dubium. *An sonitus campanarum, maleficorum, sagarum, dæmonũq; conatus impediat, ne grandine, tempestatibus, ac alijs modis frugibus, seminibus, & vineis nocumentum inferant, vt vtriusq; sexus homines huius sectæ fatentur, & vnde talis virtus sit?*

DE antiquitate, nec non laudabili ac necessario campanarum in Ecclesia vsu, legendi sunt Anthonius Monchiacenus, Dæmochares in lib de obseruanda Missarum celebratione cap. 13. Guilhelmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum, libro 1. cap. 4. Petrus Messia in Sylua variæ lectionis parte 2. cap. 9. Ioannes Andreas & Hostiens. in cap. 1. de offic. custodis. Authorem campanarum Vergilius Polydorus lib. 3. de inuentor. rerum, cap. vltimo, vult latere, licet inuentum non sit nouum, cùm vsus earum fuerit tempore Moysis, teste Iosepho lib. 3. Antiquitatum. Apud Christianos quidam tradunt primum institutorem fuisse Paulinum Nolanum Episcopum, virum sanctitate & eruditione clarum; in cuius rei confirmationem maximè ipsa nominis notatio facit.

Dici-

Dicitur enim campana à Campaniæ regione, vt atteſtantur Ioan. Andr. & Durandus, & minora vaſa nolæ à ciuitate Nolana quæ eſt in Campania. Vtimur campanis ad laudandum Deum, congregandum Clerum in Eccleſia, vocandum populum ad diuina, concitãdum deuotionem in populo, ad fugandas tempeſtates, & exterrendos hoſtes. Dum campanæ ſonantur, pelluntur inſidiæ inimici, fragor grandinum, impetus tempeſtatum, percuſſio fulminum, & infeſta tonitrua temperantur. Saluberrimum campanarum apud Chriſtianos vſum, tubæ argenteæ in veteri teſtamento ſignificabant, in quarum locum in noſtra Eccleſia campanæ ſucceſſerunt. Vtebantur enim tubis argenteis tempore Moyſis, Num. 10. ad collectionem populi, & in ſacrificijs, dum hoſtias offerrent, vt memoria eorum eſſet coram Domino Deo, & cùm ad bellum exirent, clangebant vlulantibus tubis, & ſic memor eorum Dominus eruebat de manibus inimicorum. Hinc etiam feſta peculiaria clangorem tubarum habebant, quibus, præ cæteris clangoribus tubarum inſiſtebant, ad præparandum populum, ad laudandum Deum, & reuocandum in memoriam beneficia & munera diuina: tantumq; Domino Deo clangor tubarum placebat, vt mediante earum ſonitu, antè arcam fœderis muros Iericho, quibus cingebatur, aduerſantium exercitus cadere fecerit.

Ioſeph. lib. 3. Antiq. cap. 15.

Num. 29. Leuit. 23. Sophon. 1.

Mi-

Mirum ergo nemini videatur, quod mirabiles etiam sint effectus campanarum, quæ sine dubio Spiritus Sancti inspiratione inductæ sunt. Efficit autem benedictio, vt quod arte & metalli natura fieri non potest, per verbum & orationem sanctificatum mirabiliter operetur, ex diuina dispositione. Neque velim vt quis hîc moueat, quod Caluinus, Brentius, alijque eius farinæ calumniantur, nos campanas baptizare: hoc enim apud doctos inauditum est, licet rudes ex plebe sic communiter loquantur. Benedicuntur enim campanæ, iuxta ritum in Pontificali præscriptum; verùm de Baptismo ne verbo quidem fit mentio, vt rectissimè Cardinal. Hosius lib. 5. in confutatione prolegomenon Brentij asserit. Quantam virtutem benedictiones in huiusmodi creaturis obtineant, qui voluerit, videat Thomam VValdensem in lib. de sacramentalibus, à cap. 166. His accedit quod dum campanæ pulsantur, fidelium mentes in Deum mouentur, eius auxilium contra inimicorum insultus implorant, Guilhelm. Parisiensis in lib. de legibus, fol. 44. colum. 1. asserit rectè, quod campanæ fortiantur virtutem arcendi fulgura, tempestates & similia ex sua consecratione. Quæ tamen non fiunt nisi virtute creatoris, à quo petitur, vt arceat fulgura, tonitrua, & cætera. Sicut enim regale signum & sigillum deferentes securos efficit eos, ne iactu-

Campanas non baptizari, sed benedici.

iacturam & nocumentum patiantur à subditis regis, & hoc non sua virtute, sed potestate regia & voluntate: Sic Campana non ex virtute aliqua, quæ ei insit, sed omnipotentis potestate & voluntate protegit & defendit loca, in quibus eius sonus auditur, ab aduersitatibus & incommodis aëreis. Qua de causa maleficorum conatus infringitur, & Dæmonis cooperatio impeditur ad pulsum campanæ, quando sonus auditur ab eis, vt eorum confessionibus didicimus, & ideo campanas pulsantes vocant communiter in sua schola, canes latrantes. Sylua variæ lectionis, & nonnulli alij caussam etiam naturalem reddunt, quare sonitu campanarum tempestates sedentur, & temperentur. Motus enim pulsationis aërem rariorem facit, & densitatem materiæ dispergit: vnde sequitur dissolutio & moderatio meteorologicorum, quæ in regione aëris ex concretione materiæ elementaris generantur. Dæmones autem naturalium rerum mutationibus suas operationes admiscent, atque effectus naturalium caussarum subtilitate operationis, & peruersitate voluntatis, DEO permittente, in interitum rerum ad humanam salutem productarum, dirigunt. Ex his, vt ad propositum reuertar, patet veram esse confessionem maleficorum & sagarum, qua asserunt campanarum sonitum, eorum conatus frequenter impedire, ne valeant pessima consilia

silia in conciliabulis proposita, In effectum deducere: Atq; hoc argumentum plurimùm confirmat fideles in fide, dum cognoscunt diabolum cum sua cohorte, instituta pro fidei nostræ promotione abhorrere: corroborat etiam Catholicorum animos, vt quod iuxta maiorem suorum antiquissimam traditionem hucusque magno fructu fecerunt, cum maiori feruore facere continuent.

Hîc ad maiorem prædictorum illustrationem duo sensibilia exempla adderevtile visum est. Vnum narat Paulus Grillandus lib. 2. de Sortilegijs q. 7. num. 30. quod contigit Anno Domini 1524. mense Decemb. dum ipse esset in quodam castro monasterij S. Pauli, Romæ, in regione Sabinensi, ad instantiam Abbatis, dicti monasterij, vbi examinauit maleficas incarceratas, ex quibus vna fuit, quæ cum deferretur à Dæmone suo, reuertendo à ludis in itinere, antequam peruenirent domum, dum esset vicina oppido patriæ suæ, audiuit pulsare campanam manè pro Aue Maria, sic Dæmon debuit eam deponere & discedere, quam deposuit statim iuxta ripam quandam, vbi erant spineta quædam, diluculo iuuenis quidam oppidi illius iturus pro negotijs in alium locum vicinum, visus est ab ea & cognitus, quem ipsa saga proprio nomine vocauit. Quam audiens iuuenis prima facie timuit aliquantulum, sed videns postea mulierem ipsam, quæ semi-

nuda

nuda erat, & crinibus sparsis de capite pendentibus, magis obstupuit, nec audebat ipsam accedere. Nihilominus cùm ipsa benignè rogaret, vt accederet, accessit, cumque eam cognosceret, interrogauit, cur ibi sola moraretur in ea forma. Cui illa dixit, quod tota illa nocte asellum suum, quem perdiderat, perquisiuerat, & non potuit inuenire. Cui iuuenis subridens, minusq; credens dixit. Hoc enim aliud sibi quærit, quàm asselli inquisitio. Qui quærit asellum, vadit cum socio, & non seminuda & scapillata. Aliud est quod quærebas, dixit ipse: dicas mihi veritatem, si vis quod te adiuuem. Vnde venis? vbi fuisti? quid facis hîc sola? quis te adduxit? dicas mihi omnia, si vis habere suffragium, & ero tibi securus & fidus. Tunc mulier satis pinguis & pulchra, cui nomen Lucretia, licet satis timeret sæuitiam viri & suorum consanguineorum, tamen confisa de iuuenis fide, ipsum prius rogauit summis precibus, ne cuiquam reuelaret factum, sed taceret, quod vellet ei pinguia munera dare. Sic iuuenis promisit, quod fidem seruare vellet. Tunc ipsa fassa est, quod ea nocte fuisset in ludis Beneuentanis, & dum esset in itinere, deterreturq; per aërem à magisterulo suo, audita pulsatione Campanæ pro Aue Maria, ipsam deposuerit in eodem loco, vbi sola & semi-nuda inueniebatur. Tunc iuuenis accessit ipsam, & iuuit vt se vestiret & accommodaret

omniá, & illam domum reduxit, nemine aduertente factum. Pro laboribus iuueni donauit par caligarum, biretum, camisiam, & partes casei, rogando iterum atque iterum, ne factum reuelaret, quod & promisit. Tacuit per aliquot menses: deinde nescitur quo spiritu, aut indignatione, aut lapsu iuuentutis ductus rem ipsam secreto modo nunc cum vno, deinde cum altero propalauit, adeo quod paulatim res deuenit ad notitiam curiæ. Vnde mulier ipsa capta, & cum alijs incarcerata fuit, & iuuenis ille vt testis omnia hæc medio iuramento depositi, ita & ipsa post multa, quum facinus suum diutius tergiuersare non potuit, confessa est, & cum alijs vitam flammis finiuit. Alterum exemplum recentissimum est. Quidam Ioannes ex pago Salmenroer, sub Iurisdictione Reuerendissimi Domini nostri Archiepiscopi Treuirensis, Palatioli extremam mortis accepit sententiam, Anno Domini 1586. Iouis post Cinerum. Hic confessus etiam est præter alia, quod cùm semel die Iouis in nocte in Hetzenroderheydt/ cursui & congregationi interfuisset, & cursu perfecto concluderentur varia mala ab ipsis perpetranda, ita vt negotium præter expectationē protraheretur, dies appropinquauit, & operæ tenebrarum pellebantur, & cùm dictus Ioannes esset in reditu, campana pro Aue Maria pulsata est, & sic in suo prato cecidit statim in terram.

ram. In quo loco iam erat sua propria ancilla & famula, & herbas fœnumque colligebat ad pascendum vaccas. Quod cùm famula vidisset, mirum in modum perterrita, dixit. Auuncule, vnde huc venis? Cui respondendo iniunxit silentium. Caussam sui casus reiecit in pulsationem campanæ, qua audita hircus ipsum in terram deiecerat. Hoc factum non solùm ex processu negotij per notarium subscripto, sed etiam ex relatione nobilis ac validi Domini Ioannis Zanth, vicedomini huius Ciuitatis, in veritate contigisse cognoui, qui vtpote Officiatus Reuerendiss. nostri Archiepisc. in præfectura Palatioli, plenam inquisitionem accepit super veritate.

Deueniendum nunc ad solutionem argumentorum.

SOLVTIO ARGVMENTORVM.

PRIMVM Argumentum, *ex cap. Episcopi, 26. quæstion. 5. in quo hæc verba habentur. Illud etiam non est omittendum, quod quædam scelerata mulieres retrò post Sathanam conuersæ, Dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur cum Diana nocturnis horis, Dea paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, &*

multarum terrarum ſpacia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, eiuſq; iuſsionibus obedire, velut Dominæ, & certis noctibus ad eius ſeruitium euocari: Sed vtinam hæ ſolæ in perfidia ſua periſſent. Nam & innumera multitudo hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, & credendo à recta fide deuiant, & errore paganorum inuoluuntur, cùm aliquid diuinitatis aut numinis extra vnum Deum arbitrantur. hæc ibidem.

Reſpondetur in primis, in hoc capite non damnari ſectam maleficorum, ſed aliam longè diuerſam, vt patet intuenti textum, vt latè oſtendunt Bartholom. Spineus in quæſtio. de Strigibus cap. 25. Alfonſ. à Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticor. punit. cap. 16. Nicolaus Iaquerius hæreticæ prauitatis Inquiſitor, in flagello hæreticorum faſcinariorum cap. 7. Syluester in verbo, Hæreſis 3. Paulus Grillandus Iuriſconſultus, Romæ cauſſarum Criminalium Auditor, in Tractat. de Sortilegijs, quæſt. 7. Pro hac ſententia citat Syluester Auguſtinum Bottam de Sauiliano, & Ioannem Graſſum Doctores Iuris, in quibuſdam conſilijs & reſponſis. Differunt autem mulieres, d. cap. Epiſc. à maleficis & ſagis. 1. Quantum ad credulitatem, quia dictæ in c. Epiſc. credebant, quod equitarent cum Diana Dea paganorum & Herodiade. Sagę autem noſtræ & malefici rectè credũt, quod cum Dęmone magiſterulo ſuo proficiſcantur. 2. Illæ in ca. Epiſc. putabant aliquid numinis & diuinitatis eſſe, præter Deum: Noſtri

ſtri malefici & ſagę non laborant hac ignorantia: Quare ratio legis non competit eis. Ergo nec etiam lex eos compræhendit, quia lex ſuã interpretationem ſortitur à ratione, quando expreſſa in lege reperitur, & ratio magis attendenda, quàm dictum Legis. L. Adigere. §. Quamuis. ff. de iure patronat. L. Cùm Pater. §. Dulciſſimis. ff. de legat. 2. L. Milites prohibentur. & L. Milites agrum. ff. de re militari. Bartol. in L. omnes populi. in 7. q. principali. ff. de iuſtit. & iure. & in L. 1. C. Quæ ſit longa conſuetudo. Quare cui non conuenit ratio legis, non conuenit ipſa lex, vt probat d. q. 7. Grilland. 3. Differunt: Noſtri malefici & Sagæ expreſsè abrenunciant Deo, & profeſſioni in Baptiſmate factæ, & promittunt qd̃ Diabolo velint adhærere. Sed illis in cap. Epiſcopi hoc non attribuitur. 4. Noſtri conficiunt ſortilegia, & vnguenta venefica, nec nõ etiam conſpirant cum Sathana in perniciem humani generis, de his nihil in c. Epiſc. 5. Noſtri Dæmoni reuerentiam faciunt, idololatriã exercent, homines & præſertim infantes ſæpè necant, ſed illæ non in cap. Epiſcopi. 6. Noſtri abutuntur Euchariſtiæ ſacramento, & filium hominis conculcant, de qua re etiam nihil in cap. Epiſcopi. 7. Noſtri cooperante Dæmone grandines, nebulas & ſimilia efficiunt, ad deſtructionem fructuum naſcentium: quod non ſcribitur de illis in cap. Epiſ-

copi. Aliæ differentiæ penitius consideranti non deerunt.

Deinde in illo capite aliqua continentur, quæ non sunt vera, sed à fide aliena, & ideò in illo cap. damnantur tanquam contra fidem, nempè quod equitarent cum Diana, vel cum Herodiade Philippi vxore: quia Diana Dea paganorum nulla est, neq; in hoc mundo, neque alibi. Herodias autem est in inferno, neque mulier, sed sola anima. Falsum quoque est, quod equitarent superveros equos, aut bestias; quia bestiæ in tam breui tempore realiter & corporaliter, tanta terrarum spacia, in tanto silentio, transcurrere non possunt. Hinc quod in bestias nulla creatura verè transformari valeat, prosequitur textus. Hanc solutionem maximè persuadet ratio textus, quia eiusmodi mulieres, inquit, aliquid diuinitatis & numinis extra vnum Deum arbitrantur. Sic Turrecremata commentator in d.c. Franciscus Victoria in Relectione de arte magica, num. 31. Alfonsus à Castro loc. cit. Bernard. Basinus in Tract. de artibus magicis, nona propositione. Ioseph. Angles in floribus, in 2. sentent. 1. part. in quæst. de arte magica, diffic. 5. Lambertus Danæus in Dialogo de sortiarijs, & alij Doctores pro prima responsione citati. Non ergo intendebat d. caput delationem corporalem reijcere & improbare, sed ea, quæ fidei erant contraria. Postremò Gratianus, vt

notum

notum est versato in decretis, ea collegit ex Concilijs tam generalibus, quàm prouincialibus, tum etiam alijs Doctoribus. Vnde tantum veritatis habent, quantum in proprijs locis. Concilium autem illud Anquiranum, vel vt alij vocant, Anciranum, fuit prouinciale, vt rectè tradit Reuerendissimus & Illustrissimus Dominus Bartholomeus Caranza, Archiepiscopus Toletanus in summa Cõciliorum, fol. 26. pagina 2. in Antuerpien. editione. Quare non esset tantæ authoritatis, vt ei adhærendum sit, si in aliquo contra sacras literas, Doctorum Theologorum communem sententiam, & veritatem definiret: quod tamẽ non dicimus, cùm non definiat aliquid, quod contrariæ parti faueat, vt patet ex dictis. Mirandum ergo est, quomodo Iurisperitorum conscientia ita constringatur authoritate huius Capituli cùm Theologi & alij, penes quos est Censura, ea quæ fidei sunt discernere, nullam in hac re inueniant difficultatem? Nonne omnes Doctores, quorum est de sensu Scripturarum iudicare, delationem corporalem comprobant & credunt? Sic Pontifices, Cardinales, Doctores, Theologi, Itali, Hispani, & Germani sentiũt: Sic Iurisperiti rectè sentientes, vt patet ex eorum scriptis, quorum nomina hìc, & in 12. Conclusione primi membri quæstionis posuimus. Tantæ autem testium nubi proprium iudicium, quod fragili &

apparenti ratione ducitur, præferre, summæ temeritatis est. Accedit ad testimonium experientia certissima, quam communis vox populi confirmat; atq; hîc certè dicere possumus vox populi, vox Dei: cùm omnis veritas à Deo sit.

Postremò illud adductum in cap. Episc. in Concilio Ancyrano Græco, aut Latino, neque impresso, neq; manuscripto est inuêtum: licet qui tomos Conciliorum ediderunt, isse. rant haberi in quodam vetusto codice 16. librorum partialium. Fragmentum verò habetur ferè apud D. Augustinum in lib. de spiritu & anima, c. 28. vt annotatum est ad cap. Episc. 26. quæst. 5. in Decreto correcto, & Romæ edito.

Secundum argumentum. Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis. 2. Cor. 11. & in d. cap. Episcopi. ergo potest diabolus in congregatione repræsentare personam innocentem: & sic innocens patietur, si detur fides maleficis in denunciationibus, ex deceptione dæmonis, & errore maleficorum: & confirmatur hoc argumentum ex historia S. Germani Episcopi, quæ habetur in aurea legenda, & in summario historiali S. Antonini 2. part. tit. 11. cap. 17. §. 5. Vbi legitur, quod S. Germanus in quodam loco, cùm post cœnam iterum pararetur mensa, admiratus interrogauit, cui denuò pararetur? Cui cùm diceretur, quod bo-

Historia de S. Germano.

nis

nisillis mulieribus,quæ de nocte incedunt:illa nocte S. Germanus statuit vigilare, & ecce vidit multitudinem Dæmonum ad mensam in forma hominum venientem,qui eis præcepit,ne abirent : & cunctos de familia domus excitauit: quæsiuit si illas personas cognoscerent?qui responderunt omnes vicinos & vicinas suas esse. Tunc S. Germanus ad domos singulorum de vicinia illa misit,dęmonibus mãdans interim ne discederent. Euntes autem missi à sancto viro ad domos vicinorum, repererant eos in lectis suis dormientes. Adiurati ergo Dæmones à sancto viro dixerunt, omnibus audientibus,se Dęmones esse,qui sic hominibus illuderent.

An dæmon innocentes in nocturnis conuentibus repræsentare possit.

Pro resolutione huius argumenti reuocanda in memoriam sunt ea, quæ diximus in præludijs tertio & quarto: Diabolum non posse operari, nisi ex permissione diuina, & tantum saltem,& non plus,quantum conceditur à Deo:Quare caussa huiusmodi transfigurationis & præsentationis diaboli, non solùm petenda est ex peruersa voluntate & potestate diaboli, sed etiam ex concessione diuina singulari in ordine ad talem effectum. Multa enim potest diabolus ex suæ naturæ potentia & subtilitate,quãtum ad actum primum,quæ non potest quantum ad secundum:Manus enim eius ligatæ sunt, vt non possit operari, quando & quantum vult. atq; cùm similia rei

multum lucis adferant, in simili id ostendam. Quantum ad actum primum, posset diabolus omnes nos occidere & subuertere; & quãtum ad voluntatem, vellet: cùm semper circumeat & quærat quem deuoret, omniumque interitum appetat. Quoad operationẽ & effectum, deficit: quia Deus non concedit. Quare non valet hoc argumentum, in quo aliqui Theologiæ & Philosophiæ ignari multum gloriantur: diabolus potest se trãsfigurare in angelum lucis, ad repræsentandum innocentem. Negatur enim simpliciter, vt sonat: quia non potest quantum ad actum secundum, cùm caussa totalis non sit diaboli potestas & peruersa voluntas, sed etiam antequam diaboli potestas exeat in actum, requiratur singularis diuina concessio. Sumitur ergo in argumento caussa partialis, & non totalis: & sic non valet. Hoc autem modo ad propositum argumentum formari deberet. Diabolus potest se transfigurare in angelum lucis, ad repræsentandum innocentem: & Deus concedit ei potestatem faciendi. Ergo, &c. Et tunc negatur antecedens, tanquam falsum in proposito, vt latius patebit. Est enim hoc contra diuinam prouidentiam ordinariam, quæ ex diuinis literis innotescit, & effectibus declaratur. Sicut enim diuina misericordia efficiente non potest diabolus (vt rectè Bartholom. Spineus in quæst. de Strygibus, cap. 14. & in Apologia

gia tertia cap. 3. ait) deludere nisi eos, quorum mẽtem primò sibi per infidelitatem subiugauerit: Ita credendum est nullius illum personæ figuram, vt de tanto crimine accusetur, posse prætendere, nisi eius, quam sibi iam per similia crimina deuinctam esse sciuerit, & multoties realiter cum alijs ad ea perpetranda conuenerit. Quod etiam testantur in confessionibus malefici, & sagę, vt Iudices referũt. Atq; vt hanc prouidentiam Dei erga nos latius ostendamus, reducenda est in memoriam cõmunis Theologorum vera doctrina, quæ ex diuinis literis clarè elicitur, non esse permissam diabolo tantam potestatem super iustos, sicut impios & malos. Gaudent enim iusti, vt. pote amici & filij Dei, multis priuilegijs, quibus pessimi & malefici, maximè ob criminis immanitatem, tanquam inimici & hostes tam diuinæ maiestatis, quàm communis salutis, iuste dispositione priuantur. Hoc enim diuinæ legis stabiliunt promissiones. Vt in Psal. Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum: & iterum: Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniã non derelinques quærẽtes te Dñe: & iterũ: Clamauerunt ad me iusti, & ego exaudiam eos. Item: Qui sperat in Dño, nõ confundetur. & 2. Pet. 2. Nouit Dñs pios de tentatione eripere. & Paul: Fidelis Deus, (scilicet in promissis) qui non patitur vos tentari supra id, quod

Quare diabolus solos impios in comunitibus maleficorũ repræsẽtes

Psalm. 90.

pote-

potestis: sed dabit cum tẽtatione prouentum. Exempla ad hunc effectum etiam non desunt. Susannam iniustè infamatam, à senibus accusatam, & morti adiudicatam Dominus liberauit, & innocentem ostendit. Athanasius vir sanctissimus, in Arrianorum concilio apud Tyrum coacto, ex inuidia stupri accusabatur: & iusto Dei iudicio consilium suggestum est, quo liberatus fuit. Introductus enim in iudicium est Athanasius, & vnà cũ eo Timotheus presbyter, qui simulans se esse Athanasium: Egóne, inquit, mulier, apud te fum diuersatus? ego te violaui? Cui illa petulanter: Tu mihi vim intulisti; iureiurando affirmans Iudicum fidem obtestabatur, vt tantum flagitium vindicarent. Qua cognita fraude, reiecta est mulieris impudentia. Iterum alia vice idem sanctus maleficij accusatus fuit, quod ad vsum magicæ artis manum mortuam Arsenio amputatam adhibuisset. At Arsenius noctu aufugiens, cùm se in conspectu totius Concilij statuisset, Athanasij inimicorum impudentissimum scelus aperuit. Et in S. Hieron. legenda refertur, quod Diabolus se transformauit in in formam S. Syluani Episcopi in Nazareth, amici S. Hieronymi: qui Dæmon in lecto fœminam nobilem primò quidem verbis prouocare cœpit ad luxuriam, deinde etiam factis sollicitauit ad malum, quæ cùm clamaret, Dæmon sub specie S. Episcopi sub lecto fęminæ se

Susanna senum calumnijs eripitur, & Athanasius Arrianorum.

Syluanus Episcopus, etiam diaboli calumnias tãdem euadit.

næ se abscondit; vbi requisitus & inuentus per luxuriosa verba mentitus est se esse Episcopum Syluanum. Postridie ergò vir sanctus disparente diabolo, grauissimè diffamatus est, quæ infamia tandem apud sepulchrũ S. Hieronymi, fatente Diabolo in obsesso corpore, purgata est. Maximum ad nostrum propositum testimonium præbet S. Cyprianus, quod & nostri malefici & sagę in suis confessionibus vt intelligo, confirmant. Hic sanctus cùm adhuc Magus esset, Iustinæ Christianæ Virginis amore incensus, incantationibus & veneficijs Antiochiæ illam ad suæ libidinis assensum allicere conabatur, & Dæmonem consultabat, quanam id re consequi posset. Cui Dæmon: nullam sibi artem processuram aduersus eos, qui verè Christum colerent. Quo responso commotus Cyprianus, relictis magicis artibus se totum ad Christi Domini fidem conuertit. Si hoc argumentum tam validum est apud Magicæ artis patronos, quod diabolus sitientissimus damnationis & humanæ perditionis potest se transfigurare in angelum lucis, ad infamandum innocentes: quomodo non habent lynceos, sed clausos oculos, vt videant argumentum non solum militare in crimine maleficij, sed in alijs omnibus? Quod si concesserint: furibus, latronibus, coniuratoribus, adulteris, & similibus singulare præstiterint patrocinium, & iustitiæ salutiq; reipubl.

Cyprianus martyr è mago fit Christianus.

Veris Christi cultoribus artes magicæ nihil obsunt.

maxi-

maximum detrimentum. Si enim diabolus, secundum eos, potest repræsentare innocentes in cursu & conuentu maleficorum: quomodo non potest repræsentare innocentem in forma homicidæ, adulteri, vel fornicatoris, vt etiam ex exemplo S. Siluani constat, quũ omnium innocentum maximè interitum exoptet? Accusatur ergo quis homicidij, latrocinij, adulterij, vel alterius criminis: sint duo vel tres testes: excipiat negando factum, & respondendo, diabolum se transformasse in suam formam, & facinus perpetrasse, cùm etiam se possit transfigurare in Angelum lucis, multò magis in formam hominis: maximè cùm nihil magis desideret, quàm interitum animarum: Negare autem, quod Diabolus in forma humana occidere, furari, scortari & similia perpetrare valeat, si à Deo permitteretur, veritatẽ est impugnare. Huius argumenti nodum soluere non poterunt, qui ita vrgente conscientia, vel non rarò excæcantibus affectionibus laborant. Ad diuinam oportet recurant prouidentiam, quam etiam in nostra materia allegamus. Sed vt hoc magis magisq; veritatem habere ostendamus, in simili pergendum est. Diabolus, ex omnium Theologorum & etiam Iurisperitorum rectè sentientium iudicio, potest corpora deferre de loco ad locum: ergo potest eos eripere è manibus iustitiæ, & custodia publicæ potestatis: quod quidem

Quare diabolus maleficos & magos à potestate magistratus nõ eripiat.

quidem non rarò ad decipiendum promittit, sed tamen non præstat. Quæritur nunc, quare hoc nó facit? impediúntne carceres, clausuræ, aut alia corporalia impedimenta & vincula? At hoc dicere cogitareq; stultum & ridiculum est; cùm tanta eius potestas sit, vt nulla super terram ei possit comparari. Potest subuertere ciuitatem: quanto magis soluere & rumpere clausuram? Confugiendum ad diuinam prouidentiam, ne iustitia è medio tollatur, & impiorum audacia crescat. Sed negabit obstinatus. Probandum erit ex factis: quia experientia cóspicimus, quod pro suo beneplacito magiæ Rei, non possunt aufugere, nec rapi à Dæmone extra muros clausuræ vel carceris. Regulare autem est, quod diuina voluntas non solùm nobis innotescat per Sacras literas, promissiones, comminationes, permissiones & prohibitiones; sed etiam effectus. Diabolus est potens ad liberandum eos, & optaret, ad conseruandum in perpetuam damnationem: Sed non potest illud efficere siue re ipsa præstare: quia potentissimus Deus manus eius ligat, vt non operetur. Sic in præsenti cognoscitur diuina prouidẽtia erga innocentes, ex sacris literis, & factis, quamuis etiam ipsi maleficí veritatem attestentur. Quod enim nunquam factum est, neq; fit secũdum communẽ rerum cursum: nequaquam fieri posse, si ex facti contingentia, incommoda sequantur, iudi-

can-

candum est. Sed nunquam aut rarissimè auditum est, ex constantibus & perseuerantibus confessionibus, quod innocentes repræsentati sint in talibus conuentibus, imò semper experientia compertum ibi repræsentatos eos, qui fuerunt rei tanti criminis. Si tamen de extraordinaria Dei potentia loqui velimus, negandum non est, Deum posse permittere, vt innocens accusetur in hoc crimine, sicut in alijs ad bonum aliquem finem: Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Tandem tamen innocentia manifestabitur, vt suprà sacris literis & exemplis declaratum est. Cùm etiam diabolo fallaci perspectum sit ex sacris literis, Deum non permittere, vt electi tribulentur aut tententur, nisi ad meritũ, probationem & bonum; non appetit talem repręsentationem iustorum. Hæc etiam doctrina maximum robur sumit ex conscientijs innocentum. Quis enim innocens angitur aut timorem concipit, ne à Dæmone inter maleficos & sagas repræsentetur? Aliàs si hoc posset Diabolus, semper omnes meritò in timore & tremore versaremur, ne in fabulam & tragœdiam, in qua salus animæ & corporis periculo exponeretur, traheremur. At securæ conscientiæ nullo modo sibi metuunt, sed stant in magna constantia, etiamsi quandoq; ab iniustis angustientur.

Deus extra ordinẽ potest permittere, vt innocens à dæmone repræsẽtetur in nocturnis maleficorum conuentibus.

Atq; hanc sententiam & veram doctrinam, quod

quod Diabolus non possit in conuentu repręsentare innocentem, præterquam quod nostri malefici testimonium perhibeant, tenẽt DD. Mallei malef. 2. par. q. 1. c. 11. pag. 331. in impressione Francofordiensi de anno Dñi 1582. Nicolaus Iaquerius Gallus Inquisitor, in flagello hæreticorum fascinariorum, statim in proœmio, & in cap. 26. Barthol. Spineus S. Palatij Apostolici Magister, in q. de strigibus, cap. 14. & in Apologia 3. cap. 3. Petrus Loyerius consiliarius Senatus Andegauensis lib. 2. de spectris, ca. 5. & vocat Theologorum sententiam. Neq; in hac Grilland. Bodin. & alij dubitarũt, qui tradunt complicibus in hoc crimine credẽdum.

Obiectio ex historia S. Germani refutatur.

Ad illa autem, quæ adferuntur in confirmationem ex historia S. Germani, respondetur primò; concedẽdo historiam illam S. Germani ad literam, si rectè inspiciatur, nihil facit contra hanc doctrinam, imò eam confirmat. Dæmones illi repræsentabant personas adhuc in lectis dormientes ex pacto, quod cum Dæmonibus habebant. Non propterea illæ personæ erant innocentes. Sicut etiam in materia præsenti doctores sentiunt, maleficos non personaliter semper interesse, sed aliquando repræsentatiuè: talis tamen repræsentatio fit accedente eorum consensu expresso, vel tacito. Hæc solutio clara & breuis, ex historia corroboratur. Homines enim in hospitio sciebant eos solitos venire, & dicebant esse vicinos &

vicinas, qui mensæ accumbere solebant. Non est autem absurdum, quod pro illo tempore & actu patiebantur illusionem. Certum enim est, si secundum hominum morale iudicium loqui velimus, quod hospes non volebat mensam statutis temporibus gratis præparare. Hospites aduentantibus porrigunt cibos & poti pro pecunijs. Præsumendum ergo est, quod vicini solebant soluere, & veras pecunias offerre. Diabolus non veros, sed apparentes nummos suis dat, qui cito euanescunt, & humano vsui non inseruiunt.

Deinde respondet Barthol. Spineus in q. de Strigibus, cap. 28. quod illa historia sit suspecta, quantum ad hoc punctum, eò quod durum videatur, & à communi hominum sensu alienum, hospitem illum voluisse tot cibaria crebrò gratis præparare, & si vicini erant & cognati, non petere ab eis pretium alimentorum. Dicere autem, vicinos dedisse pretium, si deludebantur, & se saturatos non inueniebant, ridiculum est. Et si dicatur, quod dæmones ipsi pretium exoluebant vice illarum personarum, mirum est si talia se facere somniabant personæ illæ, & non cito delusionem aduertebant, si pecuniæ non realiter deficiebant? Si vero talia non somniabant se facere, mirum non minus est, si cum hospite & familia de hi- sæpius illi vicini sermonem non habuerint, & sic tam ab hospita quàm eius familia audientes illa

illa de se referri, quæ scirent sibi contigisse, facilè tam se quam hospitem illũ & alios omnes ab huiusmodi delusionibus non liberauerint.

Postremò, concesso quod vera sit historia; fuerint etiam omnes viri illi ac mulieres, qui repræsentabantur, immunes à veneficij crimine: nihilominus inde non solùm non refellitur doctrina communis, sed etiam validè roboratur: ostenditur enim ex illa narratione, eam esse Dei in suos prouidentiam, & curam paternam, vt si quando permiserit innocentẽ repræsentari per dæmonem, ne in periculum veniat, clarissimè se innocentiam manifestaturum. Quocirca quibus à Deo gladius datus est ad vindictam malorum, in bonum autem innocentium, nisi grauissimam Dei in se velint prouocare iram, & fieri rei tot cædium & calamitatum, perfidiæ ac sacrilegiorum, quæ ex mora executionis iustitiæ sequuntur: procedant contra eos, qui in conuentibus à maleficis visi sunt, donec aliquis Germanus suscitetur, qui innocentiam clarè manifestet denunciatorum & humanitus delatorum.

Tertium argumentum esse potest, quod obscurè insinuat Ponzinibius, licet non deducat. Testes de nocte non vident: ergo non possunt ferre testimonium illi noctiuagi contra socios: quia testes debent cognoscere partes, vt tradit Bartol. in L. Minorem. C. de transactio. Antecedens probatur ex l. Si non speciali.

C. de testament. & in L. fin. cum exceptione. ff. Quod metus causſa. Cùm ergò maleficinocte ſua conuenticula habeant & maleficia exercent, decipiuntur: & ſic eis non eſt habenda fides. Hoc non obſtante argumẽto reſpondetur, teſtes de re nocte patrata teſtimonium ferre poſſe, & fidem mereri, ſi dicant lunam, aut aliſquod lumen illuxiſſe, aut delinquentem admodum fuiſſe propinquum, ſubiungant. Communis ſententia eſt, quod cùm prædictis circunſtantijs, & cauſſis ſcientiæ, poſſunt teſtimonium ferre, licet aliàs non. Iaſon in d L. Si non in ſpeciali. num. 13. & in L. Non minorem. C. de tranſact. nu. 4. & 5. Bartol. ibid. Bald. in d. L. Si non in ſpeciali. Doctores Communium opinionum ſiue receptarum ſentẽtiarum lib. 18. in verb. Teſtis. verſ. Teſtis deponens ſe noctu. Emanuel Soarez in Theſauro recept. ſent. in verb. Teſtis. Iul. Clarus in lib. 5. §. fin. pract. Criminalis q. 21. verſ. Sed quid ſi teſtis non viderit.

Nemo autem putet diabolo & ſuis difficile fore efficere lumen ad videndum, quod etiam non facilè extinguatur à vento, naturalibus medijs. Multa enim dæmon nouit, quæ hominibus haud fieri poſſe videntur. In cuius rei confirmationem facit Auguſt. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 6. loquens de quadam lucerna inextinguibili, in quodam phano ſeu templo dolorum, quæ nec tempeſtate, nec pluuia, ac ven

vento extinguebatur; & dicit, id factum naturalibus aut magica arte, aut repræsentatione dæmonis. Quare etiam non est mirandum, quod luna non lucente, dæmones & malefici possint habere lumen ad videndum. Confirmant hoc etiam confessiones maleficorum: fatentur enim, quod choreis peractis, conuiuijsq; expletis, luminaria extinguantur, quando inhonestas & fœdas carnis voluptates explent, vt patet ex processibus, de quibus Malleus, Bodinus, Grillandus & alij.

Hæc breuiter pro tractatu quæstionis scripsisse sufficiat, quę omnia subijcio Censuræ Sanctæ Matris Ecclesiæ.

(·.·)

COM.

COMMENTARIVS IN TITVLVM CODICIS LIB. IX. DE MALEFICIS ET MATHEMATICIS, THEOlogiæ & iuris scientiæ, secundum materiæ subiectæ naturam, accommodatus, nunc de nouo reuisus, & in pluribus locis auctus.

AVCTORE,

PETRO BINSFELDIO SVFfraganeo Treuirensi, Doctore Theologo.

Deut. 18. cap.

Nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos scisciteur, & obseruet somnia atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui Pythones consulat, nec diuinos.

AVGVSTAE TREVIRORVM,
Excudebat Henricus Bock. Anno 1596.

CVM in tractatu de maleficorum & sagarum confessionibus sæpius mentionem legum ciuilium in tit. C. de malef. & mathem. fecerim, quibus etiam mea probaui, nec desint qui has leges in multis effectibus, quos maleficis tribuunt, ita commententur, vt eis omnem veritatem adimant, quasi Imperatores ex falsa vulgi opinione, & non rei veritate locuti
Prouer. 8. fuerint, cum tamē scriptum sit: Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam: hunc commentarium subiungere decreui, vt veritas, quæ impugnata, non tamen vinci potest, magis eluceſcat, leges ab iniuria vindicentur, & Imperatorum dicta salua persistant. in quo, diuino aspirante fauore, legum sententiam Patrum Theologorumq; doctrinæ cōformem ostendam, præsertim cùm impugnantes has leges addant in causis definiendis, quæ spectant ad animum, cuiusmodi est de Maleficarum negotio, dicta patrum & canonum, legibus esse præferenda. Et quia in hac materia multa occurrunt, quæ muros Hierusalem ædificant, & ciuitatem Babylonis de-
2. Esdr. 4. struunt: scio quod hisce meis laboribus quoq; non deerit Sanaballath subsannator. Non tamen ideò inceptа relinquenda sunt, sed constanti animo perficienda, ad laudem & gloriam eius, quo confortante omnia possumus.

Seruabitur autem hic ordo in toto Commentario. In primis in Rubricam aliqua notabilia, quæ toti materiæ aliquod intelligentiæ lumen adferent, præmittentur. Deinde singularum legum verba ponentur, quibus positis, si quid circa literam declarandum sit, breuius explicabitur. Tandem secundum materiæ occurrentis naturam, quæstiones mouebuntur cum sua resolutione.

RVBRICA, DE MALEFICIS ET MATHEMATICIS, ET CAETERIS similibus.

PRIMVM *notabile in Rubricam.* Continuatio: Cùm in superioribus actum sit de homicidio, quod non solùm gladio, sed etiam veneno arte diabolica præparato, incantationibus, & maleficijs committitur, rectè hæc Rubrica subiungitur.

Secundum notabile. Recto ordine hîc tractandum esset de existentia maleficiorum: An in rei veritate sint maleficia, & opera diabolica. Sed hæc veritas probata est sacris literis, canonibus, legibus, & ratione in superiori tractatu, præludio primo.

Tertium notabile. De inuentore Magicarum & Diabolicarum artium varij variè iudicant. Conueniunt autem communiter Doctores, à Persis has pernicioſas artes esse inuentas. 26. q. 4. can. Igitur genus. S. Augustin. in lib. de natura Dæmonum, & lib. 7. de Ciuit. Dei, c. 35. Isidorus lib. 8 Etymol. c. 9. Rabanus de Magorum prestigijs. Plinius li. 30. naturalis historiæ. ca. 1. Persæ enim cæteris fuerunt curioſiores, & in naturali Philoſophia perſpicaciores, cuius terminis cùm non essent contenti, & vellent

plus sapere, quam oportebat, in Diaboli laqueos inciderunt. Apud Persas autem primũ Magicarum artium inuentorem ferunt Zoroastrem Bactrianorum Regem. Hunc, vt Augustin. tradit lib.21.de Ciuit. Dei cap.14. dicunt statim à natiuitate risisse, cùm potiùs more omnium mortalium plorare debuisset. Nec ei aliquid boni monstrosus ille risus portendit: cùm magicarum artium fuerit inuentor, quæ quidem illi nec ad præsentis vitæ vanam fœlicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe rege Assyriorum, cum esset ipse Rex Bactrianorum, bello superatus est & demum ictu fulguris tactus impiam vitam finiuit. Quod malum præuidere non potuit, quamuis talis ac tantus esset magus & Astrologus, vt viuens astrum Zoroastres diceretur. Hic scripsit de arte Magica multa millia versuum. Si veritati magis, quam curiositati studere volumus, absq; dubio dicere debemus, primum Magistrum Magicarum artium fuisse mille artificem Dæmonem: Quia nullus mortalium tam malas artes inuenire potuit, qui ab ipso instructus non sit: cùm opera Magorum & maleficarum humanum captum superent. Et id satis clarè habetur 26.q.2.can. Qui sine saluatore. Vbi dicitur. Hæc vanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto orbe terrarum pluris seculis innaluit. Id quod clarius

Lactant.

Lactant.lib.2.de orig.erro.cap.17.tradit,dum de dæmonibus loquitur: Eorum inuenta,inquit,sunt Astrologia,& Aruspicina, & Auguratio,& ipsa quæ dicuntur oracula, & Necromãtia,& ars magica,& quicquid prætereà malorum exercẽt homines,vel palàm,vel occultè,& post pauca:Hi sunt qui imagines(intellige astronomicas, de quibus infrà) & simulachra fingere docuerunt:qui vt & hominũ mẽtes à cultu veri Dei auerterẽt,& fictos mortuorũ regum vultus,& ornatos,exquisita pulchritudine statui consecrariq; fecerunt:& illorum sibi nomina quasi personas aliquas induerant. Sed eos magi & ij,quos verè maleficos vulgus appellat,cũ artes suas execrabiles exercent,veris suis nominib' cient illis cœlestibus, quæ in literis sanctis legũtur. Zoroastres autẽ primus inuẽtor dici potest,non quod ipse eas inuenerit,sed q; eas à Diabolo traditas prius hauserit, scriptis tradiderit, & alios homines docuerit. Nam à nostris maleficis & magis discimus,qd' non omnes instituuntur & erudiuntur immediatè ab hominibus eiusdẽ artis peritis,quãuis nõ rarò à similibus consortibus seducãtur,sed plurimi ab ipso Dæmone, in forma humana apparẽte, in tã execrabili negocio instruũtur.

Quartum notabile. Quandoquidem Rubrica inscribitur de maleficis & mathematicis,& cæteris similibus, leges præsentes in suo gradu & latitudine compræhendunt om-

nes

nes artes magicas humano generi pernicioſas, eaſque damnant. Quia ſimilium eſt ſimilis ratio.

Quintum notabile. Omnes artes pernicioſæ Magorum & maleficorum, à Dæmone contra ſalutẽ hominum inductæ, ſunt affines & caudas habent colligatas, quamuis facies habeant diuerſas: vt de hæreſibus etiam dicitur in cap. Excommunicamus 1. & 2. de hæret. Quare earum ſectatores diuerſis nominibus à Doctoribus quandoq; appellantur, quandoq; etiam confunduntur. Sic vocantur Lamiæ, Striges, Magi, Venefici, Incantatores, Malefici, Sortiariæ mulieres, Viri Sortilegi, fœminæ Sagæ. Lamias nominant Apuleius lib. 1. de aſino aureo, Philoſtratus in vita Apollonij Pythagorici, Franciſcus Ponzinibius in ſuo Tractatu. Thomas Eraſtus, & alij. Striges Sylueſter in verbo Hæreſis 3. & lib. de Strigimagis. Bartholomęus Spineus in tract. de Strigibus. Paulus Grillandus & alij. Sortiarias. can. Si per Sortiarias. 33. quæſt. 1. & Lambertus Danæus in dialogo de Sortiarijs. Maleficas & maleficos Sacræ literæ, & leges in præſenti titul. & communiter Doctores, & vulgus. Lamiæ vocantur per tranſſumptionem à Lamia beſtia monſtruoſa, quæ pedes habet equinos, & cætera membra humana, & ita crudelis eſt, vt filios ſuos dilaniet. Sic noſtrę Lamiæ etiam infantium ſanguinem expetunt, quo abutũtur in ſuis ſceleribus. Stri-

ges appellantur ab aue ſtrige, quæ nocte ſtridet, & etiam aggreditur tenellos infantes, & ex eorum corporibus ſanguinem abſorbet. Eodem pacto noſtræ ſtriges nocturno tempore ſtridunt, volant, & opera tenebrarum exercẽt, nec non infantum cædem ſitiunt. Sagæ dictæ, eò quod ſatis agant, & in officio ſuo peſſimo diligentes nimis ſint: vel à ſagiendo, quia multa ſcire volunt. Magi, quia ea, quæ mirabilia ſunt, & humanam naturam excedunt, virtute dæmonis exercent. Venefici quia ſæpè veneno nocent. Incantatores, quia verbis & carminibus maleficia perficiunt. Malefici à malefaciendo. Sortiarij & ſortilegi à ſortilegio, quod vniuerſaliter acceptum omnes diabolicas artes complectitur, vt atteſtantur Paulus Grillandus lib 2. de Sortilegijs. Iodocus Damhauderus in praxi Criminali cap. 61. & Plinius lib. 28. cap. 4.

Sextum notabile. Quamuis maleficus dicatur omnis malefaciens, ſicut maleficium dicitur omne malefactum in genere. 26. q 5. can. Non liceat. L. Congruit. ff. de officio præſid. ff ad Legem Aquil. L. Ita vulneratus. C. de pœnis. L. Si operis: hoc tamen nomen ſagis & noſtris maleficis tribuitur per antonomaſiam ſiue excellentiam, ob inſigne nocendi ſtudium, & facinorum magnitudinem. 26. q. 5. can. Nec mirum. & L. Nemo. C. de malef. & mathemat. Iſidor. lib. 8. Etymolog. cap. 9. Atq; ſic ſemper

Magos,

Magos,& magicis siue diabolicis artibus vtentes vulgus maleficos appellauit.Lactant.loco citato. Cassian.in Collat.8.cap.19. August.in d.c.Nec mirum.Isidor.loco citat. D.Thomas lib.3.contra Gent. ca.106. Nomina enim rectè intelliguntur ex vulgi & hominum vsu & consuetudine.L.Labeo.ff. de suppellectili legata:& Horat.de arte poëtica.

Septimum notabile. Etsi leges in præsenti tit. Codicis loquantur in masculino genere, comprænduntur tamen etiam fœminæ. Quia masculinum in materia indifferenti inter masculum & fœminam prolatum, semper concipit & comprænditur fœmininum. ff.de verbor. significatio. L.1. ff. de legat.2. L.Si ita scriptum.Glossa.Ioannes Immolensis, & alij ibidem.Bartol. in L. Quicunque.de seruis fugiti. Marsil. consil.85. num.20. Ludouicus Romanus in consil.98. num.3. Petrus Anchar.in cap.In generali. de elect. in 6. Archidiac. in can. Si quis suadente. 16. q.4.& alij alibi. Quod non solum veritatem obtinet in lege Ciuili,sed etiam diuina, vt rectè annotat Panormit.in ca. Maiores, de Baptismo & eius effectu,num.3. ex illo Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum cœlorum : Ad quod propositum allegari possent multæ Scripturæ tam veteris quàm noui testamenti. Psalm.14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo:

aut

aut quis requieſcet in monte ſancto tuo. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, &c. Deuter. 18 Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem: aut quiariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, aut incantator, neq; qui Pythones conſulat, nec diuinos: omnia hæc abominatur Dominus. Matt. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt: & 25. cap. Venite benedicti patris mei, poſsidete paratũ vobis regnum: & iterum. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.

Octauum notabile. Doctores pleriq; quando hanc materiam tractant, loquuntur in fœminino genere, vt conſtat ex malleo maleficarum, Frãciſco Ponzinibio, Bartholomæo Spineo, Sylueſtro Priĕrate, Thoma Eraſto, Vlrico Molitore, & alijs, non quia fœmininum maſculinum concipiat, contra d. L. Si ita ſcriptum, & communem ſententiam, ſed quia maleficia & ſortilegia frequentius in mulieribus inueniuntur. Quare autem plures fœminæ ſint ſuperſtitioſæ & maleficæ quàm viri, aliquæ redduntur rationes à Doctoribus, quas ponunt Doctores Mallei maleficarum 1. parte. q. 6 Ioannes à Turrecremata. 36. q. 5. can. Epiſcopi. Alphonſus Caſtrenſis lib. 1. de iuſta hære-

hæreticorum punitione. Paulus Grillandus lib. 2. de Sortilegijs. quæst. 7. num 31. Martinus Arles in Tractat. de Superstitionibus, & alij alibi.

Prima ratio: Mulieres sunt pronæ ad credendum, cùm non habeant magnam experientiam. Vnde à diabolo facilè decipiuntur, iuxta illud: Qui facilè credit, facilè decipitur.

Secunda. Mulieres sunt curiosæ, & appetunt scire, quæ eis non conueniunt. Curiositas autem magna est dispositio ad superstitiones & maleficia, vt alibi dictum: & cùm hic sexus sit simplex, Dæmon sub specie recti sæpè fœminas decipit.

Tertia. A natura, fœminæ sunt mollioris complexionis: quæ causa efficit, vt facilius impressiones à spiritibus capiant. Et sicut quãdo à bonis spiritibus instruuntur regunturq; valdè bonæ & deuotæ redduntur: Ita quando Dæmonum suggestionibus consensum præbent, pessimæ fiunt, ita vt non sit malitia super nequitiam malæ mulieris.

Quarta. Maior est fragilitas ad casum in sexu muliebri ex natura sexus. Quare Dæmon statim in principio, primæ mulieri insidiabatur, & eam ad peccatum pertraxit.

Quinta. Hic sexus si iram, aut odium aduersus aliquem concipiat, vehementissimè irascitur, &

tur,&se vindicare determinat: Cùm autem sit imbecillis,& vana sit sine viribus ira: Dæmon data oportunitate offert vindicandi modos, & auxilium pollicetur.

Sexta. Fœminæ sunt pusillanimes,& quando in tristitiam aut desolationem cadunt, nõ facilè se expediunt, sed diu in pusillanimitate tristitiaque remanent. Accurrit Dæmon, occasionem perscrutatur, tentat, & sæpè vincit.

Septima. Lubricam habent linguam,& sic si quas malas norunt artes, consortibus citò reuelant, quibus sine difficultate persuadent, vt idem sapiant secum, non considerantes, quis rei exitus sit futurus.

Nonum notabile. In Rubrica nomine mathematicorum intelligũtur diuinatores. Prohibetur autem maximè diuinatio, quia principatum obtinet, & nunquam in bonam partem propriè dicta accipitur. 1. q. 1. can. Nunquam diuinatio. Hieronym. in cap. 3. Micheæ. S. Thom. 2.2. q. 95. arti. 1. Dominic. in cap. Accusatus. §. Sanè, de hæret. in 6. Ioannes Andreas in cap. In tabulis. de Sortileg. Troilus Maluetius Iurisperitus in tract. de sortibus, 1. parte, & alij alibi.

Variæ autem multæq; sunt diuinationis species, secundum diuersitatem mediorum & obiectorum, circa quæ diuinatores versantur. De his speciebus agitur in 26 q. 4. can. Igitur genus: & ibidem q. 5. cap. Nec mirum. Et

nota, hoc caput. Nec mirum, attribuitur à Gratiano D. Augustino, in lib. de Ciuit. Non tamen est Augustini, vt rectè obseruauit Alphonsus Castr. lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 15. Habetur autem hoc caput integrum apud Rabanum, in libello de magorum præstigijs, quem ipse ex varijs locis D. Augustini & Isidori confecit, vt annotatur d. cap. Nec mirum in decretis à Gregorio XIII. fœliciſſimæ memoriæ Pontifice, repurgatis. De ijsdem speciebus diuinationis tractant S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 3. Isidor. lib. 8. Etymolog. cap. 9. Et ex Iurisperitis Troilus Maluetius in tract. dicto. Damhauder. in praxi crimina. cap. 61. à n. 87. Grillandus lib. 2. de Sortilegijs. q. 2. Latissimè Petrus Gregorius Tholosanus, in 3. parte Syntagmatis iuris vniuersi, lib. 34. cap. 3.

Omnis diuinatio vtitur ad præcognoscendum futuros euentus, Dæmonum consilio, aut auxilio. Duobus autem modis Dæmones inuocantur: Expressè, & Tacitè, siue præter intentionem hominis. Quando expressè inuocantur, solent multipliciter futura prædicere. Quandoque superstitiosis quibusdam apparitionibus se aspectui, & auditui hominum ingerunt ad prænunciandum futura, & hæc species vocatur præstigium, quia oculi hominum perstringuntur, Quandoque per somnia futura prænunciant, & vocatur diuinatio somniorum. Quãdoq; per mortuorum ali-

aliquorum cadauerum apparitionem, vel locutionem, aut responsionem: & hęc est Necromantia, & huius artis professores vocantur Necromantici, quoniam incantamentis vidē-tur mortuos resuscitare, vt dent responsa, & hi solent cadauer sanguine cōspergere, eo quod Dęmones sanguine delectari dicantur. Quandoq; verò futura prænunciant per homines viuos, sicut in arreptitijs, & vocatur diuinatio per Pythones: Qui sic dicti à Pythone Apollineauctore diuinationis. Quandoq; diuinant per aliquas figuras, aut signa, quæ in rebus inanimatis apparent. Quæ si appareant in aliquo corpore terrestri, vtpote ligno, ferro, aut lapide polito; dicitur Geomantia: Si in aqua, Hydromantia. Si in aëre, Aëromantia: Si autem in igne, Pyromantia: Si autem in viscеribus animalium immolatorum in aris Dæmonum, Haruspicium dicitur. Diuinatio, quæ fit absq; expressa Dæmonum inuocatione, in duo genera diuiditur. Quorum primum est, quando ad præcognoscendum futurum aliquid considéramus in dispositionibus aliquarum rerum, & si fiat in consideratione astrorum & syderū, pertinet ad astrologos, qui & Genethliaci vocantur, propter obseruationes natalium dierum. Hi obseruant diem natalem, & horam ortus in hanc lucem, mox per duodecim cœli signa, syderumque cursus discurrunt, & ad iustum signi calculum referunt, & hinc

prædicunt hominis nati fauſtam, aut infauſt
fortunam, futuroſque euentus. Si verò attend
dantur motus & voces auium, ſeu quorum
cumque animalium, vel etiam hominum ſter
nutationes, aut membrorum ſaltus, pertine
ad augurium, quod dicitur à garritu auium
ſicut auſpicium ab inſpectione auium, quor
primum ſpectat ad aures: ſecundum ad oculo
Si autem conſideratio fiat ad verba hominum
præter intentionem dicta, quæ aliquis retor
quet ad futurorum euentuum præcognitio
nem, appellatur omen. Si obſeruentur aliqua
diſpoſitiones figurarum in corporibus, alia
ſpecies ſunt, vt ſi ex inſpectione linearum in
manibus, Chiromantia eſt, quaſi diuinatio
manus. Si autem quædam ſigna in ſpatula ali
cuius animalis conſiderentur, ſpectat ad ſpatu
lamantiam: Si ex facie inſpecta iudicium ſu
matur futurorum, phyſiognomia nomina
tur. Ad ſecundum diuinationis genus, quod
eſt ſine expreſſa Dæmonum inuocatione pe
tinet diuinatio, quæ fit ex conſideratione
eorum, quæ eueniunt ex quibuſdam, quæ a
hominibus ſeriò fiunt ad aliquod occultum
inquirendum, ſiue per protractionem punc
rum, quod pertinet ad artem Geomantiæ
ſiue per conſiderationem figurarum, quæ pro
ueniunt ex plumbo liquefacto in aquam pro
iecto, ſiue ex quibuſdam ſcedulis ſcriptis, v
non ſcriptis in occulto repoſitis, dum conſid
ratur

ratur quam aliquis accipiat: vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, quis maiorem vel minorem accipiat, vel taxillorum proiectione, quis plura puncta proijciat: vel etiam dum consideratur quid aperienti librum occurrat, hæc omnia sortium nomen habent. Quomodo & quando sortes sint licitę, infrà, quando leges explicabũtur, in proprijs locis declarabitur.

Decimum notabile. Cum diuinatores futurorum & secretorum cognitionem à Dæmonibus hauriant, videndum est ex Theologorum & Doctorum sententia aliquid de Dæmonum scientia. De hac materia habetur 26. q. 4. can. sciendum, ex Augustin. de natura seu diuinatione Dæmonum, cap. 3. 5. & 6. Tractant Theologi communiter cum Magistro in secundo sentent. d. 7. S. Thom. 1. part. quæst. 64. Isidorus de summo bono, lib. 1. cap. 10.

Triplici acumine scientiæ vigent Demones: subtilitate naturæ, Experientia temporum: & reuelatione supernorum spirituum. Quantum ad subtilitatem naturæ, etsi per malitiam sint indurati, scientia tamen naturali non sunt priuati. Vnde perspicacissimè cœlorum motus, stellarum syderumq; influentias, Planetarum coniunctiones, elementorum mistiones & temperamenta, herbarum vires, animalium proprietates, lapidum virtutes, metallorum operationes ac omnium mixtorum qualitates cognoscunt, nec est quippiam

rerum naturalium, quod eorum cognitionem effugiat, exceptis occultis cordium nostrorum cogitationibus, quæ solùm Deo cognitæ sunt, vt infrà latius dicetur. Sic ergo vt Paulus Grillandus in lib. de Sortilegijs q. 6. nu. 11. ex Syluestro in lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 7. de Strigimagis attestatur, Dæmon optimus est Philosophus, Theologus, Arithmeticus, Mathematicus, Dialecticus, Logicus, Grammaticus, Musicus & Medicus excellentissimus.

Experientia etiam insignis in Dæmonibus comparatur diuturnioris vitæ beneficio, qua experientia nos priuamur, ob momentaneam vitam, quæ modico tempore durat, & vt bulla statim perit. Sic hominum inclinationes, & modos superandi eos discit & obseruat Dæmon. Quomodo cognitio Dæmonum indies augeatur & crescat, doctè tradit Guilhelmus Parisiensis in 2. part. de vniuerso cap. 114. Amplius, ait, ipse vsus siue consuetudo malignandi, ex necessitate auget astutiam ipsarum (intellige substantiarum spiritualium:) Hoc enim manifestum est in animabus humanis. Homines enim malignationibus assueti, ipsi huiusmodi assuetudine astutiores efficiuntur ad malignandum. Quomodo igitur, vel qua de causa prohibitę erunt primæ peccatrices substantiæ, vt non possint in sua versutia crescere: præsertim cùm incessanter videamus ac audiamus easdem nouis & hactenus inau-

inauditis insidijs homines seducere atq; subuertere, & in noua flagitia atq; stupenda inducere? An fortè creatoris bonitas malignitatem eorum compressit, atq; frenauit vsque modò, vt eos non permitteret tanta ac talia mala suggerere hominibus? Quod vtique verisimile dici posset pro parte. Vix enim inueniuntur vitia, vel peccata in hominibus, quorum similia non præcesserint in eisdem, propter quod dixi, pro parte. Non enim improbabiliter, neque impiè creditur, eam esse circa homines diuinæ pietatis sollicitudinem, vt malignos spiritus non permittat totis malignitatis suæ conatibus sæuire in homines, cùm & ipsos sibi inuicem inimicantes homines à mutuis nocumentis reprimat & compescat. Amplius, cùm non omnes isti primi peccatores sint pares etiam nunc astutia, vel malitia, quomodo prohibentur minores à maioribus de astutijs addiscere ea, quæ ignorant? Præsertim cùm maiores per minores, tanquam sibi subditos & ministros, innumeras suę malignitatis fraudes exerceant? Amplius, quis ignorat omnem affectionem, siue bona sit, siue mala, ad ea quæ ad ipsam pertinent exacuere, & quodammodo, vt ita dicatur, docere? Cuius exemplũ vnũ est in auaritia, quæ alias simplicissimas mentes ad exquirenda lucra, & ad vias eius excogitandas incredibiliter exacuit & dirigit. Sic & turpis amor se habet erga turpem amatorẽ, docẽs

ipsum excogitare vias, quibus obtineat, quod amor suggerit, hoc est, vel amasiam ipsam, vel delitias amatorias. Amplius sic verum est, iuxta sermonem Aristotelis, quod virtus omni scientia certior & melior. Sic quod malitia omni astutia certior ac nequior sit, dubium esse non debet. Quare sicut virtus scientiam illuminat circa ea, quæ ad doctrinam pertinent: Sic & malitia ipsam malignandi astutiam circa ea, quæ malignitatis sunt, illuminat. Quod autem crescat diabolica malitia incessanter, habet sermo scripturæ. Superbia eorum, qui oderunt te ascendit semper: & paucis interiectis. Quis dubitat eos incessanter insistere seductionibus & subuersionibus hominum? Deinde ludificationibus, & magicis operibus, quæ per eos fiunt, iugiter inseruire? Quemadmodum igitur ex frequenter malè agere crescit malitia in hominibus, sic necesse est, & fieri apud illos, præsertim cum tantę renouationes, & malorum operum, & malarum dispositionum seu passionum in eis euidenter appareant. Si igitur semper crescat eorum malitia: necesse est etiã, vt crescat astutia ex eadem consuetudine studiorum malignitatis. Ampliùs, cùm apud eos sint principatus, & potestates, noua mala semper imperant, & nouas malitias eis suggerunt. Quomodo ergò incessanter noua mala non addiscunt, cùm & nouis suggestionibus principum suorum, & noua faciendi experientia

tia reuelentur? Hæc ex Guilhelmo, ex quibus clarè animaduertitur, quomodo astutia diabolica indies augeatur, & experientia crescat. His accedit Augustinus lib. 2. de Genesi ad literam cap. 17. qui tradit eos experientia temporum, propter tam magnam longitudinem vitæ, callidiores fieri. Aduertendum tamen ex Sancto Thoma 1. parte quæst. 64. artic. 1. ad 5. quod cognoscunt per experientiam longi temporis, non quasi à sensu accipientes, sed dum in rebus singularibus completur similitudo eius speciei intelligibilis quam sibi naturaliter habent inditam, aliqua cognoscunt præsentia, quæ non præcognouerunt futura. Postremò reuelatione bonorum angelorum, cum quibus non conueniunt quidem per conformitatem voluntatis, sed per similitudinem intellectualis naturæ: aliqua addiscunt Dæmones, quæ boni spiritus ab omnipotenti Deo acceperunt, ad cuius imperium & beneplacitũ Dæmonibus reuelant. S. Augustinus. Thom. Isidor. Magist. & D D. locis citatis. Obijcit contra hoc S. Bonauent. in 2. d. 7. par. 2. in expositione literæ. Dæmones sunt inimici Dei & angelorum. Si ergò ab inimicis abscondenda sunt secreta consilia, videtur quod Deus eis nunquam faciat reuelare. Item, ipsi Dæmones sunt in tenebris damnationis. Cùm ergo non sint idonei ad gratiam, & reuelatio sit cognitio gratiæ & non naturæ: videtur quod nullo

modo fiat ipsis reuelatio. Respondet S. Bonauent. pro vero habendum esse, quod dęmones aliqua præsciant reuelatione supernorum spirituum, cuius reuelationis attendendus est finis & modus. Finis: quia mirabilis sapientia per inimicantes sibi implet voluntatem suam. Vnde sicut reuelatio somnij de exaltatione Ioseph facta insidiantibus, secundum mirabilem Dei dispositionem, fecit ad eius impletionem, licet secundum intentionem illorum esset ad impedimentum: sic DEVS ita ostendit per angelos suos Dæmonibus, vt dum illi obuiant, aliquid valdè decens & competens ordinatissimè impleat, & eliciat: & ex hoc patet primum argumentum: quia non est simile. Humanum enim consilium potest irritari, non tamen diuinum. Attendendus etiam modus. Duplici enim modo fit reuelatio. Aliquando mentis illustratione, sicut fiebat sanctis Prophetis, & hæc est gratiæ. Aliquando verò sola prędictione, sicut homo reuelat quandoq; suam voluntatem, & hæc non est gratiæ aliquo modo perficientis, vel eleuantis naturam, sed potest esse opus misericordiæ, si illud ordinetur ad bonum eius, cui prędicitur: Vel iustitię, si ordinetur ad punitionem alicuius mali, vtpote si ad fallędum fallaces: Vel vtriusq;, si simul ad vtrumque, & ita est quasi semper. Quia huiusmodi futura prædicuntur Dæmonibus, & permittuntur mira-

Duplici modo fit reuelatio.

mirabilia ab eis fieri, vt bonitalia parui pendant, in quibus se videntè damnatis & miseris superari. Et mali proficiant in peius errantes & in errorem mittentes, occulto Dei iudicio, tamen iusto. Vnde valdè stultum est desiderare facere mirabilia, vel præscire futura, & quasi magna hæc reputare, cùm inimicos Dei, in his videamus abundare.

Nunc videndum est, *an Dæmones præscientiam habeant futurorum & secretorum, ita vt ex eorum reuelatione homo possit prognosticare & occulta cognoscere?* Dubium esse potest de futuris contingentibus, cordium cogitationibus, & rebus occultis latẽtibus, vt sunt furta occultissima, deperdita, & thesauri in visceribus terræ absconditi. Vt rectius & distinctius proposita difficultas resoluatur, aliquæ Conclusiones sunt ponendę. De hac materia legendi sunt Doctores in 2. sent. d. 7. S. Thom. lib. 3 contra Gentes, cap. 147. S. Augustin. in lib. de diuinatione seu natura Dæmonum, tom. 3. Alexand. Halens. 2. part. q. 26. membr. 4. Decretistæ in can. Sciendum, cum textu 26. q. 4.

Prima Conclusio. *Futura, si in seipsis considerentur, à nullo, præterquam à solo Deo, cognosci possunt.*

Conclvsio est de fide. Probatur: Prædicere res futuras, signum diuinitatis est, vt ex

vt ex locis sacræ Scripturæ probatur. Isaiæ 41. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus: quia Dij estis vos. & 45. suam prophetiam diuinam esse probat. Hæc dicit Dominus sanctus Israël, plastes eius: ventura interrogate me. Sap. 8. Signa & monstra scit, antequam fiant, & euentus temporum & seculorum.

Secunda Conclusio. *Futura in seipsis Dæmones nequaquam cognoscere possunt, nisi ab Angelis bonis eis reuelentur, vt dictum est.*

CONSTAT ex prima Conclusione. Futura enim sic prædicere, spectat ad Deum: Ergò non competit Dæmonibus. Et sic Dæmones quando prædicunt huiusmodi futura cõtingentia, fallunt & mentiuntur. Sic 3. Reg. 22. cap. Prophetæ Baal mentiti sunt Achab Regi Israël. Aliquando etiam prædicunt Dæmones futura, quæ ipsi facturi sunt. Aliquando intelligunt etiam ab alijs hominibus, quæ facere intendunt, & suis magis vel maleficis, qui nec rei cognitionem habent, prædicunt. Sic cuidam Annæ ex S. Medardo sub iurisdictione Monasterij S. Matthiæ, extra muros Treuirenses, quæ mortis sententiam & executionem recepit Anno Domini 1590. 11. Augusti, comprehensionem suam, & incinerationem futuram præ-

prædixit proprius magisterulus. Cui mulier respondit: Miserabilis Dæmon, huius rei tu caussam dedisti. Iterum Dæmon: Tibi facio, sicut tui similibus.

Tertia Conclusio. *Futura, quæ habent caussam necessariò determinatam & infallibilem, ad eorum esse producendum, Dæmones naturali cognitione cognoscere possunt.*

Haec Conclusio constat ex d. cap. Sciendum: & communi sententia Doctorum: & Ratio est: Huiusmodi futura habent esse in suis caussis necessariò determinatis, quod quidem esse cùm sit determinatum, infallibile & necessarium, certò potest cognosci. Quia Philosophiæ est pronunciatum: Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Sic multò certius quocunque Astrologo eclipses, & planetarum coniunctiones prædicere Dæmones possunt. Quia rectius caussas talium effectuum cognoscunt.

Quarta Conclusio. *Futura, quæ habent caussam, vt plurimum determinatam, sed fallibilem, cognoscuntur certa quadam coniecturali cognitione, sed non infallibili, à Dæmonibus.*

Ratio:

RATIO: Quia cùm hæc futura solùm habeant esse in sua caussa determinata non necessariò, & infallibiliter, sed vt plurimum simili modo cognoscuntur iuxta dictum pronunciatum. Sic Dæmon possit prædicere mago vel malefico anni fertilitatem, quando est bona cœli cõstitutio, aut aëris optima constitutio, non tamen infallibiliter, quia fructus multis modis possent impediri ex alijs caussis.

Quinta Conclusio. *Futura merè contingentia, & indeterminata Dæmones non possunt naturaliter cognoscere.*

QVIA hæc futura cùm sint ad vtrumlibet, indeterminatam & fallibilem habent caussam, atque ab hominis libero pendent arbitrio, quod in vtramque partem potest flecti. Liberum enim arbitrium, quantum ad actus sui determinationem, non cadit in cognitionem certam Dæmonis. Et confirmatur ratione. Quia si posset cognoscere, vtiq; vellet scire, An vinceret hominem, vel esset vincendus ab homine, quem tentat: Quia cùm superbus sit, nunquam tentaret eum, à quo se vincẽdum præsciret. Ideoq; semper tantum eum tentaret, quem se victurum præcognosceret. Sed clarum est ex sacris literis, gestis Sanctorum, & experientia, quod tentat etiam alios, à quibus vincitur, vt patet in Iob, Saluatore nostro,

nostro, S. Anthonio, Hilarione, & multis alijs. Ergo non præcognoscit futura ad vtrumlibet.

Sexta Conclusio. *Dæmones sæpè de actibus humanis coniecturaliter vera prænunciant.*

Ratio: Quoniam Dæmones passiones appetitus sensitiui, ac inclinationes corporales cognoscunt, & cùm plures sint, qui appetitum & carnalia desideria sequũtur, quàm qui illis resistunt, sæpè de actibus humanis vera conijciunt. Qualis enim quisq; est, talem sibi finem præscribit. Ex externis etiam signis & operibus qualis interior homo sit, non est difficile iudicare, iuxta illud Euangelij. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Septima Conclusio. *Cogitationes hominis pendentes à voluntatis nostræ libertate, si solo intellectus & voluntatis termino contineantur, Dæmones non cognoscunt.*

Probatvr. Quia hoc diuinæ maiestatis proprium est. Ieremiæ 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. 1. Paralip. cap. 28. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogita-

cogitationes intelligit. 3. Reg. 8. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Psalm. 43. Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis. Iob. 42. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Matth. 9. Cùm vidisset Iesus cogitationes eorum. Act. 1. Tu Domine, qui corda nosti omniũ. Roman. 8. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Hebr. 4. Discretor est cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, &c. Eandem veritatem docent sancti Patres. Hieron. super dicta verba Matth. 9. Ambros. super cap. 2. 1. Cor. & lib. 1. de officijs. cap. 14. S. August. de diuinatione Dæmonum cap. 5. & lib. 2. Retract. cap. 30. Chrysost. hom. 23. super Ioan. super illa verba. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. S. Thomas 1. part. q. 57. art. 4. S. Bonauent. in 2. d. 7. part. 2. art. 1. q. 3. & alij alibi. Hinc deducitur: quod nullus etiam Magus, aut diuinator potest cognoscere secretas hominis cogitationes.

Octaua Conclusio. *Cogitationes hominis & affectiones cordis indirectè & coniecturali cognitione Dæmones quandoq; possunt cognoscere.*

PATET: Homo ex effectibus exterioribus sic interiores actus potest cognoscere, iuxta il-

ta illud Eccleſiaſt. 13. Cor hominis immutat faciem eius: & aliud Matth. A fructibus eorum cognoſcetis eos, &c. Ergò multò magis Dæmones, qui maiori naturæ ſubtilitate ſunt præditi.

Nona Concluſio. *Dæmones cognoſcunt ſecreta, furta, deperdita, & theſauros quæ hominum cognitionem fugiunt.*

Quia cùm ſint incorporei, acrimonia ſenſus, & celeritate motus vigent nec impediuntur interpoſitione corporum, ſed omnia naturalia obiecta perſpecta habere poſſunt. Nullo tamen modo licet homini à Dæmonibus huiuſmodi inquirere, vt infrà latius probabitur.

Vndecimum notabile. Artes huiuſmodi magicæ & diabolicæ diuidi poſſunt in diuinatrices & operatrices. Diuinatrices, quarum exercitium maximè verſatur in diuinando, ſecreta reuelando, & reſponſa accipiendo: Ad quas referre poſſumus auguria, ſortilegia ſpeciatim ſumpta, Chiromantia, Spatulamantia, &c. Operatrices, quę virtute & cooperatione diabolica mirabilia & ſcelera operantur, vt eſt Magia propriè dicta, quæ arte diaboli mirabilia ad vanam oſtentationem operatur. Ad eandem claſſem referre poſſumus incantationem, veneficia amatoria, & maleficorum crimẽ: quod

cùm omnium pessimum sit, vtpote contra salutem humani generis, semper versatur in operatione: Quamuis quidem etiam huius sectæ reperiantur, qui vacent tam diuinatrici, quam operatrici magiæ.

Duodecimum & vltimum notabile. Cum ad maleficorum & sagarum crimen Dei permissio, Dæmonis potestas, & hominis voluntas liberè consentiens concurrant, manifestissimum est maximam huius argumenti cognitionem ad Theologum pertinere. Quis enim quid Deus permittat, quid Dæmon possit, & quæ societas inter hominem & angelum esse queat, cognoscit, nisi Theologus ex sacris literis? De Dei permissione nihil physicus tractat: De diaboli potestate nihil leges ciuiles scribunt: leges humanæ non Dæmonibus, sed hominibus viuendi modum statuunt. At quia maleficorum crimine nocumenta Reipublicæ inferuntur, humana pax læditur, & publica tranquillitas perturbatur, vt ab omni hominum memoria experientia rerum magistra compertum est: iustissimè pœnas leges ciuiles in maleficos & mathematicos decreuerunt. Causarum autem concurrentium, ad tam immane maleficorum crimen, in effectus fluxus, Theologi iudicium requirit, quamuis etiam philosopho suas partes non denegemus in discernendis effectibus veris à falsis & præstigiosis. Atque hæc causa est, quare

Iurisd.

Iurisperiti tam parum, vt omnibus notum est in commentatione argumenti harum legum præstiterint. Bartolus, Baldus, Salycetus, Angelus & alij copiosissimi in alijs legum titulis extiterunt: de harum ll. materia, aut nihil, aut valdè parum cum Glossæ explicatione scripserunt. Quare nemo miretur me hoc argumẽtigenus, quod multum in praxi & controuersia hisce infœliciſſimis temporibus versatur, ad tractandum suscepisse, qui professione sum Theologus, atque etiam iam longa lectione Theologiæ tantum scientiæ iuris adiunxi, quantum huius materiæ necessitas postulat. Exactiorem iuris cognitionem, in harum legum interpretatione relinquo eis, qui omnem ætatem in Iurisprudentia consumpserunt.

C. DE MALEFICIS ET MATHEMAticis & cæteris similibus.

LEX I.

Plus est hominem veneno extinguere, quàm occidere gladio.

DVPLEX huius Legis sensus esse potest. Prior secundum Gloss. & Bald. Atrocius est venenare, quàm occidere gladio, quia

venena dans tenetur L. Cornelia de Sicarijs & venefic. ff.

Secundus sensus Salyc. & aliorum. Grauius est veneno extinguere, quia dolo & clandestinè committitur, & occultè vita hominis subtrahitur, & vt plurimum non est locus remedio. Similis ratio sumi potest ex Baldo L. Cum fratrem. C. de quib. vt indign. cum textu ibidem. Venenatio est crimen occultum, & sapit proditionem. & idem Bald. in L. Nemo. C. de summa Trinit. col. 2. in verbo. Simile est in veneficio. Ille qui venenat aliquem, dicitur proditoriè eum occidere. Salycet. in d. L. Cùm fratrem. Alexand. in cons. 145. nu. 6. lib. 7. Carrerius in pract. Criminali. § Homicidium. nu. 98. & post alios Couarr. in relect. Clement. Si furiosus, de homicid. in initio, num. 11.

Quo modo nomen veneni accipiatur.

Nomen (venenum) medicum est, & sumitur in vtramque partem, bonam & malam. L. Qui venenum. ff. de rerum & verbor. significat. Qui venenum dicit, adijcere debet, vtrum bonum esset, an malum. Nam medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum eius naturam, cui adhibitum est, mutat. Dicitur enim secundum Gloss. ibidem in verb. (mutat) venenum à vi vehementi immutandi naturam eius, cui adhibetur. Ad idem facit L. Eiusdem legis. ff. ad Legem Corneliam de sicar. & venef.

Pro

Pro maiori præsentis legis intelligentia annotandum cum Paulo Grilland. lib. 2. de Sortilegijs, q. 12. num. 14. quod ff. ad L. Corneliam de Sicarijs fit mentio & tractatur de venenis naturalibus, quæ hominis ingenio & medicorum peritia fiunt, absque aliqua superstitione seu Dæmonis inuocatione. Venenum autem in præsenti L. accipitur pro eo, quod fit per Sortilegos, magos, maleficos & Necromanticos, similesq;, ope & suffragio Dæmonis. Sicut nomen (venenum) pro naturali veneno accipitur, & etiam pro eo, quod arte diabolica vel præparatur, aut administratur: ita nomine veneficij & venefici communiter Doctores non solùm prophani, sed etiam Ecclesiastici vtuntur pro maleficio & malefico. Exod. 22. vbi nostra versio Hieronymi habet; Maleficos non patieris viuere, Septuaginta Interpretes habent, veneficos. S. Augustinus lib. 21. cap. 6. Magos nostra Scriptura, inquit, Veneficos & incantatores vocat. Isichius lib. 6. in Leuit. cap. 19. Pessimum, ait, est etiam veneficis adhærere: quia Dæmonum inimicorum nobis & pestilentium nomina dicunt, & ibidem, in cap. 20. Non qualecunq; peccatum esse declinare ad magos, siue vt septuaginta, ventriloquos & veneficos, prædiximus. His accedit Philo in lib. de specialibus legibus, cuius verba quoniam maximè faciunt ad d. L. 1. intelligentiam, ad longum inferenda duxi. Cęterum, inquit, qui

gladio, hasta, fuste, saxo, alioue telo interimunt fieri potest vt inconsulto repentinoque impetu perciti scelus admittant, furori non rationi obsecuti, ita vt dimidiatum videatur facinus, cui non accessit longa deliberatio. Alij verò sceleratissimi, polluti mente ac manibus, magi & venefici, per otium & in secessu dant operam malis damnatisque artibus, captantes occasionem variarum calamitatum inferendarum proximis. Ideò lex vult veneficos & venęficas, ne vnum quidem diem viuere, sed mori, quam primùm deprehensi fuerint, nec vllo pacto differri supplicium. Nam qui propalam & cominus aggrediuntur, vtcunque caueri possunt: occultæ autem insidiæ veneficiaq; non animaduertuntur facilè. Præstat igitur vt noxa, quam illaturi erant alijs, auertatur in eorum capita, & alioquin etiam qui gladio, vel alio quouis telo grassatur, non enecat multos eodem tempore: venenis autem lætiferis innumeri perimuntur, inter esculenta clàm admixtis confusisq; per insidias: & accidit aliquando in numeroso conuiuio, sodalibus ad eiusdem salis eiusdemq; mensæ societatem collectis, inter libationes violari sodalitatis fœdera, repente mutatis rerum vicibus, & in conuiuij locum succedentibus funestis exequijs. Quapropter etiam mitissimos clemẽtissimosq; iudices sæuire in id genus conuenit, nec saluti eorum vnquam parcere. Quid enim

enim est iniquiùs quam alimenta ad tuendam vitam facta vertere in perniciem, & naturæ beneficia corrumpere? vt qui ex cibo potuq; petunt refectionem necessariam, in insidias præcipitati, pro salute mortem inueniant? Eadem pœna manet eos, qui non lætifera venena conficiunt, sed longos morbos, & tabem lentam inferentia. Nam sæpè satiùs est emori, quam ægrotare, præsertim diuturno morbo, nó habituro fœlicem exitum. Respuunt enim medicinam morbi contracti è veneficijs. Molestiores autem sunt in hoc genere animarum noxæ, quam corporum: quoniam inde nascuntur deliria, & intolerabiles insaniæ, quibus mens, qua nihil pretiosius homini datum est diuinitus, oblæditur: vel potiùs in totum demigrat sine vlla spe reditus, brutam deterioremq; animi partem relinquens corpori communem cum bestijs. Quandoquidem sublata ratione homo in feram mutatur, vtcunque liniamenta humanæ speciei retineat. Veram quidem illam Magiam, hoc est, perspectiuam scientiam, per quam naturæ opera cernuntur clariùs, vt honestam expetendamque non plebei solùm sectantur, sed etiam reges regum maximi, præsertim Persici, tam curiosi harum artium, vt regnare non liceat, nisi cum magis versato. Ex hac adulterata deprauataque descendunt, quas maximè proprio vocabulo malas artes dicimus, circulatorum, ariolorumque

ſtudia,&mulierum mancipiorumq́; nequiſſimorum expiationes, luſtrationeſq́; profitentium mutationeſq; amoris in odium: aut è diuerſo in amorem odij, per quaſdam potiones & incantamenta idonea. Atq; his dolis inuncant ſimpliciſſimum quemq;, donec in calamitates ingentes pertrahant, vt nonnunquam magnæ familiæ cognationeſq́; paulatim inſidendo ſine ruinę ſtrepitu intercidant. His omnibus opinor conſideratis, noſter legiſlator non ſinit procraſtinari veneficorum ſupplicia, ſed abſque mora vult exigi, quod dilatio noxijs oportunitatem peccandi præbeat, vltrò ad mortem properantibus, cæteros verò ſuſpicione metuq́; repleat, exiſtimantes quicquid illorum vitę accedit, ſuæ ſecuritati decedere. Idcircò ſicut viperas, ſcorpios, aliaſq́; venenoſas beſtiolas, prius quàm mordeant, aut ſauciẽt, aut omninò ſe commoueant, ſine mora ad primum aſpectum occidimus, præcauẽdo genuinam eorum malitiam prius, quàm noceant: Eodem modo etiam homines plectendi ſunt, qui cùm ſint animalia rationalia, nihilo ſecius à natiua manſuetudine in ferinos mores degenerant, & pro delectamento habent lædendi quotquot poſſunt licentiam. Hactenus in præſenti de veneficis dictum ſit. Hæc Philo, in quibus materiam d.L.1. rectiſſimè explicat, quomodo grauius, plus atrociuſue ſit veneno quàm gladio occidere, & quod

ſecun-

secundum legem etiam diuinam per veneficos maleficii intelligantur. Consonant his etiam quæ prophani docent. Iustinian. Institut. Iuris ciuilis, de public. iudic. in §. Item lex Cornelia. vers. Eadem lege & venefici capite damnátur, qui artibus odiosis, tam venenis quàm susurris occidunt: susurris, id est, incantationibus, secundum Glossam. Sic Plato & Platonici, veneficij nomine, pro incantatione & fascinatione vtuntur. Plato lib. 11. de legib. Porphyrius lib. 2. de sacrificijs, & Iamblycus in lib. de mysterijs, & confirmo hoc ex LL. L. Qui venenum, ff. de verb. signific. & L. Quod sæpè. §. veneni. ff. de contrahen. empt. nomine veneni continetur omne, quod adhibitum, eius naturam, cui adhibitum est, mutat. Ergo nomine veneni maleficium seu incantatio etiam intelligitur, quia maleficio & incantatione corpus eius, cui incantatio siue maleficium applicatur, mutatur in peius, & inficitur veneno & morbo, nisi quis diuinas literas, canones & leges negare velit. Atq; hoc latini sermonis obseruantissimus etiam Calepinus obseruauit, in verbo, Malefacio tibi. Maleficæ mulieres incantatrices dicuntur, & veneficæ: & in verbo, Veneficus & venefica, qui vel quæ venena conficit, & qui incantationibus & cæteris malis artibus vtitur. Hinc triueneficus, id est, excellens veneficus. Plautus. Mussas adhuc triuenefica? Nomen ergo (venenum) commu-

ne est veneno naturali, & illi, quod incantatione & arte malefica siue magica conficitur. Quod etiam verum est apud Græcos. Φάρμακον enim vtrique conuenit, vt doctè admodum multorum auctoritate ostendit Ioannes Bodinus in confutatione opinionis Ioannis VVieri.

Dubium *hîc esse potest, quod mouet Salycetus, & breuius resoluit, An, quando aliquis emit aut præbuit venenum ad occidendum, & non secutus est effectus, teneatur pœna ordinaria?*

NON est dubitandum, quando effectus sequitur, tunc enim omnium consensu receptum est, quod pœna ordinaria afficiendus sit. Sed in casu proposito alia ratio est. Quidam distinguunt: Conatus præbendi venenum, aut ad remotum actum tantum venit, vt, emit aliquis venenum ad occidendum hominem, sed non propinauit, quia impeditus, vel pœnitentia ductus mentem mutauit: & in hoc casu, communissima est sententia, quod non puniatur pœna ordinaria, sed arbitraria, sic Salycet. & Angel. in præsenti L. Bald. in cons. 443. incip. Cecehus confecit. lib. 3. Didac. Couarr. in Clem. Si furiosus, de homicid. par. 2. non longè ab initio, num. 11. Menoch. lib. 2. de arbitrar. Iud. quæstionib. casu 360.

360.num.46.& alij à Couarr.& Menoch. citati. Aut conatus venit ad actum proximum, vt-pote emit aliquis & propinauit venenum: sed venenatus medicorum ope adiutus effugit mortem: tunc is maleficus pœna ordinaria punitur. Sic Salycet. Angel. Couarr. Menochius, & alij locis dictis. Alij indistinctè tenent, ementem & etiam propinantem venenum, non fore puniendum pœna ordinaria, si effectus non sequitur. Bertachinus in Repertorio Iuris, in verbo, Venenatio. Carerius in practica, fol.190.num.19.vt citatur à Didaco, Iulius Clarus lib.5.sentent.in §. Homicidium, num.14. Bertach. attestatur se hanc sententiam sæpè Romæ practicasse: & hæc magis communis opinio videtur, & in praxi receptior: vt Clarus docet. Hæc circa primam L. sufficiant.

LEX II.

Artem Geometriæ disci, atq; exerceri publicè interest: Ars autem mathematica damnabilis est, & interdicta omninò.

Nomine Geometriæ intelligitur scientia, quæ docet mensurare terram. De qua conscripsit libros Euclides, quos vertit Boëtius. In his varias mensuras, lineas, superficies, angu-

angulos & figuras Geometricas ponit. De hac eadem latè scripsit Orontius Fineus Delphinas in duobus libris. Plato in 7. lib. de Republ. magnis laudibus extollit Geometriam: & inter cætera attestatur, Geometriam ad veritatem animum attollere, & ad philosophandum præparare cogitationem, conducere etiam ad rem militarem, ad castra ponenda, regionem occupandam & ad machinamenta, quibus circa acies, vel in obsidione, vel in itinere vtendum est. Tantum Plato Geometriæ tribuit, quod voluerit scribi in foribus suæ scholæ, vt referunt: ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, id est, nullus ignarus Geometriæ ingrediatur. Iudicabat enim maximè interesse ad disciplinas comparandas, si quis Geometriæ vacasset.

Dubium circa literam huius L. mouere aliquis possit.

Mathematica dupliciter accipitur.

Quomodo mathematica, quæ est vna ex scientijs secundum philosophum lib. 6. methaphys. textu 2. & communem philosophorum sententiam, omnino damnatur, & Geometria, quæ eius est pars, tanquam vtilis Reipub. admittitur? Mathematica enim complectitur Arithmeticam, Musicam, Geometriam & Astronomiam. Respondetur, Mathematica dupliciter accipitur. Vno modo pro scientia, quę considerat quantitatem, ratione, sed non reà materia separatam vt Aristoteles loco cit. dicit: hæc cum consistat infra terminos humanæ rationis,

tionis, est vna ex humanis scientijs, vtilis & necessaria Reipubl. & dictas sub se continet scientias, eiq; Geometria subijcitur. Hinc Pythagoras, & multi eius scholæ discipuli firmiter statuebant, absq; mathematico quadriuio haud facilè philosophiæ apicem contingi, nec posse verum percipi. Et in initio quidem Geometria & Arithmetica, ab eodem Pythagora, referente ex alijs Ludouico Cœlio Rhodigino, lectionum antiquarum lib. 4. cap. 30. in mathematicarum album sunt aduocatæ, quod ad omnem scientiam, omnemq; disciplinam capescendam has cum primis accommodas perspexisset. Alio modo accipitur mathematica pro scientia diuinatiua, & iudiciaria, & hæc iuxta hanc L. omnino damnatur, quando non stat in certis & definitis terminis. Atq; huius mathematicæ professores, damnantur, & vulgò dicti fuerunt mathematici, vt cõstat ex Augustino lib. 4. Confess. cap. 3. Cuius verba referuntur à Gratiano 26. q. 2. c. Illos planetarios, quos mathematicos vocant, planè consulere non desistebam. & ibidem q. 4. cap. Igitur. ex eodem Augustino de natura Dæmonum. Hi sunt, qui vulgò Mathematici vocantur; cuius superstitionis genus constellationes latini vocant, id est, notationes syderum, quomodo se habeant, cum quisque nascitur. Primum autem ijdem stellarum interpretes Magi nuncupabantur. Postea hoc nomine solùm mathe-

matici

matici dicti sunt: hęc ibi. Ad idem facit illa lex CC. Honorij & Theodosij in L. Mathematicos. C. de Episcop. audien. Mathematicos, nisi parati sint, codicibus erroris proprij, sub oculis Episcoporum incendio concrematis, Catholicæ religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem primum redituri, non solum vrbe Roma, sed etiam omnibus ciuitatibus pelli decernimus. Nunc pro latiori intelligentia dictæ L. aliqua sunt quærenda.

QVAESTIO. I.

An corpora cœlestia agant in hæc inferiora?

Hac quæstione resoluta facilè patebit, ad quæ Mathematica & Astrologia se extendant.

Prima Conclusio. *Corpora cœlestia agunt, & imprimunt in hæc inferiora.*

S. Augustin. lib. 3. de Trinitat. cap. 4. Corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur, & D. Dionysius in 4. cap. de diuinis nominibus: Lumen solis ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitam ipsa mouet, & nutrit, & auget, & perficit. S. Thomas

1. part.

1.part.q.115.arti.3. S.Bonauent.in 2. d.14.part. vlt.& alij Theologi ibidem,& Aristoteles lib. 2.de generat.tradit,Solem,per accessum & recessum esse causſam generationum, corruptionum, aliarumq; variationum, quæ in his inferioribus fiunt.

Secunda Conclusio. *Corpora cœlestia non habent actionem vllam in creaturas purè spirituales, idest, in Angelos & Dæmones.*

QVIA corpora cœlestia sunt inferiora spiritualibus creaturis. Inferiora autem non agunt in superiora, vt docent S. Augusſt. lib.12.super Genes.cap.16. S.Thom.1.par.q.d. artic.5.

Tertia Conclusio. *Nullum cœlorum cogit hominis arbitrium,*

S.Thom.1.2.q.9.art.5. & loc.cit.art.4.& 6. S. Bonauent.in 2.d.24. part. vlt.q. 3. Damasc. lib.2. de fide Orthod. cap. 6. & alij in 2. d.14. Turrecr.in 26.q.2. can. Illos. Probatur ratione: Si cœlum cogeret liberum arbitrium: superius subderetur inferiori. Homo enim est superior cœlo & stellis, homo autem non est propter astra, sed astra propter hominẽ facta sunt.Præterea, si cogeretur voluntas ab astris, nec esset consilium, nec quid dignum pœna, aut præmio.

Quarta

Quarta Concluſio. *Mores hominum, & euentus futurorum, vel actus humanarum voluntatum ſimpliciter & ſufficienter attribuere conſtellationibus ſyderum, eſt ſuperſtitioſum, & contra fidem Catholicam.*

HIEREMIAE 10. cap. à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt. Deinde hoc ſpectat ad errorem Priſcilliani, qui dixit homines fatalibus ſtellis alligatos. Eius errorem damnauit Concilium Braccarenſ. primum cap. 9. Si quis animas & corpora humana fatalibus ſtellis credit aſtringi, ſicut Pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit: & cap. 10. Si qui duodecim ſigna, quæ mathematici obſeruare ſolent, per ſingula animæ, vel corporis membra diſtipata credunt, ſicut Priſcillianus dixit: anathema ſit.

Quinta Concluſio. *Diſpoſitiuè & indirectè corpora cæleſtia poſſunt agere in hominis voluntatem, & tunc eam contingenter inclinant, ſed non neceſſitant.*

S. Thom. 1. 2. art. d. S. Bonauent. & alij. Ratio eſt. Quia varia corporum diſpoſitio plurimum facit ad humanorum morum variationem. Cœlorum autem virtus poteſt directè in cor-

in corpus humanum imprimere, tunc tamen voluntas non cogitur, sed tantum inclinatur. Vnde dicitur: Sapiens dominabitur astris.

QVAESTIO. II.

An Astrologia, quæ est pars Mathematicæ, omninò sit prohibita?

DE hac materia tractant S. Thom. 2.2. q. 95. Alexand. Halen. 2. par. q. 184. Turrecr. in d. c. Illos. Alberic. in Repertorio Iuris, in dictione, Sortilegus. Troilus Maluetius in tractatu de sortibus, part. 1. Panorm. Ioan. Andr. Petr. Ancharan. & Ioan. de Anania cum alijs in cap. Extuarum, de Sortileg.

Astrologiæ duæ sunt partes.

Astrologiæ sunt duæ quasi partes. Vna, quæ tradit notitiam corporum cœlestium, & influentiam eorundem in hæc inferiora. Alia, quæ iudicat ex astrorũ & corporum cœlestiũ inspectione ac obseruatione de rebus, quæ occurrunt vel geruntur circa hominem: & hæc dicitur Astrologia iudiciaria, quæ quando in ferẽdo iudicio metas humani intellectus trãsgreditur, reprobatur: atq; vt hoc melius & rectius intelligatur, in primis notandum ex Doctoribus. Varij possunt esse effectus, de quibus Astrologus suum iudicium interponit. Aliqui sunt, qui necessariam naturalemque cum suis caussis coniunctionem habent, vt sunt Eclypses, oppositiones syderum, cõiunctiones pla-

planetarum, &c. Alij reperiuntur, qui non semper, nec necessariò à suis caussis dependent, sed vt plurimum: vt, siccitas, pluuia, sterilitas terræ, pestis, &c. Alij sunt effectus, qui contingenter, & fortuitò ex mera liberaq; hominis voluntate dependent. Alij sunt effectus quidem occulti & ab humana cognitione remoti, vt sunt ea, quæ occulta sunt: vt, furta secreta, thesauri in viscerib⁹ terræ, perditorum inuentio, &c. Et quoniam de singulis hisce effectibus potest esse dubium; per Conclusiones ponetur resolutio.

Prima Concluſ. *Astrologus si iudicium ferat de prioribus effectibus, qui naturalem necessariamq; dependentiam à sua caussa habent, non peccat contra vllam legem.*

PROBATVR. Tales effectus possũt cum certitudine scientiæ cognosci ex suis caussis, à quibus semper, naturaliter, & infallibiliter dependent: ergo nihil superstitionis est admixtum tali iudicio, sed spectat ad humanam scientiam. In hac Conclusione omnium est idem sensus.

Secunda Conclusio. *De effectibus secundi generis, qui ex astris & cœlorum motione non infallibiliter, sed sæpè eueniunt, infal-*

infallibiliter iudicare, & eos futuros prognosticare non potest Astrologus.

Probatvr. Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci: sed tales effectus non dependent ex suis causis necessariò & infallibiliter, ergo infallibiliter astrologus non potest de eis prognosticare. Deinde, tales effectus oriũtur non solùm ex syderum constellatione, sed etiam elementorum, mixtorũ, & corporum varia dispositione, quæ habẽt qualitates non rarò contrarias, quas Astrologi, aut nõ cognoscunt, aut non considerant: & quando ex aliqua parte in his contingit ignorantia, corruit cognitio, vt optimè Gabriel in 2. d 14. q. vnica prope finẽ docet. His accedit, quod ministerio bonorum Angelorum Deus hunc mundum regit & disponit, prout expedit homini, in cuius vsum hæc inferiora diriguntur. Homo autem aliquando peccat & Deum prouocat ad pœnam. Aliquãdo etiam ad cor per pœnitẽtiam redit, Dei misericordiã implorat, bona opera, quib⁹ Deum conciliat, exercet. Quare pro meritis & peccatis ministerio angelorum varias dispositiones nõ rarò Deus immittit, iuxta illud Psal. 106. posuit flumina in desertum, & terram fructiferam in salsuginẽ, à malitia inhabitantium in ea. Ex dictis infertur, qd si Astrologus tam perfectã haberet Astrologię cognitionem, quã Dæmones habent, sæpè posset prædicere &

verè prognosticare de huiusmodi effectibus, ex caussarum concursu.

Tertia Conclusio. *De prædictis effectibus coniecturaliter Astrologus potest prognosticare.* Conclusio constat ex dictis.

Quarta Conclusio. *De effectibus fortuitis, moribus, & actibus humanis ex libera voluntate dependentibus, Astrologus cum nulla certitudine potest aliquid prædicere.*

PROBATVR in primis ex sacris literis. Sic, futura prædicere spectat ad Deum. Esaiæ 41. Annunciate, quæ ventura sunt nobis, & sciemus, quod Dij estis. & cap. 47. Stent & saluent te augures cœli, Astrologi, qui contemplabãtur sydera cœli, & supputabãt menses, vt ex his annunciarent ventura tibi. Sap. 8. Signa & mẽstra scit, antequam fiant. Iob. 38. Nunquid nosti ordinem cœli, & ponentes rationem eius in terra? Deinde constat hæc Conclusio ex canonib. 26. q. 2. can. Illos planetarios, & can. Sed & illud: obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex ijs futurorum rimari, seruare somnia; superstitioni tribuitur. & q. 4. can. Igitur genus. Astrologi dicti, eò quòd in astris

astris augurantur, Genethliaci appellati sunt, propter natalitiorum cõsiderationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim cœli signa describunt, syderumq; cursu, nascẽtium mores, actus & euentus prædicere conantur: id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur. Hi sunt qui vulgò Mathematici vocantur, & ca. 2. de Sortilegijs: & de hac Astrologia etiam d. L. intelligitur, cùm ait: Ars autem Mathematica damnabilis est, & interdicta omninò. Damnant etiam sancti Patres hanc Astrologiam, & attestãtur eam esse superstitiosam, inutilem, vanam, & impossibilem. Ambros. li. 4. Exameron c. 4. Basil. in serm. in principium Prouerb. Gregorius in hom. de Epiphania Dom. August. latissimè lib. 5. de Ciuitat. Dei à principio, per aliquot capita. & lib. 2. super Genes. cap. 16. & 17. lib. 2. de doctr. Christiana, à cap. 21 per aliquot capita, & sup. Psal. 61. Euseb. de prẽparat. euangelica lib. 6. c. 6. 7. 8. & 9. Guilhelm. Paris. in tract. de legib. ad longum. S. Thomas 2. 2 q. 95. art. 5. S. Anton. 2. part. tit. 12. cap. 1. §. 6. & hanc sententiã omnes Theologi meritò sequuntur. Consentiunt Iurisperiti in locis in principio q. citatis. Ratio etiam est manifesta. Tales effectus non pendent à lege astrorum, vt ex suprà dictis patet: ergo per inspectionem astrorum non potest certa de his haberi cognitio. Fuit enim error Gentilium, astra efficientiam exer-

cere in actus humanos: quare diebus Septimanæ nomina planetarum assignarunt, Diem Dominicam soli, feriam secundam lunæ, tertiam Marti, quartam Mercurio, quintam Ioui, sextam Veneri, Sabathum Saturno: Sic à Sole dicebant se habere spiritum vitalem: à Luna corpus: à Marte sanguinem: à Mercurio ingenium & linguam: à Ioue temperantiam humorum elementarium: à Venere voluptatis delectationem: à Saturno humorem. Ex dictis patet impium esse dicere, quod sydera aut planetę efficaciter inclinent, & instigent quosdam ad furta, aliquos ad homicidia, alios ad luxuriam & Venerem, & sic de similibus. Quia natura corporum cœlestium est bona, & à Deo Opt. Max omnium bonorum auctore creata, ad bonum finem. Ergò eorum inclinatio naturalis est in bonum, & non ad malum. Alioquin cum dans formam, det etiam quę naturaliter formam consequntur, Deo esset tribuenda naturalis astrorum inclinatio ad malum. His addi potest, quod corpora cœlestia operantur sua opera secũdum Dei præceptum, quod nunquam transgrediuntur. Si ergò instigant ad malum: id fieret ex præcepto Dei, quod est accusare diuinam bonitatem, quæ omnia fecit valdè bona, vt diuinæ literæ docent. His omnibus id cõsonat, quod index librorum damnatorum à Cõcilio Tridentino in Regula sexta vult, vt Episcopi diligenter prouideant, ne Astrologiæ iudicia-

diciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, succeſſibus, fortuitiſq; caſibus, autijs actionibus, quę ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent.

Quinta Concluſio. *Damnabile eſt contra diuinas literas, contra canones & leges, per Aſtrologiam inueſtigare res occultas, furta ſecreta, theſauros, virginitatem, &c.*

Deuteron. 18. Non inueniatur in te, qui Pythones ac diuinos conſulat. Leuit. 19. Nõ declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini. Ex cap. 20. Anima quę declinauerit ad magos, &c. Et in iure canonico textus eſt in cap. 1. de Sortilegijs. & ibidem cap. Ex tuarum. Imponitur pœnitentia Presbytero, eò quòd acceſſit cum quodam infami ad priuatum locum, non ea intentione, vt vocaret Dæmonium, ſed vt inſpectione Aſtrolabij furtum cuiuſdam Eccleſiæ recuperaret. Et hoc fecit bono Zelo, & ex ſimplicitate: tamen grauiſſimum fuit id crimen iudicatum, & non modicam inde maculam peccati contraxit, vt canonait. De lege ciuili etiam non eſt dubium ex d. L. & infrà. L. Nemo Aruſpex. & in L. Item apud Labeonem quæritur. §. Si

quis astrologus,&c. Cōsultus aliquem furem dixerit,ff.de iniur.& famos.libell. &L.1.C.de Thesauris lib.10. Consentiunt Theologi,Canonistæ,& Iurisperiti in d.locis. Causa huius Conclusionis esse potest. Quia occulta reseruantur diuinæ cognitioni,& per naturales sciendi modos non possunt cognosci, ideo necesse est quod cognoscantur consilio aut auxilio Dæmonum, à quibus, cùm sint fallaces & inimici DEI generisq; humani, non licet aliquid sine maximo scelere inuestigare.

CIRCA PRAEDICTA POtest moueri dubium.

Si ex syderum & planetarum inspectione nihil possunt prædicere Astronomi de rebus & euentibus futuris: Quomodo ergo sæpè vera prognosticant?

RESPONDEO secundum ea, quæ ex Patribus adducit Bartholomæus Medina in 1. 2.S. Thomæ q.9 arti.6. veritas talium prædictionum non referēda est in constellationum obseruationem, sed ad alias quatuor potiores causas: nimirum ad sortes,ad pacta,ad prudētiam consultorum,& stultitiam consulētium. Vim sortis hoc facere, attestatur S.August.lib. 4.Confess.cap.3. Si enim, ait,de paganis poëtæ cuiuspiam longè aliud canentis atque intenden-

dentis, cùm sorte quis consuluit, mirabiliter consonus negocio sæpè versus exiret, mirandum non est, si ex anima humana superiore aliquo instinctu nesciente quid in se fieret, non arte, sed sorte sonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisq; concineret. Hæc August. Secundò, multa ab Astrologis dicta eueniunt non ex Astrologia diuinante, quę nulla est, sed societate & fœderibus inter eos & Dæmones constitutis, & sic Astrologi vera respondent ex occulto instinctu spirituum, vt S. August. docet lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 7. in fine. & lib. 2. de Genesi ad literam cap. 17. Fatendum (ait) est, quando à mathematicis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur: quod tamen ad decipiendos homines fit, spirituum immũdorum & seductorum operatione, qui quædam vera de temporalibus rebus nosse permittuntur. Tandem concludit. Quapropter bono Christiano, siue mathematici, siue quilibet impiè diuinantium & maximè dicentes vera, cauendi sunt, ne consortio Dæmoniorũ animam deceptam pacto quodam societatis irretiant.

Tertiò: implentur frequenter, quæ Astrologi prænunciant, non ex constellatione, sed sola animi prudentia, qua non solùm præterita recolunt, præsentiaq; perspiciunt, sed etiam futura prospiciunt, & quæ ventura sunt longè

antè præuident. Fiunt aliquando quidem homines exercitatione & longa rerum experientia ita sagaces, quod ex hominum & negotiorum circunstantijs bene consideratis, certitudine quadam morali de rebus futuris vera enuncient. Sic Hannibalem prudentissimum ducem, perspecta temeritate ac imperitia Terentij Varronis Romani Consulis, produnt veterum scripta prędixisse Afris victoriam, & Romanis cladem: quam prognosticationem rerum euentus confirmauit.

Quarta & postrema caussa est, consulentium stulta credulitas. Solet enim talis credulitas immittere credulis consulentium animis, aut spem fœlicitatis à diuinatore promissæ, aut metum calamitatis ab eo denunciatæ. Hi autem duo effectus crebrò efficiunt, vt humana negotia prænunciatos effectus sortiantur. Nam quemadmodum spes & fiducia ardua quæque opera audenter aggrediuntur, & fœliciter magnificeque absoluunt: Ita pauor & metus pauidè incipiunt, & incepta facili negotio imperfecta relinquunt. His addo cum S. Thoma 2. 2. q. 95. artic. 5. ad 2. quod Astrologi ex consideratione astrorum frequenter etiam vera prænunciant: quia plures homines passiones corporales sequuntur. Et ideò actus eorum disponuntur, vt in pluribus, secundum inclinationem cœlestium corporum. Pauci autem sunt, id est, soli

soliſapientes, qui ratione huiuſmodi inclinationes moderentur. Et ea de cauſſa, Aſtrologi in multis vera prænunciant coniectura quadã, & præcipuè in communibus euentibus, qui dependent ex multitudine. Vnum tamen hîc annotare licet de calendariorum noſtrorum ſcriptoribus, quorum cognitio eſt ex Aſtrologia, quod quidam tam multas faciũt prognoſtications de rebus futuris, vt moraliter loquendo, neceſſe ſit aliquod verum incidere. Nam qui multa dicit, non ſemper mentitur. Multorum autem ex vulgo tanta eſt credulitas, vt Aſtrologo ſiue mathematico ſæpè falſa prænuncianti, ſi in vno veritatem conijciat, fidem adhibeant certam. Melius autem mihi placent calendaria Italiæ, ex quibus aliqua vidi, quæ ſolum tempus, & lunæ ſoliſq; mutationes cum Eclypſibus indicabant.

QVAESTIO. III.

An Cometæ ſint ſigna bellorum, infirmitatum, calamitatum, aut mortis principum, &c.

Antequam quæſtio reſoluatur, quædam ſunt præmittenda ex Philoſophia.

Cometa generatur ex vapore ſicco, calido, terreſtri, craſſo, cuius partes adinuicem bene cohærent. Cauſſa eius efficiens eſt duplex.

Duplex est causſa efficiens.

duplex. Remota, & Proxima. Remota Cometæ cauſſa efficiens eſt ſol, qui radijs ſuis calefaciés terram, eleuat ex ea prædictum vaporem. Proxima autem cauſſa efficiens eſt, ſuprema regio aëris, quoad altiſſimam eius partē ſpheræ ignis contiguam. Nam vapor paulatim aſcendens, cùm peruenerit ad ſupremam illam partem æſtuantem & calidiſſimam, propter vicinitatem ignis, dilatatur.

Apparet autem potiſſimum in triplici figura, Comæ, Barbæ, & Caudæ. Hinc dicitur ſtella comata, quia in circuitu & ſecundum omnes partes emittit radios velut crines argēteos, & eſt quaſi coma capitis, quæ ex omni parte pendet à capite. Eandem ob cauſſam à quibuſdam ſtella crinita appellatur. Dicitur ſtella barbata, quando non ſecundum omnes partes in circuitu, nec ſecundum plures, ſed tantum ſecundum vnam partem emittit radios ad inſtar barbæ, quæ tantum ab anteriori parte fluit, ſcilicet à facie. Nominatur ſtella caudata, quando nec in circuitu, nec ſecūdum omnes partes, ſed tantum ex vna emittit radios oblongos, ad modum caudæ, & in hac figura frequenter apparet. Prouenit autem hæc diuerſitas figurarum in cometis, ex diuerſitate denſitatis & raritatis, & diffuſionis ipſius vaporis ſicci, calidi, terreſtris. Nam quando inflammatur in ſuprema parte ſupremæ regionis aëris, aliquādo attenuatur ſecundum omnes

nes extremitates in circuitu, in medio autem remanet densus: & tunc emittit radios in circuitu, fitq; comata stella. Aliquando est adeò crassus & densus, quod solùm in aliquas partes extremas, in quibus est minor densitas, attenuatur & diffunditur, & tunc secundum aliquas partes emittit radios, in quibus est minor densitas, & apparet vt stella habens barbam. Aliquando est adeo densus, quod vix secundum vnam partem minus densam potest ex calore ignis subtiliari & diffundi: & tunc ex tali parte tantum emittit radios, per modum caudæ.

Quantum ad colorem cometæ, aut est albus vt argentum, aut rubeus, vt ferrum ignitum, non tamen benè inflammatum: vel niger vt carbo extinctus. Ratio huius varietatis est, quia vapor ille diuersis modis potest variari. Aliquando est ita temperatæ densitatis, quod ex calore spheræ ignis potest subtiliari secundum omnes extremitates suas, & inflammari, & tunc ex flammę & sua subtilitate apparet, vt stella alba. Aliquando est adeò densus, quod non potest bene inflammari, licet igniatur: & tunc apparet vt stella rubea, & tanquam lignũ densum, ignitum, rotundum, à quo non exit flamma clara, sed rubea. Aliquando est adeò condensatus ex sua viscositate, quod nec ignitur, nec inflammatur, sed extinguit ignem sibi propinquum ex crassitia suæ materiæ; sicut quan-

quando in ignem proijcitur pomum viride, quod ex sua frigiditate & humiditate indigesta extinguit carbones sibi propinquos, & tunc talis vapor in suprema aëris regione non apparet, vt stella, sed vt carbo niger magnus. Quandoque autem vapor ascendens est adeo rarus & subtilis, quod dum appropinquat sphæræ ignis, citissimè consumitur ex calore ignis, sicut stipula, & leuis palea, quando in ignem proijciuntur magnum: & tum ex tali vapore non generatur aliquid apparens. Quando autem per aliquot dies pro dispositione materiæ cometa apparuit, resoluitur & conuertitur in ignem, vel aërem. De his Aristotel. lib. 1. Meteorologicorum. Albertus lib. 1. Meteor. tract. 3. cap. 5. Chrysost. Iauellus in Epitome in lib. Meteorolog. lib. 2. tract. 2. cap. 2. & alij alibi.

Cometa aut procedit ex caussa naturali aut supernaturali.

Tandem vt ad propositum reuertamur, & intelligatur quomodo liceat ex cometæ apparitione prognosticari, aduertendum est quod cometa aut potest habere ortum ex causis naturalibus modo dicto, aut ex miraculoia Dei dispositione.

Quæ sint significationes cometæ?

Quando ex naturalibus principijs cometa oritur, in primis potest significare famem futuram. Quia gignitur ex multo vapore sicco, calido, terrestri, eleuato ex intensa & diurna calefactione Solis: & sic terra multo tempore remanet exiccata, ob defectum pluuiarum, & aduritur, ita vt semina & alia vegetabilia non

possint

posint fructificare: & sic sequitur rerum necessariarum penuria, quam fames comitatur. Cometa etiam denotat pestem instare: Nam vapor siccus crassus, calidus, terrestris, qui est materia cometæ, inficit aërem vt venenum: aërem autem infectum homines attrahunt per respirationem, qui attractus inficit corpus, sequiturque pestis ex corruptione aeris. Præterea signat etiam prælia. Quia tempore cometæ est excessiua caliditas in aere diffusa, quæ inflammat spiritus in humano corpore existentes, ac reddit cholericos. Ex cholera autem excitantur homines ad iram, ex ira ad vindictam, ex vindicta ad prælia. Et quoniam ad prælia plerumque sequuntur mutationes dominiorum, sectarum & legum: solet dici, quod Cometa hæc omnia significat. Postremò, Cometa etiam significat mortem Regum & Magnatum tam naturalem quã violentam: naturalem quidem, quia tempore cometæ, vt dictum est, in aere excessiua caliditas diffunditur: deinde aer in excessu calefactus alterat corpora, præcipuè delicatè viuentium, vt sunt principes & Magnates; disponitque ad ægritudines peracutas, quæ vt plurimum mortem inferunt. Violentam etiam denotat, quia tempore cometæ bella, secundum dicta, oriuntur, in quibus principes & magnanimi pro suo honore se exponunt; ac sic frequenter pugnando succumbunt.

Cùm

Cùm autem Cometa ex ſpeciali Dei diſpoſitione apparet, ſemper ſignificat aliquam calamitatem imminentem, aut mortem Regum vel principum. Et in hac ſignificatione Theologi loquuntnr de Cometa. Cùm enim ſic naturalem nõ habeat productionem, nec ſit ſtella in firmamẽto poſita; eius quoq; ſignificatio non eſt naturalis. De his cometis & ſignis loquitur Damaſce. lib. 2. de fide Orthod. cap. 7. Adgignuntur autem, ait, & frequenter cometę & ſigna quædam interituum Regum, qui quidem non ſunt ex eis aſtris, quę ab rerum initio facta ſunt, ſed diuina iuſſione oportuno tempore conſtituuntur, & rurſus diſſoluuntur. Quandoquidem princeps eſt perſona communis, ex cuius morte frequenter ſolet oriri perturbatio totius regni, dé cuius cuſtodia angeli ſoliciti ſunt, iuſſu diuino angeli faciũt tales apparitiones in aëre, quandoq; ad ſignificandum mortem principum, qui præſunt populo: & tunc vtile eſt recurrere ad Deum per pœnitentiam, orationem, & alia opera pia. S. Bonauent. in 2. d. 14. q. vlt. Ex varijs Scriptoribus placet aliqua adferre exẽpla. 2. Machab. cap. 5. Cùm Antiochus ſecundam profectionem in AEgyptum pararet, contigit per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatẽ videri quadraginta diebus per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtas quaſi cohortes armatas, & curſus equorum per ordinem

digę-

digestos,&congressiones fieri cominus,& scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs districtis,&c. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti. 4.Reg. cap.7.In castris Syriæ Dominus fecit apparere sonitum tumultumq; curruum & equorum, &exercitus maximi,quibus auditis aduersarij obsidionem soluerunt,fugeruntq;. Iosephus li.7.de bello Iudaico,de stellis&cometa precedentibus deuastationẽ Hierosolymorum,per Titum & Vespasianum,loquitur in hęc verba: Infœlicem plebem teterrimi quidam homines& deceptores, falsa vaticinãtes suadebant, vt euidentibus signis & indicijs iracundiæ, & indignationis diuinæ non crederent, quibus apertè futurum & vrbis & gentis præsagiebatur excidium, sed velut afflati & amentes,& qui neq; oculos, neq; animas in se haberent, spernebant omnia, quæ cœlitùs minabantur. Eteniñ stella præfulgens,gladio per omnia similis,imminere desuper vrbi;& cometes præterea exitialibus flammis ardere visa est per totum annum. Sed & ante excidij & belli tempus,cùm populi ad festum conuenirent,octauo die mensis Xantici(qui est Aprilis)tempore noctis hora nona tãtus luminis fulgor aram templumq; circum dedit, vt putarent omnes diem clarissimum factum,& permansit spacio horæ mediæ.Quod imperitis quidem & ignaris prosperum videbatur, sed legisperitos &

probos quosq; non latuit exitiale portentum? Et post pauca. Sed & transacto die festo post aliquot dies, prima & vicesima die mensis Arthemesu (qui apud nos vocatur Maius) prodigiosus apparuit visus, & fidem penè excedens, quod verè falsum putaretur, nisi oculorum fidem confirmasset malorum consecuta pernicies. Etenim prope solis occasum visi sunt currus & quadrigæ in omni regione per aërem, & armatorum cohortes miscerì nubibus, & vrbes circumdari agminibus improuisis. S. Gregor. hom. 1. super Euangel. in illud Luc. 21. Et unt signa in sole: narrat, quod ante effusum sanguinem Christianorum tempore Gotthorum, vel Longobardorum, in Italia visæ sint acies igneæ in aëre, priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, & has acies ipsemet S. Gregorius vidit, vt atteſtatur. In vita S. Thomę Aquinatis legitur, cometa per triduum ante ipsius mortem super monasterio fossæ nouæ, vbi infirmabatur, stetisse, & eo mortuo non amplius apparuit. S. Antonin. 2. part. tit. 12. c. 10. §. 1. tradit An. Dom. 1400. apparuisse Cometam per longum tempus, habentem comas nigras, & signasse mortem magni ducis Mediolan. qui tunc mortuus est. Et in principio regiminis Eugenij IIII. eodem Antonin. referente, apparuit cometa cum crinibus quasi argenteis, & deinde secuta sunt multa mala bellorum & mutationes.

Dicunt

Dicunt autem Cometam semper radios suos ad illam partem dirigere, ad quam minatur calamitatem, aut malum imminens. Quare secundum dicta tunc tempus est redeundi ad sanam mentem, & recurrendum est ad Deum, vt amoueat mala imminentia.

QVAESTIO IV.

Quid de Physiognomia membrorum corporis humani sentiendum, an liceat ex hac diuinare de moribus, & vita?

DIFFICVLTATEM facit, quod quidam Iurisperiti Physiognomiam referunt ad indicia: & dicunt, quod sicut bona prodest, ita mala nocet reo, quia mala facit quem præsumi procliuem ad scelera. Bald. in L. 2. C. Quorum appellationes non recipiuntur. nu. 5. Hippolit. de Marsilio in practica Criminali §. Expedit. num 53 & Paris de puteo ab eo citatus, in tractat. Syndic. charta 108. Iosephus Mascard. de Probationib. volum. 2. conclus. 831. num. 27. Et Gregorius Nazianzenus Athenis Iulianum conspiciens, antequam imperio potiretur, ex ipsius Physiognomia de moribus iudiciũ tulit exclamando: Deus bone quãtum malum Romanum fouet imperium? quod postquã ad imperium peruenit, cognitũ est, vt videre licet ex ipso D. Greg. in oratione

inuectiua secunda in Iulianum, & Nicephoro lib.10.cap.37. Socrates etiam verum Zopyri iudicium de seipso ex ipsa physiognomia sumptum, illum scilicet stupidum, libidinosum, & bardum esse futurum dixit, nisi naturę motus incomposítos Philosophiæ studio rectius moderatus fuisset, auctore Cicerone in lib. de fato. Et Democritus Milesius Diagoram Milesium seruum emit, eo quod ex physiognomia intelligebat eum optimo ingenio præditum: vt testatur Suidas. Huc facit illud Ciceronis, in oratione pro Roscio Comædo: Oro atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se vtriusque conferte: Qui non nostis, faciem vtriusque considerate: nonne ipsum caput & supercilia penitus abrasa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis vnguibus vsque ad verticem summum (si quam coniecturam adfert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijsque constare totus videtur, qui idcirco capite & supercilijs semper est rasis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur? In horum etiam confirmationem est, quod Paulus Grillandus lib. 2. de Sortilegijs q. 3. num. 14. & Troilus Maluetius de Sortib. 1. part. num. 32. ex mente Aristotelis approbant Chiromantiam, quæ fit in lineamentis manuum, tanquam scientiam naturalem.

De

De materia physiognomiæ legendi Doctores. Pelbartus in Rosario aureo Theologię 2. parte. verbo, Corpus humanum, à §. 18. Conradus à Vagis, in lib. de signis. cap. 8. & ex naturalibus Aristot. in li. de physiognomia. Galenus in lib. An mores sequantur temperaturã corporis. Barthol. Cocles Bononiens. medicus in compendio physiognomiæ, & Pomponius Gauricus Neopolitan. in tract. de eadem materia, & Plato in Timæo.

Antequam aliquid in speciali de physiognomia, quæ imaginem quandam diuinationis induere videtur, cùm versetur circa iudicium morum humanorum, dicatur, pro introductione & cognitione rei quædam regulæ generales physiognomo sunt obseruandæ, quarum sit

Prima: Humana membra, quæ in proportione naturali sunt, quò ad figuram, colorem, situm, motum & quantitatem, indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Et è contra: membra quæ non habent debitam proportionem, signant peruersam mentis qualitatem. Propterea Plato dicebat, quod quæcunque similitudo animalium aliquorum est in hominibus, tales homines etiam talium animalium imitantur mores: puta similitudo porci indicat carnalem concupiscentiam: similitudo canis, iram: Leonis, rapinam, &c.

Secunda regula. Licet per signa membrorum naturalium mores hominum cognoscantur, non tamen imponunt necessitatem, sed tantum inclinationem naturæ ostendunt probabiliter, & cum coniectura.

Tertia. Propter signa exteriora, non statim proferendum est iudicium de moribus hominum. Quia fortè signum est per accidens, & non per naturam: aut fortè natura deuicta est per contrariam bonam consuetudinem, & frenum rationis cohibentis naturam ad malum inclinatam. Sic legitur, quod cùm Philomenes dixisset ex Physiognomia iudicãdo de Socrate, eum esse luxuriosum: & Socrates illud percepisset, discipulis referentibus, respondit: Verum naturaliter iudicauit, sed ego naturam vici ratione.

Quarta. Vt physiognomia sit licita, non debet iudicare de donis diuinis & gratuitis: Quia Deus auctor naturæ, non est ei alligatus, sed distribuit dona sua prout vult.

Quinta. Physiognomiæ iudicium non debet procedere ad ea, quæ extrinsecus adueniunt, vt sunt honor, diuitiæ, mors violenta, fortuna bona aut mala, &c. nec etiam ad ea negotia, aut status conditiones, quarum electio ex mera & libera voluntate dependet. Quoniam huiusmodi non sequuntur naturæ complexionem & inclinationem, sed originem sumunt ex alijs caussis.

Sexta

Sexta. Quando signa contraria in eundem incidunt, vt sæpè contingit, habenda est ratio præcipuorum, & eorum, quæ maximè ad substantiam pertinent, & minus ad accidens: vt, exempli gratia, fortitudinem magis propriè latera magna significant, quàm fuscus color.

Septima & vltima regula. Præcipua cura physiognomiæ consistit in vultu, & maximè in oculis. Quare Philosophi communiter affirmarunt oculum esse verum cordis indicium.

His generalibus præmissis, de physiognomia membrorum, aliquid ad recreandum lectorem, ex auctoribus annotandum est, & à superiori parte incipiendum & descendendum vsque ad infimam.

Pili molles timidum, sicut duri fortem significant: Hoc signum sumptum est ex animalibus. Lepus & oues mollissimos habent pilos, & sunt timidissima animalia. Leo autem & aper, cùm habeant duros pilos, fortissimæ sunt bestiæ. Si autem pili sint molles & rari, hebetem ingenio denotant: Si crispi, timidum & lucri cupidum: Si subnigri, & moderatè tenues, bonos mores indicant.

Caput nimis magnum, stolidum declarat: globosum & breue, sine memoria & sapientia: humile & superius quasi planum, insolentem: oblongum, & malleo simile, prouidum designat.

Frons nimis angusta, indocilem indicat; lata, minus discretum: rotunda, iracundum: humilis & demissa, verecundum: Quadrata & moderatę magnitudinis, sapientem & magnanimum.

Supercilia si sint longorum & multorum pilorum, significant ferum & magna meditantem.

Oculi quando variè mouentur, vt modò currant, modò quiescant, signant mala reuolui in animo: Si sint glauci, splendore tamen micantes, significant peruigilem ad nocendum: oculi purè nigri, hominem sine virtute lucri cupidum: Si minores iusto, pusillanimem: Si debito maiores, tardum: Si in mediocritate constituti, bene natum ostendunt.

Aures prominentes & valdè magnæ significant stoliditatem & garrulitatem, valdè paruæ, malignitatem, paruæ astutum: pendulæ demissum; arrectæ solicitum.

Nasus si grossior fuerit, significat concupiscentem: Si in extremitate ingrossetur, insensibilem: Si acuatur, irascibilem. Simus, lubricum. Aquilinus à fronte perpendens, magnanimum indicat. Qua de causa, vt ferunt, Persæ Regem non eligebant, nisi eum, cui nasus esset regius, id est, aquilinus: eò quod hoc signum sit magnanimi & prudentis viri, qui aptissimus est ad regendum.

Facies

Facies dependens, cogitatorem ſubdolum: Si carnoſior debito, concupiſcibilem tumidumq́;: Si macilenta, ſolicitum: minor debito, puſillanimem illiberalemq́;: Maior æquo, tardum: Superrubeſcens, verecundum: pallida, meticuloſum: moderata in colore, figura & compoſitione, temperatum prodit.

Labia ſoluta aliquantulum ab ore dependentia inertem deſignant: Subtilia in extremitate relaxata, ſi ſuperius inferiori intercalatim iungitur, magnanimum: Labia autem bene colorata, & plus ſubtilia, quàm groſſa, ſignificant hominem bonæ conditionis in omnibus, magis natum ad virtutes, quàm vitia.

Os vltra modum dilatatum, voracem & immitem ſignificat: os autem, cuius parua eſt clauſura & apertio, pacificum, timidum, ſecretum & verecundum, &c.

Mentum paruum & breue, immitem & inuidum indicat: prolixum aliquantulum, minus iracundum: nimis prolixum, doloſum: Quadratum, moderatè bonum.

Pectus multis carnibus congeſtum, indocilem: Si autem longius ſit ventre, prudentem ſignat: Si nimietate pilorum ſimul cum ventre tegatur, inſtabilem: Si autem ſolum pectus habet pilos, animoſum denotat.

Manus & brachia, quando ſunt tam prolixa, vt erecto corpore extremitas medij digiti appropinquat ad genu, licet fortè menſura qua-

quatuor digitorum deficiat, significant humilem, fortem & liberalem. Manus crassæ, si breues digitos vltra modum habent, insidiosum & furem: sed intortæ manus & tenues, significant voracem & loquacem.

Vngues albi & plani & molles subrubei, tenues & bene perlucidi, optimum ingenium indicant. Vngues nimis breues, malignum.

Pedes grossi & valde breues, infirmum: nimis prolixi, dolosum: Pedes bene lati magis articulati & neruosi, fortem ostendunt.

Quantum ad colorem corporis humani, color cutis niger versutum indicat: albus rubeusque, fortem & animosum: color vehemèter albus cum pallore, defectum virium ex nimia victoria phlegmatis denotat. Color ignitus lucentibus oculis, ad insaniam vel furiam tendit. Color autem medius inter nigrum & album, qui declinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenij, & bonorum morum. Hæc breuibus dixisse sufficiat. Qui curiosius vult inquirere, legat Doctores citatos.

Ita tamen dictis signis fidem habeat, vt suprà positas regulas non transgrediatur.

QVAE-

QVAESTIO V.

An ars Alchimiæ sit alicuius veri effectus operatrix, quantum ad transmutationem rerum in alias naturas, ac an possit licitè exerceri sinæ suspicione magiæ?

Huius quæstionis materiam in diuersis locis attingunt Theologi, Iurisperiti, & Physici. Nos autem doctrinam more nostro, Conclusionibus comprehendemus.

Prima Conclusio. *An virtute artis Chimicæ verum aurum fieri possit, Problema esse potest.*

Conclvsio constabit ex sequentibus. Fieri posse hac arte verũ aurum, nec repugnare naturæ, existimant Albert. Magnus li. 3 de mineralibus, tractat. 1. cap. 9. adductis pro ea sententia etiam alijs Arabibus. Antonius Mirandulanus in lib. 19. sect. de euersione singularis certaminis, & quidam Ianus Lacinius, qui de facultate Chimica in transmutandis metallis scripsit, vt referunt Hieronym. Cardanus, & post eum Benedictus Pererius lib. 1. cap. 12. aduersus fallaces & superstitiosas artes, & ex Iurisperitis, Oldradus in cons. 74. incip. An Alchimista

mista peccet, & post eum Panormit. in cap.2. de Sortileg. Ioan. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de crimine falsi. Alberic. in dictionario, in verb. Alchimia. Fabianus de monte S. Sauini, de empt. & vendit. q.5. princip. num.8. Ioan. ab Anania in d. cap.2. de Sortileg. Ancharan. ibidem cap.1. & alij alibi. Et ex Theologis non repugnare naturæ & Physicæ existimant, Pererius loco cit. Sylvest. in verb. Alchimia, n.2. Caietan. 2.2. q.77. art.2. Pro hac sententia hæ sunt potissimum rationes. Ea secundum naturæ ordinem sunt inuicem transmutabilia, quę non habent omninò diuersas operationes, sed easdem in eo tantum differentes, quod quædam habent eas imminutas & imperfectas, sicut fœtus comparatione infantis, ouum respectu pulli, &c. Sed æs, plumbum, argentum, &c. nullas habent operationes ab auro distinctas: sed quas hoc habet, vt pote liquescere, duci, graue esse, nitere, ignibus resistere, easdem habent illa, licet vitiatas & imminutas; non enim ita splendent, non sunt adeò grauia, minus resistunt ignibus, non tota liquescunt, nó tam tenuiter ducuntur. Ergo sunt veluti aurum imperfectum, & beneficio artis perduci possunt ad perfectũ & verum aurum. Hinc eá addere possumus, quam Albertus insinuat simul etiam modum efficiendi declarans in hęc verba: Oportet nos dicere Alchimicos peritos, non aliter operari quàm peritos medicos,

qui

qui per medicinas purgatiuas purgant materias corruptas & nocentes sanitati, & postea per remedia confortantia naturam, iuuant virtutem naturalem, vt digerendo sanitatem inducant, quæ sanitas est effectus & naturæ & artis: sed illius effectiuè, & principaliter, huius autem organicè & instrumentaliter: Sic Alchimistæ primò bene purgantes materiam argenti viui & sulphuris insitam omnibus metallis confortant: deinde deducunt vires elementares & cœlestes tali materiæ inhærentes ad proportionem mixtionis metalli quod intendũt inducere: & tunc ipsa natura operatur, & non ars, nisi organicè iuuando & expoliendo, & sic verum aurum & argentum educere & facere videntur. Quod enim virtutes elementares ad cœlestes faciunt in vasis naturalibus, sĩ artificialia formantur ad modum vasorum naturalium: & quod facit natura calore solis & stellarum, hoc faciet ars calore ignis, dummodo sic contemperetur, vt non excedat virtutem se mouentem & informantem, quæ est in metallis: Huic enim cœlestis inest virtus, quæ primò commiscuit eam, & hęc inclinatur ad hoc vel illud, per artis iuuamen. Alchimia igitur per hunc modum procedit, id est, corrumpens vnum à sua specie remouendo, & cum iuuamine eorum, quæ in materia insunt alterius speciem inducendo. Quare omnium operationum Alchimicarum melior est illa,

quæ

quæ procedit ex eiſdem, ex quibus procedit natura: Sicut ex purgatione ſulphuris per decoctionem & ſublimationem & expurgationem argenti viui, horumq; bona permixtione cum materia metalli, in his enim & ex virtutibus horum, omnis metalli ſpecies inducitur. Qui aũt per alba albificant, & per citrina citrinant, manente ſpecie prioris metalli in materia, procul dubio deceptores ſunt, & verum aurum & argentum non faciunt: & hoc modo ferè omnes vel in toto, vel in parte procedunt. Sic Albert. Poſtremò omnia metalla procedunt ex eodem principio, vt hæc opinio videtur præſuppone-re, ſcilicet ex ſulphure & argẽto viuo. Et ex virtute elementorum, ac influentia aſtrorum: ibi producitur pretioſius metallum, vbi hæc influentia maior & perfectior. Hinc per influentiam aſtrorum cum herbis & lapidibus, quibus inſunt multæ magnæque virtutes, via naturali vna ſpecies metalli poteſt conuerti in aliam magis pretioſam, maximè cùm in habentibus ſymbolum, iuxta Ariſtotelis doctrinã facilior ſit trãſitus. Cùm ergò ars naturam imiteturin hoc, quantum poteſt, videtur quod per virtutẽ herbarum, lapidum, aut elemẽtorum aliorum vnum vile metallum in pretioſius poſſit tranſmutari: Quandoquidem ambo ſunt ex eiſdem principijs ſulphure & argẽto viuo. Inſunt enim rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ & occultæ rationes, quibus arte diſpoſitis

positis & temperatis ad perfectũ prorumpunt in species debitas suis modis & finibus, vt indicat text. in c. Nec mirum. §. Aruspicinæ. prope finem. 26. q. 5. Hac ratione vt plurimum mouentur Iurisperiti locis cit.

Negantem partem tenent Auicenna in commentarijs super libros Meteororũ vt eum allegat Aegidius Roman. quodlibeto 3. q. 8. Auerr. in paraphrasi super 1. lib. de generatione animalium in cap. 1. Conciliator differentia 209. & ex Theologis D. Thom. in 2. d. 7. q. 3. art. 1. ad 5. & in qq. disput. de poten. q. 6. art. 1. ad 18. Aegidius loco cit. Michaël de Palatio in 2. d. 7 & alij alibi. S. Thomas in d. d. 7. ita declarat suam mentem: Potest, inquit, ars virtute naturalium agẽtium aliquas formas substantiales inducere in materiam. Sunt tamen quædam formæ, quas nullo modo ars potest efficere, quod propria actiua & passiua earum non potest inuenire atq; adhibere, sed bene simile illis aliquid efficere. Sicut Alchimistę faciunt aliquid simile auro quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum, eo quod forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo Alchimistæ vtuntur, sed per calorem solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis, & ideo tale aurum non habet operationem consequentem speciem: Et similiter in alijs, quæ eorum operatione fiunt: AEgidius aliter ostendit. In vnoquoque genere entium.

entium, quædam sunt perfecta, alia imperfecta: Perfectorum autem generatio est determinata tam secũdum principium actiuum & secundum materiam, quàm secundum locum in quo sit: Imperfectorum aũt minimè: Exempli causſa. In genere animalium quæ sunt perfectiora ita se habent natura, vt equus non generetur, nisi ab equo, & ex sanguine menstruo equæ, & intra matricem. At mures possunt generari ex semine, & sine semine, intra matricem & extra. Idem perspicitur in plantis, idemq; similiter contingit in elementis, nam purus ignis elementaris, nec generari nec conseruari potest nisi in suo loco naturali, id est, in cõcauo lunæ. Ergo similiter etiam eueniet in metallis. Quare cùm aurum sit perfectissimum omnium metallorum, habebit determinatum agens & materiam, & locum naturalem, & propriam venam, quę latet intra sinum & ventrem terræ, extra quem locũ aurum nullo modo confici possit. His tamen addiderim, nõ omnes Alchimistas conuenire in principio vno eodemque, ex quo aurum producitur, vt ex Alberto loc. cit. cap. 7. & 8. constat, qui varias sententias hac de re colligit: Vnde adhuc incertior eorum sententia redditur. Argumenta quæ fiunt prò posteriori sententia diluuntur ex eis, quæ Pererius adfert. Priori verò opinionis rationes confutãt pro parte AEgidius & Gregor. de Valentia in 2.2.

S. Tho-

S. Thomæ disput. sexta generali. q. 13 de vanis obseruationib. puncto 2. Ex his elicitur:

Secunda Conclusio. *Adhuc sub iudice lis est, an virtute Alchimiæ verum aurum fieri possit.*

Hanc docent Hieron. Cardan. de varietate rerum, lib. 10 cap. 51. S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 2. ad primum: dum ait: Ad primum ergo dicendum, quod aurum & argentum non solùm cara sunt propter vtilitatem vasorum, quæ ex eis fabricantur, aut aliorum huiusmodi: sed etiam propter dignitatem & puritatem substantiæ ipsorum. Et ideò si aurum & argentum ab Alchimicis factum, veram speciem non habeat auri & argenti, est fraudulenta & iniusta venditio: præsertim cùm aliquæ vtilitates auri & argenti veri secundum naturalem operationem ipsorum sint, quæ non conueniunt auro per Alchimiam sophisticato. Sicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates medicinaliter iuuat. Frequenter etiam potest poni in operatione, & diutius in sua puritate permanet aurum verum, quàm aurum sophisticatum: Si autem per Alchimiam fieret aurum verum, non esset illicitum ipsum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus ad producēdum naturales & veros effectus: sicut

Augustin. dicit in lib.3.de Trinitate,cap.8.de his quæ arte Dæmonum fiunt. Hæc S.Thom. Sotus lib.6. de iustitia & iure, q.3.art.2.ad 1. respondet. An verò per Alchimiam exprimi possit verum aurum,sub iudice S.Thomas relinquit. S.Thomæ sententiam etiam apprehendunt Andreas ab Isernia,& Iacob.Aluarot. in cap.1.Quæ sint regalia. de vsibus feudor.& alij tam Iurisperiti,quàm Theologi.Hęc conclusio satis probatur ex diuersitate sententiarum,&incertitudine principiorum,vt visum est in præcedenti Conclusione.

Tertia Conclusio. *Moraliter loquendo impossibile, aut difficile,rarumq; est virtute artis Chimicæ verum producere aurum,vt ferè impossibile,& supra humanum captum videri possit.*

HANC tradunt Cardan. & Mirandulan. Pererius & Gregor.Valentianus loco cit. Aurea Armilla in verb. Alchimia, & pro hac sententia interpretatur D.Thomam. Bartholom.Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi, vndecima parte,Quadragesima consideratione,& alij alibi.

Nunc conclusio probatur,atq; in primis ab experientia,quæ rerum magistra est,&qua veritatem discimus. Non inueniũtur,aut saltem rarissimè inuẽti sunt, qui hac arte verum aurũ effe-

effecerint. Ars autem probata & vera, vt plurimum suum effectum producit, vt inductione omnium artium firmissimè constat. Quis enim artem pinsendi panes possibilem respectu sui effectus affirmaret, si vix in centum annis & tunc adhuc cum maxima difficultate effectū debilem consequeretur? Quis industriā studiumq; efficiendi ferrum potēs ad producēdum ferrum iudicaret, si ferè semper suo fine frustraretur, & non, nisi rarissimè ferrum produceret, de cuius tamen rarissima productione adhuc dubitaretur, an ferrum verum & legale esset, atq; vtile ad omnem ferri vsum? Si ergo ars Chimica potest aurum efficere, quare non vt reliquæ artes vtiles & necessariæ generi humano semper, & vt plurimum & facile suum effectum consequitur. Talis enim ars aut est naturalis potentia, aut est habitus. Si est naturalis potentia, ergò omni homini communis est: cuius tamen contrarium apparet. Si est habitus, vt necessariò Alchimici & omnes rectè sentientes confiteri debent. Ergò promptè, faciliter, & vt plurimum operatur, suumq; effectum producit. Id enim est de ratione habitus. Videmus autem arte Chimica cum difficultate, longa expectatione, & magnis sumptibus non tam produci verum argentum & aurum, quàm ex vero argento & auro generari fumum, dum Alchimistæ, ad semper desideratum, & nunquam habendum

effectum, aut saltem infirmum & coloratum maximas expensas faciunt, quæ in fumum resoluuntur, vt rectè loquitur Cardinalis Caietan. super 2.2. S. Thomæ q. 77. art. 2. & in summa, verb. Alchimia; & sic suas facultates, omnemque substantiam in ventum stolidè conuertunt. Ideoq;, vt bene Caietan. in d. art. 2. infert, huiusmodi ars, aut non humana: aut principum post res consultas cum sapientibus est. His adiungere possumus, quod nemo cum laude & fructu talem artem verbo, aut scripto tradiderit: quod signum est, talem artem impossibilem, & inanem esse: Cùm sapientis sit prodere rem laudabilem & necessariam reipublicæ, in hominum notitiam. Imò prodit Albertus Brunus in tract. de augmento & diminutione monetarum statim à principio, num 13. & 14. (habetur hic tractatus in 2. vol. Oceani iuris, non longè à fine) de Magistro Arnaldo de Villa Noua, qui tempore Ioannis Andreæ in Curia Romana, vt hic in addit. ad Speculator. in tit. de crimine falsi attestatur, summus fuit medicus, Theologus & magnus Alchimista, imò & Dæmonum inuocator, quod Ioan. Andreas non obseruauit: sed Franciscus Pegna in Comment. in Directorium, 2. part. q. 11. nec non seminator multorum errorum & hæresum, de quibus directorium inquisitorum in d. q. 11. Bernardus de Lutzenburgo in Catalogo hæreticorum lib. 2. & Gabriel

briel Prateolus lib. 1. cap. 69. de vitis & sectis hæretic. quod fecerit in scientia Alchimiæ librum vnum, qui mille homines depauperauit: aut quia non verum, aut quia non intelligitur: & subdit Brunus: Cùm haberem quendam socium in legibus multum insudantem in illa arte, (intelligeAlchimicam) volui videre vnum mirabile experimentum, vt plura scirem. Nam habuimus nobiscum vnum antiquum Alchimistam pauperrimum tamen: & me præsente, meus collega reduci fecit vnciam vnam argenti pretiosissimi ad instar auri in pondere, fusione, & maleatione saluo colore: quia non erat croceus, sed mutatus ad instar quasi plumbei coloris: & ille collega meus habebat modum dandi colorem, & croceum, & illa materia patiebatur & sustinebat aliqua experimenta: sed non extremum experimentũ, & admixta cum tantundem auri pretiosi videbatur aurum 20. characterum, & plus & minus, secundum quod illa materia erat melius disposita, & quidam magnus Prælatus, ac multi antiqui Alchimistæ mirati fuerunt de illo experimento, & vnus antiquus Alchimista, putans se diuitem, putabat reducere illam materiam ad veram speciem auri, & non potuit, putauiq; tunc ipsam artem illusoriam, maximè ex quo tot viri in 40. aut 50. annis non viderunt tam notabile experimentum, quod nihilominus erat sophisticum, ita vt aliud ex-

perimentum videre noluerim. Hæc Brunus.

Quarta Conclusio. *Licet arte Alchimiæ moraliter non possit effici verum aurum, aut alia transmutatio naturalis in aliquod metallum perfectum, nihilominus Alchimia potest habere aliquos veros & vtiles effectus.*

HANC tradunt Cardan. & Pererius loc. cit. nec puto esse aliquem qui neget. Sunt autem hi effectus. Primus. Potest Alchimia vnum metallum fieri simile alteri, quantum ad accidentia, & superficiem exteriorem, vt ferrum æri, stannum argento, æs auro, &c. lapilli viles, pretiosis gemmis, atq; in hoc exercitio multum versantur Alchimistæ: cùm id multum iuuet ad decipiendum simplices, & ad exhauriendũ loculos incautorum. Secundus. Virtute etiam artis commodè & facilè educi potest, si quid potentia cõtineatur in aliqua alterius metalli materia, & in hoc casu nõ est tam productio metalli noui, quàm separatio eius quod permistum erat cum alijs in terra & fodinis. Nemo enim est qui neget, quandoq; in fodinis metallorum aut plumbo esse permistum aliquid argenti, aut æri parum auri: & sic de similibus. Atque hoc ipsum quicquid latet potest arte secerni, vt indies expe-

experientia cognoscunt, qui viciniores sunt fodinis metallorum. Sicut enim non omnis fert omnia tellus: ita etiam non vbique in visceribus terræ materia metallorum reperitur. Tertius effectus. Quod vi ignis potest multa purificare, nec non distillationes facere quæ suas etiam vtilitates habent. Ex his sequitur.

Quinta Conclusio. *Ars Alchimica ex sua natura & obiecto non est illicita.*

Hanc docent Cardin. Caietan. in sua summula. verb. Alchimia. Rosell. Sylvest. & Aurea Armilla, in eod. verb. Petrus à Nauarra lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 66. & seq. Oldrad. Ioan. Andr. & Panormit. loco cit. & alij alibi. Contra tamen hanc Conclusionem sentit Angel. in verb. Alchimia, eamq; vt illicitam omninò condemnat: sed Angeli opinio in hoc sensu ab alijs reprehenditur, eiusq; argumẽta Sylvest. in d. verb. q. 4. dissoluit. Ratio Conclusionis redditur, quia hæc ars ex se non habet repugnantiam cum ratione: cùm vtatur naturalibus causis ad naturales effectus & arti conuenienter producendos, quibus etiam aliquis finis intendi bonus potest. Vnde Cardan. lib. 10. de varietate rerum, cap. 51. ait: Quæ ab Alchimistis fiunt, ea vel

ad voluptatem pertinent, vel ad vsum: Ad voluptatem sunt gemma & metalla nobiliora: Ad vsum, tincturæ, colores, materiæ vasorum, & alia similia. Hinc Alchimia, vt ait Sylueſt. in d. verb. ſtatim à principio poſt S. Thomam ſuper Boëtium de Trinitate computatur inter ſcientias ſubalternatas Philoſophiæ naturali, habentes opus corporale, quę dicantur artes mechanicæ, cuiuſmodi eſt etiam medicina, & videtur reduci ad artem fabrilem, quantum ad materiam. His addo quod ars, quæ ſine peccato exerceri poteſt, non eſt illicita. arg cap. Negotium. de pœnit. d. 5. quod deſumptum eſt ex B. Gregor. hom. 24. in Euang. Nauarr. in d. c. Negotium. & in Manuali Confeſſ. cap. 14. num. 34. Quod etiam confirmatur per doctrinam S. Thom. & Caietani 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4 Sylueſt. in verb. Ars. q. 4. quando S. Thomas inquit: Ad quartum dicẽdum, quod ſi quæ ars eſt ad faciendum aliqua opera, quibus homines vti non poſſunt abſque peccato, per conſequens artifices talia faciendo peccarent, vtpote præbentes directè alijs occaſionẽ peccandi, puta ſi quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia. Si qua verò ars ſit, cuius operibus homines poſſunt bene & malè vti (ſicut gladij, ſagittę, & alia huiuſmodi) vſus talium artium non eſt peccatum. Sic S. Thomas. Sed arte Alchimiæ poteſt quis rectè & bene vti, producendo modo arti

huma-

humanæ proportionato effectus veros & naturales ad finem aliquem bonum, vtpote ad moderatam delectationem, aut aliquem vsum necessitati communi expedientem, vt ex superioribus apertum est. Ergo ars Alchimica ex sua natura non est illicita. Dictum in Conclusione (ex sua natura & obiecto.) Quia ratione circumstantiarum variè vsus artis chimicæ potest reddi illicitus, vt ex sequentibus plenius constabit.

Sexta Conclusio. *Artis Alchimicæ studium si dirigatur ad faciendum verum argentum & aurum ex alio metallo inferioris gradus, est vanum & stultum.*

Eadem ratio est in alijs perfectioribus speciebus, quas quandoq; pauperes & fallaces Alchimistæ promittunt, sed nunquam præstant. Hanc Conclusionem tradunt Caietan. 2 2. q. 77. artic. 2. Sylvest. in verb. Alchimia q. 4. Petrus à Nauarra, & Pererius loc. cit. Gregor de Valent. in comment. 2. 2. disput. 6 q. 15. punct. 2. eruditè & latè, & alij alibi. Nunc pro Conclusione sit Prima ratio. Vanum & stultum est studium, quod impenditur rebus, quæ humanum ingenium & facultatem superant, & quarum nunquam & rarissimè effectus acquiritur. Sed huiusmodi est studium Alchimiæ in casu huius Conclusionis, vt latius probatum

batum

batum extitit in tertia Conclusione. Secunda, Imprudens & stolida opera meritò iudicaretur eius negotiatoris, qui vacaret negotiationi, in cuius exercitio ex mille vix vnus aut alter essent, qui non maximam suarum fortunarum iacturam facerent, & nullum lucrum acquirerent. Tertia. Non est viri prudentis laborem & industriam impendere, vt Sisyphi saxum voluat, aut montes transferat: Cùm id impossibile omnes sapientes existiment, & meritò iudicét id non esse opus humanarum virium. At etiam moraliter impossibile est, verum aurum, aut argentum ex inferiori metallo efficere, vt supra ostensum est. Ergo stultum est, velle arte Chimiæ aurum producere. Quare verè de Chimicis dici potest illud Psal. 4. Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quærunt enim Alchimistæ aurum quod nunquam in rerum natura fuit, nec eorum opera fieri potest, promittunt quod reddere nequeunt, & conuenientissimè huic hominum generi accommodatur illa D. Pauli 2. ad Timoth. 3. inserta 26. q. 5. cap. Nec mirum. §. Aruspicinæ. semper addiscentes, nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.

Septima Conclusio. *Alchimiæ opera est inutilis & perniciosa reipublicæ, si ordinetur ad faciendum verum aurum & argen-*

argentum, aut gemmas pretiosas,

Hanc docent Angel. & Sylvest. in verbo Alchimia. Pererius & Gregor. de Valentia loc. allegat. Franciscus Pegna in Commentar. super direct. Inquisitor. 3. par. comment. 26. colum. fin. Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi, vndecima parte, 40. consideratione, & alij alibi. Ratio huius Conclusionis est. Quoniam ars Alchimiæ considerata in ordine ad effectus intentos in Conclusione, aperit & sternit viam multis deceptionibus, & fraudibus: vnde sæpissimè & frequentissimè imponitur non solùm simplicibus, sed etiam magnatibus, qui aureis splendidisque verbis, quibus montes aureos promittunt Alchimistæ, cùm nec ferreos præstare queant, deliniti, magnos inutilesque sumptus cum iactura propriarum fortunarum, & magno subditorum onere, impẽdunt. His accedit, quod etsi hæc ars non possit facere verum argentum & aurum, aut pretiosas gemmas, tamen expoliendo, tingẽdo, varijsq; modis & coloribꝰ vtẽdo, potest inducere similitudinem veri argẽti & auri, ita vt hominibus falsum pro vero Chimici vendant, aut cõmutent: hinc etiam nascitur euidens & certa occasio adulterãdi monetam, & expilandi rempubl. Vnde Albert. lib. 3. de mineralib. c. 9. aptè ad propositum loquitur in hæc verba: Qui per alba albificant, & per citrina citrinant, manente specie prioris

metal-

metalli in materia, procul dubio deceptores sunt, & verũ aurum atq; argẽtum non faciunt: & hoc modo ferè omnes vel in toto, vel in parte procedunt. Propter quod ego experiri feci aurum Alchimicum quod ad me delatum est, & postquam sex aut septem ignes sustinuit, tandem amplius ignitum consumitur & perditur, & quasi ad fecem reuertitur. Sic Albert. Hinc DD. testantur aurum arte Alchimiæ cõfectum, non diu durare, sed redire ad suam priorem materiam: Et dicit Michaël de Palatio loco cit. quod à magno & perito Alchimista intellexerit hoc aurum non durare vltra decem annos. Nec etiam, vt communiter DD. produnt, aurum alchimicum habet vsum in medicina, nec confortat: Quæ omnia eius falsitatem arguunt: Quamuis sæpè cauti & fallaces Alchimistæ ita suas fraudes occultare didicerint, vt quasi omnes probationes illud delinitum aurum sustineat, quamuis cum tempore tandem fraus detegatur. Atq; ex hoc genere Alchimistarum fuit quidam Marcus Bragadinus, magnus habitus in hac arte, qui multos & magnos etiam decepit hoc exercitio, & tandem pro suis laboribus, cùm etiam Germanis simplicioribus suæ gentis hominibus imponere vellet, Anno 1591. capitis supplicium Monachij in Bauaria pertulit. Atque hic Marcus ante mortem scripto propria manu exarato, toti mundo testatus est vanitatem puluerum, quibus

quibus aurum fieri voluit, vt testis est Gregorius de Valentia loc.cit.qui scriptum vidit, atq; cum eodem Marco pro salute animæ egit. His omnibus fortissimum præbet argumentum Pontifex Ioannes XXII.in extrauag. incipienti: Spondent. quæ habetur inter extrauagantes communes, in tit.de crimine falsi: Vbi in sequentem modum decernitur.

Spondent quas non exhibent diuitias pauperes Alchimistæ,pariterq; qui se sapiétes existimant, in foueam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubiè huius artis Alchimiæ alterutrum se professores ludificant, cùm suæ ignorantiæ conscij,eos qui supra ipsos aliquid huiusmodi dixerint, admirantur : quibus cùm veritas quæsita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, ijdem verbis dissimulant falsitatem : vt tandem quod non est in rerum natura,esse verum aurum vel argentum, sophistica transmutatione confingant: eoq; interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, vt fidis(seu fictis) metallis cudant publicæ monetę characteres fidis oculis, & non alias alchimicum fornacis ignem vulgum ignorãtem eludant.Hanc autem perpetuis volentes exulare temporibus, hac edictali constitutione sancimus, vt quicunq; huiusmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri secuto facto mandauerint, vel ad hoc scienter,dum id fieret, facientibus ministrauerint,

aut

aut scienter vel auro, vel argento vsi fuerint, vendendo vel dando in solutum: Verùm tanti ponderis aurum, vel argentum pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quãti alchimicum existat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè constiterit deliquisse: facientibus nihilominus aurum vel argentum alchimicum, aut ipso, vt præmittitur) scienter vtentibus, perpetuæ infamiæ nota respersis.

Ex his infertur id quod DD. maiori consensu tradunt non licere vendere regulariter argentum & aurum alchimicum pro vero argento & auro, nec margaritas & gemmas sophisticatas arte Chimiæ pro veris & naturalibus gemmis & margaritis. S. Thomas 2.2. q. 77. arti. 2. ad primum. Caietan. ibidem, & in summula verb. Alchimia. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 17. §. 4. Sylvest. in verb. Alchimia. q. fin. Nauarr. in Manual. Confess. cap. 23. num. 89. Petrus à Nauarra lib. 3. de restitut. cap. 2. num. 65. & seq. Andr. ab Iserna. Bald. & Aluarot. in cap. 1. Quę sint regalia, de v. sib. feud. & alij alibi. Ratio est, quoniam fraudulenta & iniusta efficitur venditio, tum quia emẽs si sciret, non emeret, cùm non sit ei æquè commodũ aurum sophisticatũ atq; verum, tum quia non habet eosdem effectus, vt ad confortãdum, & imponendum medicinis. Postremò quia per omnia non est tanti valoris & prẹstãtiæ, sed est defectus in substãtia, & mu-

& mutatio tantum in accidentibus, aut saltem magna permixtio aliorum metallorum. Quæ omnia non solùm reddunt emptionem inuoluntariam, sed etiam iniustã & ex parte pretij & valoris. Nemo enim dubitat verũ aurum & argentum maioris esse pretij quã sophisticatum, & aliquam vilem gemmã non æquiualere pretiosæ margaritæ, pro qua ab Alchimista perito sophisticata possit vendi & distrahi. Si autẽ aurum sophisticatum, aut lapillus bene expolitus, pro auro sophisticato, aut gemma colorata, ita vt non pro substantia vera, quæ tantũ apparet, venderetur scienti ad vsum aliquẽ, vt ad ornatum & splẽdorem, non cõmitteretur aliqua iniustitia. Vel vt Bald. in d.c.1. in verb. Item monetæ loquitur: Si impenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, sine aliqua falsificatione formæ aut materiæ non punitur Alchimista:

Octaua Concluſ. *Ars Alchimiæ est periculosa, & pernicioſa, etiam ipsi Chimistæ studioso artis, aut eam exercenti respectu bonorum animæ & corporis.*

Hanc Conclusionem colligo ex DD. qui de hac re scripserunt, & cã latius probo. In primis ex S. literis. Eccle. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutat⁹ fueris, & post pauca. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus. *Eccles.*

Plu-

Plurima enim supra sensum hominnm ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspicio illorum, &c. Et qui amat periculum, in illo peribit. Sed ea quæ intentantur arte Alchimiæ, sunt altiora, quàm vt hominis ars ea attingere queat, & sunt superuacua, & curiosa, vt ex dictis satis constat. Ergo sunt periculosa. His accedit quod prout visum supra, talis ars multis subiaceat regulariter deceptionibus & fraudibus. At decipere, & fraudes doloséque committere, non solùm est periculosum & pernitiosum animæ, quam decipiens, aut defraudans occidit, sed etiam corpori Vnde etiam Alchimistæ detectis suis fraudibus & dolis puniuntur in corpore, suspenduntur, aut capite truncantur, vt est exemplum in dicto Marco Bragadino: aut si longius procedant, adulterando monetas etiam quandoque igne consumuntur. Familiare tamen multum est Alchimistis, vt postquam multis splendidis promissionibus, & longa aurei vel argentei thesauri expectatione pecuniam emunxerint, loculosq; suorum patronorum insipientum, & diuitum propemodum exhauserint, aut cú notabili damno facultates extenuauerint, seu in fumum verterint: animaduerterintq; iam amplius locum suam artem non habituram, sed fraudes sine vlteriori mora detegendas, fugam arripiant, non salutato hospite. Postremò etiam nemo ambigere potest, hanc artem

officę

officere substantiæ externæ ipsius artificis siue Alchimistæ, quoniam sępè ditissimi exercitio huius artis ad summam miseriam & maximã inopiam deueniunt, vt DD. communiter attestantur. Angel. & Sylvest. in verb. Alchimia, Baptista Mantuanus lib. 3. cap. 2. de patientia. Perer. & Gregor. de Valentia locis cit. Mirandulan. vbi supra. & alij alibi. Vnde Albert. Brunus loco cit. testis est, quod liber scriptus de Alchimia à magistro Arnaldo de Villa Noua, mille depauperauerit, & Alberic. in L. 1. ff. de pignorat. actio. ait. Multos vidi ad extremam paupertatem deductos, & nullum ditari. Vbi etiam subiungit se audiuisse à medicis, quod hæc ars noceat corporis valetudini. Huic congruum est, quod Ioannes XXII. in d. extrauag. vocat eos pauperes Alchimistas, & dicit, quod facultates exhauriant.

Nona Conclusio. *Alchimistæ vt plurimum etiam sunt inuocatores Dæmonum, ita vt Alchimia sæpè sit coniuncta cum magia.*

Hanc docent Eymericus in Directorio inquisitorum. 3. part. in tit. de signis exterioribus per quæ Necromantici hæretici dignoscuntur, & Franciscus Pegna in Comment. ibidem. num. 115. & in 2. part. comment. 36. Nec sunt alieni ab hac sententia Iurisperiti, quan-

do docent Alchimiam esse licitam, si fiat sine arte magica, aut alia prohibita & legibus odiosa, vt volunt Oldrad. Ioan. Andreas, Petrus Ancharanus Ioannes ab Anania, & alij plerique in locis allegatis in prima Conclusione. Roboratur hæc Conclusio ex L. vnica, lib. 10. de Thesauris, vbi permittitur vnicuique thesaurum in proprijs locis quærere, sine sceleratis ac puniendis sacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odiosa.

Ratio autem ab Eymerico auctore directorij, optima hæc redditur; quandoquidem Alchimistæ, quando non possunt pertingere ad finem intentum, Dæmonis auxilium quærunt, inuocant & implorant, & implorando obseruant, & tacitè vel expressè sacrificant. Sic Arnaldus de Villa noua, qui fuit Alchimista, magnus etiam fuit hæreticus, & Dæmonum inuocator. Annotat tamen Franciscus Pegna circa hanc Eymerici rationem, plurimum referre intelligere, à quibus Alchimia exerceatur: Nam si à Principibus tractetur, & opulentis, ac pecuniosis diuitibus, hac fortasse suspicione, quam ei tribuit Eymericus, vacabit. Quod si à pauperibus, vel mediocriter diuitibus vsurpetur, quoniam isti maiori ex parte ad inopiam rediguntur, ad duo incommoda solent se conuertere: aut ad Dæmones inuocandos, aut ad falsam & adulterinam

rinam monetam cudendam. Imò rectè etiam ab Angelo in verbo Alchimia obseruatum est aliquando diabolica fallacia apponi, & occultè adduci verum aurum, vt Alchimistæ feruentius huic arti inuigilent. Ex his omnibus clarissimum redditur, nemini consulendum esse, vt tali arti vacet, sed potius omnibus persuadendum, vt eam, vti rem periculosam, pernicioſam, & cunctis bonis odiosam detestentur. Hinc rectè se habet illud dictum à Francisco Pegna relatum loco citato.

Ars suspecta probis, ars ipsa inuisaque multis,
Inuisos etiam cultores efficit artis.
Mendaces, addo, multi manifestè videntur,
Qui seipsos, aliosque simul frustrantur inertes,
Dum rerum vertere species tentant.

LEX III.

Nullus aruſpex, nullus ſacerdos, nullus qui huic ritui aſſolet miniſtrare, ad limen alterius accedat, nec ob alteram cauſſam, ſed ab huiuſmodi hominum amicitia (quamuis vetus) repellatur: concremando illo aruſpice, qui ad domum alienam acceſſerit: & illo in inſulam deportando, poſt ademptionem bonorum, qui eum euocauerit ſuaſionibus vel præmijs: Accuſatorem autem huius criminis non delatorem eſſe, ſed dignum magis præmio arbitramur.

QVANTVM ad intelligentiam literę huius L. Aruſpex dicitur ab auræ inſpectione, eò quod momenta temporum & horarum inſpiciat, quo puncto aliquid ſit inchoandum. Secundum Gloſſam Aruſpex poteſt etiam dici ab aue & inſpicio: quia exauium garritu diuinat. Alij aruſpex, quaſi horarum inſpector. Parùm videtur referre, an dicatur auruſpex, vel aruſpex, vel cum aſpiratione haruſpex, vt aliqui putant: & ſic componi dicunt ab hara, & ſpicio. Hara verò auis eſt, cui vaticinantes haruſpices intendebant. Poteſt etiam dici ab ara, hoc eſt, à victimis in ara aſpiciendis, quoniam auſpices exta pecudum inſpiciunt, vt ex eis futura prædicant: ſed quo-

quomodocunque legatur, mens legis ſaluatur, cùm eius intentio ſit diuinationem prohibere, quæ diuerſis medijs contingit. Ad huius L. explicationem facit can. Igitur genus. 26. quæſt. 4. ex Auguſtino de natura Dæmonum vbi dicitur, quod Haruſpices nuncupati, quaſi horarum inſpectores: Dies enim & horas in agendis negotijs, operibuſque cuſtodiunt: & quid per ſingula tempora obſeruare debeat homo, intendunt. Hi etiam extra pecudum inſpiciunt, & ex eis futura prædicunt. Augures ſunt, qui volatus auium, & voces intendunt, aliaque ſigna rerum, vel obſeruationes improuiſas hominibus occurrentes ferunt. Iidem ſunt & auſpices: Nam auſpicia ſunt, quæ iter facientes obſeruant. Dicta autem ſunt auſpicia, quaſi auium ſpicia: & auguria, quaſi auium garria, id eſt, auium voces & linguæ. Item augurium, quaſi auigerium, quod aues gerunt. Duo autem ſunt genera auſpiciorum: Vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos, ſcilicet volatus: ad aures, vox auium. Hæc in d. can. Haruſpicinæ artem primus Hetruſcis tradidiſſe dicitur quidam Tages. Hic ex horis Haruſpicinam dictauit, & poſtea non apparuit. Nam dicitur fabulosè, arante quodam ruſtico ſubitò ex glebis exiliuiſſe, & haruſpicinam dictaſſe, qua die & mortuus eſt. Quos libros Romani ex Hetruſca lingua in propriam

Duo ſunt genera auſpiciorum.

mutauerunt, vt habetur 26. q.5.can. Nec mirum.§. Haruſpicinæ.

Nomine ſacerdotis intelligitur ſecundum Gloſſam, doctor Necromantiæ, aut diuinator, iuxta Salycetum, Angelum & alios. Qui huic ritui ſolent adminiſtrare, ſunt malefici & venefici, & ſimiles diabolicis artibus & ritibus operam dantes. Cum talibus nulla eſt conuerſatio habenda. Amicitia reproborum eſt repellenda, vt ait Salyc. Pœna ignis hac L. ſtatuitur in diuinatores. Si quis eos conſulat aut recipiat, deportatur in inſulam, & bona eius publicantur. Ad prohibitionem huius L. facit ſciptura, Deuter. 18. Non inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem : aut qui ariolos ſciſcitetur & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, aut incantator, neque qui Pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo. Leuit. 19. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia. Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Et cap. 20. Anima, quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meá contra eam, & interficiam eam de medio populi. Et in fine cap. ibidem. Vir ſiue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis ſpiritus fuerit,

fuerit, morte moriantur: lapidibus obruent eos. Est etiam grauis prohibitio in iure canonico. 26. q. 5. can. Si quis Episcopus, aut presbyter, vel diaconus, vel quilibet de ordinibus clericorum aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut certè augures vel sortilegos, vel qui profitentur artem magicam aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus, monasterij curam accipiat, ibique pœnitentiæ perpetuæ deditus scelus admissum sacrilegij soluat. Qui canon est ex Concilio Toletano quarto, c. 28. & in ead. q. can. Augurijs, ex Concilio Carthaginensi 4. c. 89. & can. nec mirum, & in eadem causa multi sunt canones ad idem propositum. Notandum etiam in d. L. quod consulens & recipiens augures & diuinatores, mitius punitur pœna deportationis & ademptionis bonorum: Ipse autem diuinator aut augur concrematur. Pœna deportationis olim in multis casibus imponebatur, sed nunc non est in vsu. Quidam dicunt, quod eius loco successerit decapitatio. Alij putant bannum perpetuum dictam pœnam supplere, quos refert more suo Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. fin. practicæ crim. q. 67. numero 8. Receptior nunc sententia est, loco deportationis iudex imponat pœnam arbitrariam, iuxta qualitatem facti & personæ, nec non aliarum circunstantiarum.

Sic Clarus loco cit. & Menochius de arbitrar. Iud. qq. lib. 2. casu 330. qui plures in hanc sententiam citat. Dicit tamen Clarus, quod non consuleret iudici, vt loco deportationis imponeret pœnam mortis, vbi pro eo delicto non esset imposita à statuto, vel à consuetudine, & ita obseruatur. Vnum hic tam ex lege diuina, quam canonica & ciuili annotandum, quod quamuis grauissimum sit peccatum diuinatores consulere, eorum operam requirere, & responsa expetere: tamen hisce temporibus sine scrupulo multi eos acedunt, cum Magistratus scientia & tolerantia, nec est qui cogitet vel minima pœna eos afficere. Imo nec ipsi diuinatores aut sortilegi puniuntur. Quare quia principijs non adhibetur remedium, non est mirum si homines paulatim in maioria scelera cadant.

QVAESTIO I.

An diuinatio per augurium aut auspicium omnino sit illicita?

VIDETVR quod sic, ex scripturis citatis, præsenti L. & can. in quibus locis damnantur augures, aruspices, & diuinatores.

De hac materia agunt S. Thom. 2. 2. q. 95. S. Antoninus 2. part. tit. 12. cap. 1. §. 8. Syluest. in summa, in verb. Superstitio. Alij summistæ in eo-

eodem verbo, vel in verbo Sortilegium, & diuinatio. Ioannes à Turrecremata in 26. q. 2. can. Sed & illud. Archidiac. in eod. c. q. 4. cap. Igitur.

Circa hanc vanitatem multum gentiles fuerunt curiosi. Vnde singulariter certas aues obseruabant. Phryges, quid cornix loquatur, inquiunt, diligenter ausculta, situmq; eius sedentis aut volâtis nullatenus contemnas. Refert enim plurimùm à dextris sit, an à sinistris, qua positione respiciat cubitum gradientis: loquax sit an clamosa, an silens omninò: præcedat, sequatur, transeuntis aduentum, an fugiat, quoúe discedat, non negligenter ferunt attendendum. Hinc illud Vergilij:

Quid, nisi me quacunq; nouas incidere lites,
Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix?
Nec tuus hic Meris, nec viueret ipse Menalcas.

Referunt quidam, quod ea die, qua Alexander natus est, duæ aquilæ super culmine partis domus eius tota die sederint, auspiciũ duplicis imperij, Europæ Asiæq; præferentes. Semper autem auguratores arbitrati sunt infausta esse bubonis, strigis, & noctuæ auguria. Ad quem finem tendit illud narratum in historia Scholastica, quod Herodes Agrippa, cùm esset Romæ in carcere quodam, quidam Augur dixit ei: Nol timere: quia citò liberaberis & sublimaberis, & in illa prosperitate morieris: quod præsens bubo in arbore residens

demonstrat. Quàm citò autem huius generis animal super te videris, vltra quintum diem viuere non valebis. A gentilibus ad nostra tempora puto hanc superstitionem deriuatam. Multi si ægrotent, molestissimè ferunt noctuæ clamores. Sed his omissis superstitionibus, veritas rei determinanda est.

Prima Conclusio. *Licitum est aliquando ex garritu, motu, aut auium dispositione futura prædicere, quæ pendent ex instinctu naturali auium.*

CVM enim bruta animalia habeant animam tantum sensitiuam, cuius omnes potentię sunt actus corporalium organorum, subiacet eorum anima dispositioni continentium corporum, maximè cœlestium, & ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa, in quantum conformantur dispositionibus corporum cœlestium, & aëris continentis, ex quibus proueniunt aliqui futuri euentus. In hoc tamen duo considerandà sunt: Primum quidem, vt operationes huiusmodi non extendantur, nisi ad præcognoscenda futura, quę efficiuntur per motus cœlestium corporum, de quibus suprà. Secundum vt non extendantur, nisi ad ea, quæ aliqualiter possunt ad huiusmodi animalia pertinere. Consequuntur enim per cœlestia corpora cogni-

cognitionem quandam naturalem, & instinctum ad ea, quæ vitæ sunt necessaria, sicut sunt immutationes, quæ fiunt per pluuias & ventos, & alia huiusmodi. Sic S. Thomas loco citato, quem sequuntur S. Antonin. Turrecrem. Sylvest. & alij. Ad huius conclusionis confirmationem facit illud Hieremiæ 8. Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Sic quædam aues quando frequenter garriunt, indicant futuram pluuiam. Sic grues & hirundines præsentiunt futurum frigus hyemis, ac fugiunt ex partibus nostris, & aduentante calore æstatis, redeunt. Sic etiam experientia compertum est, quod quando perdices, aliæ aues, aut lepores, vel quædam alia animalia circa medium hyemis pinguiora sunt, longius erit frigus: quia natura hoc dictante, & quasi præsagiente, se impinguant. Hęc enim & similia cùm sint naturalia & sensibilia, vtpote ad conseruationem indiuidui necessaria; à dispositione cœlestium corporum imprimuntur naturæ sensitiuæ animalium.

Secunda Conclusio. *Ex auium gestibus prædicere aliqua futura, quando mouentur ad aliquid agendum motu angelico, non est illicitum.*

VT patet in columba super Christum descendente: & in coruo, qui pauit Heliam: & in

& in cete, qui euomuit, & eiecit Ionam. Sic S. Thomas & Doctores citati.

Tertia Conclusio. *Ex motibus aut garritu auium futura, quæ non subsunt eorum naturæ, aut cælorum motui: prædicere non licet.*

HANC Conclusionem probant sacræ literæ, canones & leges locis citatis. Quia sic futura prædicere, non potest prouenire, nisi ex pacto cum Dæmonibus, qui vtuntur motibus & vocibus auium ad deceptionem illorum, qui talibus intendunt.

Quarta Conclusio. *Quæ dicta sunt de motibus & vocibus animalium, quantum ad futurorum præsagia, eadem locum habent in cæteris animalibus ratione carentibus.*

QVIA similium similis est ratio. Dictis obstare videtur, quod legitur de Ioseph Genes. 44. cuius dispensator dixit: Scyphum, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet. Et ipse dixit postea fratribus suis. An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia? S. Augustinus in quæstionibus super Genesin cap.

cap.145.dicit Ioseph dixisse, non esse similem sibi in scientia augurandi ioco, & non serio, referens fortè hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur. Et sic etiam dispensator eius locutus est. Hanc responsionem S. Thomas in q.d. art.7.ad 1, & Doctores reliqui amplectuntur.

QVAESTIO II.

An diuinatio per somnia sit licita.

Tractant S. Thom. q. dicta artic. 6. S. Antonin. loco cit. §. 7. Turrecremata 26. q.7. can. Non obseruetis. Sylvest. in verbo Superstitio. Somniorum etiam materiam ad longum prosequitur Cœlius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 14. à cap.40. & latissimè Benedictus Pererius lib. 2. de magia.

Ante resolutionem annotandum est, quod aliquid, quod significat alterum, cum eo aliquam coniunctionem habere debet. Vel per intellectum, vt hædera vinum vendibile significat: vel secundum rem, prout fumus denotat ignem. Res autem cum re connectitur aut vt causa, aut vt effectus, aut per accidens, vt, exempli gratia, aliquis nocte somniat se hominem occidisse, interdiu ex accidenti ab alio homo occiditur. Deinde considerandum est,

est, ex Theologorum doctrina, quod somnia futurorum euentuum quandoq; sunt caussa vtpote cùm alicuius mens solicita ex his, quæ videt in somnijs, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum. Quandoq; somnia sunt signa aliquorum euentuum, in quantum reducuntur ad aliquam caussam communem somnijs & futuris euentibus; & secundum hoc vt plurimùm præcognitiones futurorum in somnijs fiunt. Quandoq; etiam effectus, qui consideratur à somniante, merè per accidens, & casualiter se habet ad somnium.

Caussa somniorum duplex.

Considerandа ergò est caussa somniorum, quæ in primis duplex est: Interior, & exterior. Interior, quæ latet intra ipsum somniantem. Exterior, quæ est extrinseca ipsi somnianti. Interior somniorum est iterum duplex. Vna animalis, in quantum ea occurrunt hominis phantasiæ in somno, circa quæ cogitatio & affectio intenta fuit in vigilando. Alia caussa interior somniorum est corporalis, quando ex interiori corporis dispositione formatur aliquis motus in phantasia, conueniens suæ dispositioni. Sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrit quod sit vel in aqua, vel niue. Caussa etiam exterior somniorum est duplex. Corporalis & Spiritualis. Corporalis, quando imaginatio dormientis mouetur, immutaturq; vel ab aëre ambienti, vel ab impressione cœlestium corporum,

porum, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes dispositioni corporum cœlestium. e g. somnio me esse in aqua, quoniam aëris dispositio est in propinqua dispositione ad pluuiam, & sic in corpus meum influit. Sicut enim quando cœlestia corpora influunt in corporalem materiam, formæ variæ producuntur: vt, plantarum, lapidum, metallorum similiumque rerum. Sic virtute eorundem corporum, in phantasia, quæ corporeis organis immersa est, possunt formari phantasmata conformia alicui effectui à cœlestibus corporibus producendo. Spiritualis caussa exterior etiam duplex esse potest. Bona, quando Deus aliqua reuelat ministerio angelorum, vel alio modo: & Mala, quando mali spiritus se insinuãt phantasiæ dormientis & aliquid ad decipiendũ reuelant. Has omnes somniorum caussas distinctius D. Gregor. lib. 8. moral. in c. 7. Iob. c. 18. & li. 4. dial. cap. 48. exprimit & ostendit. Aliquãdo namq;, ait, somnia vẽtris plenitudine, vel inanitate: aliquãdo verò illusione: aliquando autem cogitatione simul & illusione: aliquando autẽ reuelatione: aliquando autẽ cogitatione simul & reuelatione generãtur. Sed duo quę prima diximus, omnes experimẽto cognoscimus, subiũcta autem quatuor in S. Scripturę paginis inuenimus. Sõnia etenim nisi plerũq; ab occulto hoste per illusionẽ fierẽt, nequaq̃ hoc vir sapiẽs indicaret, dicens:

dicens:Multos errare fecerunt ſomnia & illuſiones vanæ,&c. Non augurabimini:nec obſeruabitis ſomnia. Quibus profectò verbis, cuius ſint deteſtationis oſtenditur: quæ augurijs coniunguntur. Rurſus niſi aliquando ex cogitatione ſimul & illuſione procederent, Salomon minimè dixiſſet. Multas curas ſequuntur ſomnia.Eccleſ.cap.5.Et niſi aliquando ſomnia ex myſterio reuelationis orirentur,Ioſeph prę ferendum ſe fratribus per ſomnium non videret,Geneſ.37.nec Mariæ ſponſum vt ablato puero in AEgyptum fugeret, per ſomnium veritas admoneret. Matth.2. Rurſum niſi aliquando ſomnia cogitatione ſimul & reuelatione procederēt: nequaquam Daniel Prophetа Nabuchodonoſor viſionem ediſſerens,à radice cogitationis inchoaſſet,dicens : Tu rex cogitare cepiſti in ſtratu tuo, quid eſſet futurum poſthęc.Daniel.2.&c. Daniel itaque dum ſomnium adimplendum reuerenter inſinuat, & ex qua ortum ſit cogitatione manifeſtat: patenter oſtenditur, quia hoc plerumq; ex cogitatione ſimul & reuelatione generatur. Sed nimirum cùm ſomnia tot rerum qualitatibus alternent,tanto eis credi difficilius debet,quanto & ex quo impulſu veniant facilius non elucet. His præmiſſis, quid ſentiendum de diuinatione per ſomnia, videndum eſt.

Prima

Prima Concluſio. *Somnia nec debemus omnino contemnere, nec omnino de eis curare.*

EST Ariſtotelis in lib. de ſomno & vigilia. Quia nec omnia ſomnia ſunt falſa, nec omnia vera: & in ſacris literis quandoque prohibitum, ne ſomnijs attendamus, Deute. 18. Non inueniatur iń te, qui obſeruet ſomnia. Quandoque etiam obſeruatio ſomniorum admittitur. Geneſ. 40. & 41. Ioſeph eſt interpretatus ſomnia pincernæ Pharaonis: & eiuſdem etiam Pharaonis. & Daniel. 2. & 4. cap. declarauit ſomnium Regis Babylonis.

Secunda Concluſ. *Quando cauſſa ſomnij eſt corporalis intrinſeca, poteſt homo intendere ſomnijs, & præuidere effectus cauſſis coniunctos.*

IN hac Concluſione non eſt dubium. Sic medici dicunt eſſe intendendum ſomnijs, ad cognoſcēdum interiores diſpoſitiones. Hinc Ariſtotel. de ſomno & vigilia. Si ſomnia ſunt ex his, ex quibus componimur: tunc ſunt ſigna ſanitatis, vel infirmitatis ſecundum eorum differentias: vt, ſi quis ſomniet de occupationibus igneis, ſignū eſt, quod prędominetur in eo cholera. Si de negotijs aēreis, vt de volatu, ſignum eſt ſanguinis. Si aquæ aut alterius liquoris:

quoris: signum est phlegmatis. Si de rebus terrenis, signum est melancholiæ: & sic iuuantur medici ad ferendum iudicium de dispositione corporis.

Tertia Conclusio. *Si quis utatur somnijs ad præcognoscenda futura, quæ habent causſam naturalem extrinſecam vt influentiam corporum cœleſtium, aut aëris ambientis, ſi in tantum de futuris prædicat ex ſomnio, in quantum talium corporum virtus ſe poteſt extendere non eſt illicitum.*

EST S. Thomæ & aliorum Doctorum in locis citat. Ratio eſſe poteſt: Quia effectus proportionatur ſuæ cauſſæ, & ſicuti ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci.

Quarta Conclusio. *Si quis ex ſomno prænunciet futura contingentia, aut ea, quæ ſpectant ad liberum ſomniãtis aut alterius voluntatis actum, peccat & malefacit.*

CONSTAT Concluſio. Quoniam huiuſmodi nõ habent cauſſam determinatam, ſed dicuntur à caſu per accidens, ſecundum Philoſophum de ſomno & vigilia. Eorum autem quæ ſunt per accidens, non eſt determinata ſcientia. Quare ſi quis huiuſmodi futura prædicat: aut neceſſe eſt vt mentiatur: aut vt cognoſcat ex pacto habito cum Diabolo.

Quin-

Quinta Concluſ. *Si quis ex ſomnis prædicat futura, quando procedunt ex reuelatione diuina, non peccat, ſed licitum eſt.*

Constat ex ſacris literis. Geneſ. 15. Cùmq; ſol occúberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Dictumq; eſt ad eum: Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis. & Geneſ. 40 & 41. Ioſeph interpretatus eſt ſomnia. Matth. 1. Angelus Ioſeph apparuit in ſomnijs, & futura prędixit, & Matth. 2. Magi in ſomnis acceperunt reſponſum, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Et ibidem. Defuncto Herode iterum Angelus Domini in ſomnis Ioſeph apparuit in Aegypto, dicens. Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſraël, defuncti ſunt enim qui quærunt animam pueri.

DVBIVM CIRCA DIctam Concluſionem.

Quare Deus potius in ſomnis reuelat futura, quàm in vigilia?

Respondet S. Bonauent. in 2. d. 25. quæſt. vltima. Primò, quia anima in vigilia diſperſa eſt ad exteriora ſenſibilia, & ſic minus

apta comprahendere reuelationes à Deo. Hanc causſam etiam insinuat Hypocrates in initio libri de insomnijs, dum docet animam hominis in vigilia grauibus distineri negotijs, curisque distrahi: per sensus etiam exteriores euocari ad ea quæ extra ipsum sunt, & per varia eorum sensuum spectacula diuagari, multiplicique; rerum humanarum strepitu interpellari, & à sui, rerumque cœlestium consideratione auocari. Contrà vero in quiete & somno ab eiusmodi omnibus interpellationibus & impedimentis vacuus est animus, sibi totus præsens est, sibique; attendit, & vires suas collectas habet. Secundò, quia Deo sic placet sæpiùs ad occultationem sui luminis, qui posuit tenebras latibulum suum. Tertiò, quia homo in somnis magis agitur, quam agat, & in reuelatione plùs se habet per modum suscipientis, quam agentis. Vltimò, quia dicente Deo Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet. Ideò secundum quod dicit Gregorius non potest homo Deum videre, & eius reuelationes, scilicet de lege communiori loquendo, nisi quando abstractus est à sensibus, vt quasi dicatur non viuere videlicet secundum sensuum vsum exteriorem. Sed quia homo in somno est medium tenens inter mortuum & viuentem, quodammodo à vita recedit; Ideo sic ordinauit Deus fieri reuelationes supernaturales in somnis, quando homo naturaliter non habet vsum rationis, vt

nis, vt Deo soli attribuatur laus gloriæ.

Sexta conclusio. *Reuelatio futurorum euentuum in somno à Dæmone impressa, non est licita.*

Quia huiusmodi reuelatio procedit ex pacto tacito vel expresso Dæmonis, qui decipere semper contendit.

Quando dubium, an reuelatio in somnis facta sit à Dæmone, vel bono spiritu, non est præcipitandum iudicium, sed probandus spiritus si ex Deo sit. In qua re multa sunt considerandа de probationibus spirituum, de quibus multa scribunt Ioannes Gerson in tract. de probationibus spirituum. S. Vincentius. in tract. de vita spirituali, & plurima ad hanc materiam doctè colligit Bartol. Medin. in 3. part. S. Thomæ. q. 25. art. 3. Pererius loco cit. q. 3.

QVAESTIO. III.

An diuinatio per sortes sit omnino reprobata?

Tractant S. Thom. q. 95. art. 8. S. Antonin. 2. par. t. t. 12. cap. 1. §. 9. Syluest. in verbo Superstitio. q. 9. Alij in verbo Sors aut. Sortilegium. Turrecre. in 26. q. 2. in principio: Archidiac. ibidem. can. Sors. Canonistæ cum text. in tit. de Sortilegijs, maximè in cap.

Ecclesia vestra. Troilus Maluetius in tract. de sortibus. Paulus Grilland. in lib. 2. de Sortileg. & alij alibi.

Quid Sors sit.

Ante resolutionem præmittendum est, quod Sors dicitur, quando aliquid fit seriò quidem ab homine, vt considerato eius euentu aliquid occultum innotescat. S. Thom. loc. citat. Sylvest. verb. Superstitio. Angel. Aurea Armilla. Caietan. & alij in verb. Sors.

Quotuplex Sors.

Triplex est Sors; Diuisoria, Consultoria, & Diuinatoria. Diuisoria est, cùm quæritur, quid cuilibet sit dandum, siue illud sit res, siue honor, siue pœna, aut actio aliqua. Consultoria, quando inquiritur, quid sit agendum. Diuinatoria, quando aliquid futurum inquiritur.

Ad genus sortium pertinet, si quis aliquid occultum inquirat, siue per protractionem punctorum, siue per considerationem figurarum, quæ proueniunt ex plumbo liquefacto in aquam proiecto, siue ex quibusdam scedulis scriptis, vel non scriptis in occulto repositis, dum consideratur, quam quis accipiat: vel etiam ex festucis inæqualibus propositis, quis maiorem vel minorem accipiat: vel taxillorũ proiectione, quis plura puncta proijciat, vel etiam dum consideratur, quid aperienti librum occurrat. S. Thom. d. q. art. 3. Frideric. de Senis in cons. 284. & de similibus similis est ratio. Nunc pro resolutione, sit

Pri-

Prima Conclusio. *Sors diuisoria licita est.*

Sic sentiunt communiter Doctores locis citat. Quia quando partes sunt æquales, nec res diuidenda sine discordia potest diuidi, fortunæ locus datur ad dirimendas lites: Sic secundum leges in tribus iudicijs communi diuidundo, familiæ erciscundæ, & finium regundorum, sortes admittuntur debitis seruatis conditionibus. Sic Iudæi miserunt sortem super tunica inconsutili Christi, quæ non poterat diuidi. Sic Appianus lib. 2. de bello ciuili narrat, post mortem Iulij Cæsaris, cùm essent discrepantes sententiæ in senatu, de remunerandis interfectoribus, statuit sortibus litem dirimendam. Sic etiam partes terræ Israëlitis per sortes distribuebãtur. Num. 33. Iosue 15. Ioseph. lib. 5. antiquit. Iudaic. c. 3. Eadem est ratio de aliqua pœna subeunda, si contentio sit inter aliquos, quis soluere debeat, exemplo Ionæ. 1. cap. quia à facie domini fugiens sorte deprehẽsus est, & in mare deiectus. Seruandum autem in missione sortium, vt ius sit æquale partium, ne alicui præiudicium generetur, vt non mittantur sine caussa, hoc enim vanum esset, sed quando consideratis circumstantijs rerum & personarum, prudentia dictat, litem, aut aliud negotium sorte dirimendum esse. Dictis casibus, ex Augustini sentẽtia in Epist. 180.

ad Honoratum, annumerari potest, si inter ministros Ecclesiæ fieret disceptatio, qui eorum persecutionis tempore manere deberét, ne fuga esset omnium, & Ecclesia omninò relinqueretur, & qui fugere deberent, vt aliqui in futurum reseruarentur pro Ecclesiæ vtilitate, sorte lis finienda est. Idem possit esse casus, si tres aut quatuor tempore pestis curam haberent, & non omnes vellent periculum subire, nec etiam Ecclesiæ expediret. Mos autem capiendi sortes ex vrna, vel situla, vel hydria aquæ, antiquissimus est, vt patet ex illo Plauti in Cassina, vbi senem Virginis amatorem postquam id, quod cupiebat, à seruo impetrare non potuit, inducit ita loquentem:

Intrò abi, at q̃, actutum vxorem huc euoca ante ædes citò.
Et situlam huc tecum affer to cum aqua, & sortes.

Secunda Conclusio. *In electionibus Ecclesiasticis non est licitum vti sortibus,*

CAP. Ecclesia vestra, de Sortileg. & can. Non statim. & cap. Non exemplo. 26. q. 2. & hæc est communis tam Theologorum quàm Canonistarum sententia. Et ratio redditur, quia huiusmodi electiones Spiritus sancti

sancti inspiratione fieri debent. Et si forte aliqua fieret electio, aut nulla esset, aut certè cassanda Panormit. & alij in d. c. Ecclesia vestra. Si quis obijciat, Actor. 1. S. Matthias sorte ad Apostolatum electus est: ergò potest electio in Ecclesiasticis sorte fieri. Respondet S. Hieron. super Ionę 1. cuius verba referuntur 26. q. 2. c. Non statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare: vbi sorte in Apostolatum Matthias eligitur: cùm priuilegia singulorum non possint legem facere communem.

Tertia Conclusio. *Sors consultoria, quando expectatur iudicium à Deo, & quasi ad eum recurritur pro cognitione euentus sortium, est licita,*

Prouerb. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Quando enim humanum non supersest auxilium, tunc ad diuinum recurrendum. 2. 2. q. 2. can. Queritur. Nemo debet tentare Deum suum, dum habet, quod rationabili consilio faciat. & 23. q. 8. c. Si nulla. Ad idem facit illud 2. Paral. c. 10. Cùm ignoramus quid agere debeamus: hoc solùm habemus residuum, vt oculos ad te Domine leuemus. Idem clarius habetur 26. q. 2. c. Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Pro-

pheta indifferenter deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cùm priuilegia singulorum communem legem facere non possint. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus, exemplo Apostolorum esse consulendum: Videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum coetu, & precibus ad Deum fusis egisse. Vt autem in casu huius Conclusionis licitum sit vti sortibus, quatuor sunt consideranda ex S. Thoma loco citato. S. Anthonin. Angelo, Syluest. Panormitan. & alijs. Primùm, vt absq; necessitate non recurratur ad sortes, aliàs esset tentare Deum. Secundum, vt quis etiam in necessitate absq; reuerentia sortibus non vtatur, vt patet ex d. c. Non exemplo. Tertium, vt non pro rebus terrenis, sed pro spiritualibus & ad salutem pertinentibus fiat recursus ad sortes, vt habetur ex Augustino ad inquisitiones Ianuarij epist. 119. tom. 2. 26. q. 2. c. Hi qui de paginis euangelicis sortes legunt, etsi optandum est, vt id potius faciant; quàm ad Dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad vitæ huius vanitatem propter aliam vitam, loquentia oracula diuina velle conuertere. Quartum, vt non fiat in electionibus Ecclesiasticis, quę Spiritus sancti inspiratione fieri debent. Vnde dicit Beda cap. 1. in Acta Apostolorum. Matthias ante Penthecosten ordi-

natus

natus sorte quæritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus S. in Ecclesiam effusa. Septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati.

Quarta Conclusio. *Quando contentio esset de electione aliquorum, nec esset via humana dirimendi litem, vtpote quia esset paritas vtrique in omnibus, scilicet votis, doctrina & meritis, & ambo moraliter essent æquè digni: tunc litem sorte dirimere non esset illicitum, si debitæ conditiones seruentur, vt exitus rei à Deo expetatur præuijs orationibus eo modo quo D. Matthias electus est iuxta d.c. Non exemplo.*

Glossa & Turrecre. in cap. Quod autem 26.q.2. Aurea Armilla in verbo Sors, & alij alibi.

Quinta Conclusio. *Licitum est vti sortibus in electionibus ad temporales & seculares dignitates, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur.*

Hanc Conclusionem communiter DD. citati tenent. Tamen in tali electione obseruãdum, vt prius electis quibusdam idoneis, deinde sors mittatur: Aliàs si imprudenter fieret, & cum periculo boni communis, & iustitiæ,

iustitiæ, vtpote quia sors caderet in aliquem ineptum, qui damno esset Reipublicæ: culpa non careret. Olim apud Romanos, iudices ex equitum ordine per sortes eligebantur, prætore vrnam mouente, & si qui ex illis reijciebantur, iterum subsortiebantur alij in eorum locum, vt videre est apud Ciceronem in orat. in Pisonem, & Panormit. in cap. fin. de Sortileg. id vsurpari attestatur, quod seculares eligant officiales in multis locis per ballotas, & breuia.

Sexta Conclusio. *Sors diuinatoria, quæ innititur societati Dæmonum explicitè vel implicitè, est damnata & reprobata.*

EZECHIEL. 21. Rex Babylonis stetit in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola, exta consuluit: & in 26. q. 5. can. Sortes, dicitur: Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis prouincijs, quas patres damnauerunt, nihil aliud quàm diuinationes & maleficia decernimus. Quamobrem volumus omninò illas damnari, & vltrà inter Christianos nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus. De hac Conclusione non dubitant nec Theologi, nec Canonistæ. S. Thom. in d. art. ad 3. iudicium ferri

ferri candentis, vel aquę feruentis ad sortes reducit. Probatio ferri candentis & similium ordinatur ad alicuius peccati occulti inquisitionem, per aliquid, quod ab homine fit, & in hoc conuenit cum sortibus. In quantum tamen expectatur aliquis miraculosus effectus, à Deo, excedit communem sortium rationem. Vnde huiusmodi iudicium est illicitum, & quia ordinatur ad iudicanda occulta, quæ diuino iudicio reseruantur, & quia diuina auctoritate non est sancitum. 2. q. 5. cap. Consuluisti. Eadem videtur ratio de lege duellorum seu monomachiæ, nisi quod plus accedit ad communem rationem sortium, in quantum non expectatur ibi miraculosus effectus, nisi pugiles sint impares virtute vel arte. De duello vide textum cum DD. de purgatione vulgari. cap. Cura suscepti. & 2. q. 5. can. Monomachiam, & Caietanum ad longum in S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Concil. Triden. sess. 25. cap. 19. de Reformatione.

LEX IIII.

Eorum est scientia punienda, & seueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe deteguntur. Nullis verò

crimi-

criminationibus implicanda sunt, quæsitâ humanis corporibus remedia: aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres: aut ventis & grandinis lapidatione quaterentur, quibus non cuiusq; salus, aut æstimatio læderetur: sed quorum proficit actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur.

THEODOSIANVS rectius posteriora verba ponere videtur (sed quorum proficerent actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur) imò in Cod. illud (ne) in antiquioribus impressionibus, saltem non habetur.

Hæc L. cùm satis multos effectus magis & maleficis attribuat, in primis breuibus, quæ literam concernunt, percurrenda sunt. Deinde mouendæ quæstiones occurrentes & resoluendæ.

In Superioribus actum est vt plurimùm de eis, quæ spectant ad magiam diuinatricem: quæ autem in hac L. continentur, concernunt artes magicas operatrices.

Sicut bonæ scientiæ ad ornamentum vtilitatemq; Reipub. sunt promouendæ: ita malę, cùm tendant ad interitum communis salutis, meritò legibus sunt vindicandæ, iuxta præsentem Legem.

Magi-

Magicis artibus accincti malefici, mirabilia & humanam naturam excedentia opera perficiunt. Malefici dicuntur bene accincti diabolicis artibus: quia eis vtuntur tanquam armis quibusdam, ad impugnandum alios. Possunt & dici accincti in alio sensu: quia se promptos expeditosq; exhibent, ad actiones malas, pro Diaboli voluntate.

Magicæ vetitæ vanitates artes dicuntur: quia ex præscripto Dæmonum aut suorum ministrorum, certis ritibus & modis exercentur. Artem igitur magicam aut maleficam intelligimus, cognitionem, experimentum & exercitium diabolicarum operationum. Ars enim est potius habitus operatiuus, quàm speculatiuus, vt docent Aristot. lib. 6. Ethic. & S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. Quare qui opera diabolica exercent, artem magicam exercere dicuntur. Nec est de ratione artis, vt quidam sentire videntur, vt ex libris addiscatur; quando improbant maleficas nullas scire artes, eò quod libros non habeant, imò vt plurimùm legere nesciant. Sunt enim artes liberales: vt Grammatica, Poëtica, Rhetorica & cæteræ. Sunt etiam mechanicæ: priores ex libris addiscuntur: posteriores communiter ex instructione magistri: & inter has quædam sunt vilissimæ: vt vendere sal, oleum & huiusmodi similia. Bartol. in L. Ne quis. C. de dignit. lib. 12. Berthach. in repertorio, verb.

Ars.

Ars. Ars magica refertur inter artes vetitas & reprobatas, quare dicitur legibus odiosa. C. de thesaur. L. Vnica. lib. 10. Reprobatæ autem sunt, quia earum magister Dæmon est, qui eas docet vel immeditatè per se, vel mediatè per suos ministros. Nec longum tempus ad discendum requiritur, cùm ipse mille artifex sit; breuissimo tempore suos docet facere mirabilia quæ humanum ingenium superant. His addere possumus, maleficas etiam dici artes in alio sensu familiari non solùm grammaticis, sed etiam legibus: ars enim significat astutiam, dolum, & fraudem ac singularem nocendi malitiam. can. Quicunque. 22. q. 5. Quacunque arte verborum quis iuret, Deus non decipitur: & C. de his, qui ad statuas confugiunt. L. 1. Si probati fuerint artibus suis (Glossa ibidem, id est, malitijs) inuidiam inimicis creare voluisse. C. de præscrip. triginta vel quadraginta annor. L. Omnes. Omnes nocēdi quibuslibet modis artes omnibus amputātes. C. de suffragio. L. 1. Si artibus moram nectant. Magicæ artis nomine rectè ergo intelligere possumus insigne nocendi studium, aut decipiendi malitiam, aut fraudem & dolum. Quid enim ex his omnibus desideratur in maleficis? Discipuli sequuntur præscriptum magistri, qui abundat malitia, nequitia, fraude & dolo.

Præterea circa illa verba L. (Nullis verò crimi-

criminationibus implicanda sunt quæsita humanis corporibus remedia: aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres,&c.)Notãt pleriq; Doctores Bart. Salyc. Godefrid. Azo & alij,incantationes ad finem boni,de lege ciuili esse licitas: Non autem de iure canonico, & in foro conscientiæ. Sed infrà hoc dictum examinabitur. Angelus verò dicit: Nota,hîc posse incantari grandines vt non noceãt: & intellige,in virtute diuina, non per inuocationem Dæmonum : quia istud est prohibitum omni iure.

Obseruandum quoq;,antiquis temporibus maleficos consueuisse sua maleficia & incantationes in agrestibus,silvestribus & occultis locis exercere: vt nunc etiam faciunt. Causas autem huius rei assignauimus in superiori tractatu. Quas cæteris latius explicant Paulus Grillandus lib. 2. de Sortileg. q. 4. & Iodocus Damhauderus in pract. Criminal. cap. 61. numero 119.

Circa finem L. considerandum est, quod maleficorum opera, diuina munera & labores hominum prosternantur & perdantur. Fructus terræ sunt diuina munera: quia etsi homo plantet, Deus tamen incrementum dat,vt crescant pro conseruatione hominum. Et sunt labores mortalium: Quia homo operibus manuum suarum terram fodit, serit se-

mina,& agros vineasq; colit. Vnde in Sacris literis fructus dicuntur etiam opera manuum. Aggæi 2.cap. Percussi vos vento vrenti, & grandine omnia opera manuum vestrarum. Iob.1.Opera manuum eius benedixisti,& possessio eius creuit in terra. Sternuntur autem munera diuina, & labores hominum,quando malefici cooperantibus Dæmonibus aut messem in herbis perdunt, aut iam flori propinquos segetes grandine,pruina,aut intempestiuis imbribus lædunt, ne labores hominum debitum sortiantur effectum : aut grandinis lapidatione fructus iam colligendos excutiunt, vel etiam vineas vuis matureſcentibus inutiles reddunt.Perduntur enim labores hominum, quando ferè integro anno homines laborârunt , omnem substantiam impenderunt,&cùm fructus iam propemodum maturi impediuntur, ne suum effectum consequâtur.Hæc circa literę explicationem sufficiant.

QVAESTIO. I.

An malefici possint animos ad amorem deflectere ac mouere,vt lex Constantini hoc in loco innuit?

IOANNES VVierus lib. 3. de præstigijs Dæmonum, cap. 38. sugillat Imperatorem in hac L. quod arte magica amorem conciliari senserit.

In

In primis ex fidei principijs præsupponendum est, Diabolum non posse efficaciter cogere liberam hominis voluntatem ad peccatum, vt S. Thom. 1.2. q. 80. arti. 2. & 3. ostendit. Mouetur autem homo indirectè à diabolo ad peccandum, qui tanquam potentior creatura, potest agere in materiam corporalem, & sic sensum vel interiorem vel exteriorem aliquãdo immutat: aut de nouo sensibile aliquod formando, aut formatum sensui obijciendo, aut spiritus & humores intus commouendo: Cùm autem summa sit coniunctio inter potentias sensitiuas & rationales, motis sensitiuis, indirectè mouentur rationales. Sic Diabolus, quando vult animum ad libidinem flectere, aut ad odium, mouet exteriorem hominem caussis intrinsecis, deinde obiectum proponit sub ratione boni vel pulchri, vt ametur appetaturq;: aut sub ratione mali & deformis, vt efficiat hororem & odium, & hoc modo indirectè per modum persuadentis & proponentis obiectum vt appetendum, aut fugiendum, deflectit animum ad libidinem, aut odium: voluntas autem manet libera, licet aliquo modo trahatur, iuxta illud: Trahit sua quemque voluptas. His præmissis statuitur, Conclusio resolutoria.

Magi & malefici possunt animos pudicos ad libidinem & amorem flectere, & verissimè Constantinus imperator in d. L. attestatur.

Hæc est communis rectè sentientium Theologorum & Iurisperitorum doctrina. Probatur inprimis ex alijs ll. leges tradunt esse venena & pocula amatoria. L. 3. §. Adiectio. ff. ad L. Corneliam de Sicarijs: & ff. de pœnis. L. Si quis aliquid. §. Qui abortionis, aut amatorium poculum. Atq; has leges sequuntur Iurisperiti in d. ll. & alibi. Alberic. in Rubr. C. de hæretic. num. 6. Azo in hoc tit. de malef. & mathemat. Bonifac. de Vitalinis in tract. de maleficis. Godefrid. in præsenti L. Angelus ibid. rectissimè admonet his verbis. Nota, per incá. tationem animum mulierum ad libidinem flecti, & ideò non truferis, cùm audis istas facturas fieri, quia veræ sunt. Paulus Grillandus de Sortilegijs q. 3. & q. 12. Oldradus de Ponte, in consil. 210. incip. Regularis habet traditio. Panormitan. in cap. In tabulis, de Sortilegijs num. 4. Ioannes ab Anania ibidem in Rubrica. Petrus Anchar. ibid. in c. Ex tuarum. Et in lib. 6. de hæret. cap. Accusatus. §. Sanè: Hostiens. in summa, de Magistris. §. Quam scientiam. Franciscus Squillacens. de fide Catholica, cap. 8. & alij alibi. Theologi sequuntur. S. Hieron. super Nahum 3. c. Attribuit maleficijs & incantationibus, quod faciant amare ea, quæ odisse debuerant: & detestari, quæ amare debebant. Idem Hieron. lib. 3. commen. in epi. ad Ephes. cap. 6. Sunt quidam Dæmones amoribus & amatorijs canticis seruientes. S. Thom. & Bonauent.

uent. in 4. sent. d. 34. Petrus Paludan. ibid. Turrecr. in 33. q. 1. c. Si per sortiarias. Doctores mallei maleficarum. 1. part. q. 7. Alphons. Castren. lib. 2. de iusta hæret. punitione, cap. 15. Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide, cap. 7. & alij alibi. Ratio ducitur ex sacris literis, & experientia. Dæmon, omnium rectè sentiẽtium iudicio, potest incendere hominem ad libidinem: Qua ratione dicitur spiritus fornicationis, Oseę 4. vt annotat Cassian. collat. 7. cap. 32. Ergò non potest alienum esse à magis & maleficis: quia hi Dæmonum potestate sua perficiunt maleficia. Ad hanc materiam faciunt exempla, atq; illud in primis de S. Cypriano memorabile est. Cùm enim S. Iustina Antiochiæ frequẽtaret Ecclesiam, visa est à quodam scholastico nomine Agladio, qui ob virginis pulchritudinem incidit in eius amorem, eamque in vxorem petijt: quæ cùm omnibus ob eam caussam aduentantibus diceret, quod Christo cœlesti sponso desponsata esset. Iratus cùm aliud medium non occurreret, abijt ad Cyprianum tum adhuc Magum, promittens ipsi duo tolenta auri, vt Iustinam maleficijs caperet: Cyprianus magicis artibus Dæmonem accersit, & ait illi: amo virginem de Galilæa (Christiani enim tunc vocabantur Galilæi) potes ne ei persuadere & adducere mihi? Qui promisit ei dicens: Accipe hoc medicamentum, & sparge circa domum eius, &

ego superueniens paternum sensum ei injiciam, & statim obediet mihi. Cumque Cyprianus ita fecisset, sancta virgo tertia noctis hora surgens ad orationem, sensit impetum Dæmonis. Signauit itaque se, & domum suam signo sanctæ Crucis, & Dæmonem in fugam conuertit. Qui veniens ad Cyprianum confusus, & cur virginem non adduxisset requisitus, ait: Vidi quoddam signum Thau. Iterum Cyprianus arte magica alium Dæmonem fortiorem vocauit, & simili modo fecit, & similiter eidem accidit. Tandem vocauit Dæmonem superiorem, & ait illi: Quænam est vestra infirmitas? victa est ab vna virgine omnis vestra virtus? Respondit Diabolus. Nunc adducam tibi eam ad desiderium, tu tantum paratus sis. Tunc Diabolus in specie virginis ad Iustinam intrauit, & sedens super lectum eius, eandem tentando dixit: Hodie missa sum à Christo ad te, viuere tecum in castitate: Multùm autem te video vexatam abstinentia. Sancta autem virgo dixit: merces autem multa, labor verò modicus. Dixit ei Diabolus. Deus in Paradiso benedixit Adam & Euam, dicens: Crescite & multiplicamini. Si ergo in virginitate manserimus, in iudicium incidemus, quia verbum Dei contemnimus. Tum virgo turbata surrexit, & per spiritum sensit: quis esset qui ei loqueretur, signo crucis se signans: quo facto Dæmon disparuit, & Cypriano confusus appa-

apparuit. Qui dixit ei: & tu victus es, vt cæteri subiecti tui? Quomodo enim victi estis ab vna virgine Christiana? Dic mihi quę sit virtus victoriæ eius. Qui respondit, dicere tibi non possum: quoddã vidi terribile signum Thau. Si autem virtutem huius signi vis cognoscere, iura mihi quod nunquam velis à me discedere. Qui cùm iurasset, ait illi. Vidi signum crucifixi, & Thau: & sicut cera à facie ignis fluxi. Cui dixit Cyprianus. Ergo crucifixus maior est? Qui respondit: etiam maior omnibus est: quia desertores Dei accipiunt ab eo sententiam ignis. Cyprianus autem ait: Festinabo igitur, vt amicus fiam crucifixi, ne talem pœnam incurram. Diabolus respondit. Iurasti namq; mihi. Cyprianus ait: Contemno te, & omnes fumigantes virtutes tuas, meq; ipsum tibi denego, & me consignans dico: Gloriam tibi do Christe, & tu Dæmon recede à me. Abijt ergo Diabolus confusus. Cyprianus vero errorem suum agnouit & propalauit, fraudemque & seductionem diutinam, libris magicis in ignem coniectis, Vulcano dicauit: & per eam Virginem, scilicet Iustinam, Christo pulcherrimè desponsatus, sacraq; Christianorum complexus est, paulatim in presbyterum ordinatus, mox ad Episcopatum euectus, doctrina & conuersatione clarus, consummatæ virtuti martyrium adiunxit. Huius historiæ Nicepho. Calist. lib. 5. histor. Eccles. cap. 27.

Gregorius Nazianzen. in orat. in laudem Cypriani martyris. Metaphrastes apud Lipomanum tom. 6. de vitis Sanctorum, & apud Surium tom. 5. in mense Septemb. meminêre. Ad eundem scopum illustre est, quod narrat S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4. Eo (ait) tempore, quo malefici in hac sunt vrbe Romana deprehensi, Basilius (qui in magicis operibus primus fuit) in monachico habitu Valeriam fugiens petijt. Qui ad virum Reuerendissimum Castorium, Amirtinæ Ciuitatis Episcopum pergens, petijt ab eo, vt eum Equitio Abbati committeret, ac sanandum monasterio illius commendaret. Tunc ad monasterium venit Episcopus, secumq; Basilium monachum adduxit, & Equitium Dei famulum rogauit, vt eundem monachum in congregationem susciperet. Quem statim vir sanctus intuens, ait: Hunc quem mihi commendas, pater, ego non video monachum esse, sed diabolum. Cui ille respondit: occasionem quæris, ne debeas præstare quod peto. Ad quem mox Dei famulus dixit: Ego quidem hoc eum esse denuncio, quod video: ne tamen me nolle obedire existimes, facio quod iubes. Susceptus itaque in monasterio est. Post non multos verò dies idé Dei famulus, pro exhortandis ad desideria superna fidelibus, paulò longius à cella digressus est. Quo discedente contigit, vt in monasterio virginum, in quo eiusdem patris cura vigi-

vigilabat, vna earum, quæ iuxta carnis huius putredinem ſpecioſa videbatur, febricitare inciperet,& vehementer anxiari,magniſq; vocibus cum ſtridore clamare: Modò moritura ſum,niſi Baſilius Monachus veniat,& ipſe mihi per ſuę curationis ſtudium ſalutem reddat. Sed in patris abſentia accedere quiſpiam monachorum in congregationem virginum non audebat: Quanto minùs ille,qui nouus aduenerat,cuiuſq; vita adhuc congregationi ignota erat. Miſſum repentè eſt,& Dei famulo Equitio nunciatum, quod ſanctimonialis illa immenſis febribus æſtuaret, & Baſilij Monachi viſitationem anxiè quæreret: Quo audito vir ſanctus dedignando ſubriſit:atq; ait.Nunquid nam dixi, quod diabolus eſt iſte, non monachus? Ite, & eũ de cella expellite:ſanctus autem vir ancillam Dei monialem abſens ſolo verbo curauit, ita vt neq; amplius febri laboraret,nec Baſilium expeteret. Omnes autẽ monachi iuſſionem patris ſui implentes, eundem Baſilium ex monaſterio repulerunt.Qui repulſus dixit frequenter, ſe cellam Equitij magicis artibus in aëra ſuſpendiſſe,nec tamen eius quempiam lædere potuiſſe. Baſilius autẽ non poſt longum tempus in Romana vrbe, exardaſcente zelo Chriſtiani populi, igne crematus eſt.Hæc ex Gregorio. Haud diſſimile narrat B. Hieronymus in vita S. Hilarionis. Erat enim iuuenis Emporij Gazenſis,qui vir-

ginem deperibat, id est, vehementer amabat. Qui cùm frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi, quæ solent morituræ virginitatis esse principia, nihil profeciſſet, perrexit Memphim. Anno elapso magicis artibus instructus, ab AEsculapij vatibus redijt, & subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portētosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit, & ilicò amore insanire virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomē adolescentis: magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta ergo à parentibus in monasterium seni traditur, vlulante statim & confitente Dæmone. Vim sustinui, inuitus sum abductus: quàm bene Memphis somnijs homines deludebam? O cruces, O tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus sub limine teneor. Non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tunc senex: Grandis ait, fortitudo tua, qui licio & lamina strictus teneris. Dic, quare ausus es ingredi puellam Dei? vt seruarem, inquit, eam virginem. Tu seruares proditor castitatis? Cur non potius in eum, qui te mittebat, es ingressus? vt quid, respondit, intrarē in eum, qui habebat collegam meum amoris Dæmonem? Noluit autem sanctus, antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse Dæmon videretur, aut

aut ipse sermoni eius accommodasse fidem: asserens fallaces esse Dæmones, & adsimulandum esse callidos: & magis reddita sanitate increpuit virginem, cur fecisset talia, per quæ Dæmon intrare potuisset. Hæc ex Hieronymo. His accedunt Poëtæ & naturales, qui faciunt mentionem de Philtro & Hippomane. Ouid. lib. 2. de arte amandi.

Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.

Et Propertius lib. 4. in lenam quandam.

Consuluit striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.

Iuuenalis Satyra 6.

Hic magicos adfert cantus, hîc Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

Hippomanes à doctis refertur inter veneficia amatoria, & est caruncula quædam, quæ in pulli equini fronte consurgit, quæ euulsa & in puluerem conuersa ad amorem concitandũ dicitur efficacissima. De hoc Hippomane agunt Aristoteles de natura animantium lib. 6. cap. 22. Plinius lib. 8. histor. naturalis cap. 42. & Seruius lib. 3. Georgicorum in illud Vergilij.

Hinc demum, Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores.

Dicit

Dicit Aristoteles, quod Hippomanes petitur & percipitur à veneficis mulierculis. Philtrum autem latinè dicitur amatorium. Vnde Philtrum communiter vsurpatur pro genere veneni, amorem & insaniam inferentis: & sic tradunt frequẽtissimè hominem ad furorem & insaniam concitare: & aliquando sequitur mors. Quare Doctores quando agunt de pœna propinantis poculum amatorium, distinguunt, an sequatur mors, vel non. Vt infra q. 3. Id tamen obseruandum est, quod licet quædam naturalia vim habeant ad accendendum libidinem, & commouendum animos in genere: non tamen eis inest naturalis vis, vt in hanc personam potius animus feratur, quàm in illam: sed hoc contingit operatione Dæmonis, qui cum mago aut malefico ex pacto concurrit ad procurandum amorem in illa persona, in cuius perniciem maleficus sua signa dirigit. Tamen hoc etiam annotandum est, vt Michaél Medina loco citato tradit, quod est differẽtia inter ea, veneficia amatoria, quæ à verbis: & ea, quæ à potionibus, aut rebus descendunt: quod priora minus sunt periculosa, vtpote quæ tantum diabolica suggestione imaginationem perturbent: Posteriora autem prẽter hanc inuasionem, etiam corporali ęstro libidinis vexent, & ita plerumque insania committur.

QVAE-

QVAESTIO II.

De veneficijs & poculis amatorijs.

An sapiant hæresim, vel spectent ad pectatum hæresis pocula amatoria?

DISPVTANT Doctores vt plurimùm locis citatis in principio superioris q. Pro termini intelligentia, nota (sapere hęresim) nihil aliud esse, quàm vehemẽtem hæresis suspicionem præbere. Vnde quãdocumq; aliquod factum, aut dictum grauem præsumptionem hæresis offert, hæresin sapit. Deinde in maleficiorum distinctione & cognitione voluntas intentioque inspicienda est, quid operans intendat, quis eius sit finis, quam fidem habeat in applicatione rerum, quibus vtitur. Aliquando enim adhibentur naturalia, quæ nullam habent efficientiam in ordine ad effectum producẽdum: aliquando sacramenta & sacramentalia, quibus etiam nullus ineſt effectus ad tam sceleratum finem. Nunc pro resolutione, quum varietas rerum efficiat decisionis diuersitatem, sit

Prima Conclusio. *Si sortilegia amatoria ita fiant, vt in illis adsit inuocatio Dæmonis per modum adorationis, apertè sapiunt hæresim.*

OLDRA-

OLDRADVS in conſ.210. Grilland. in q.10. de Sortilegijs,& alij vbi ſuprà.

Secunda Concluſio. *Etiamſi non fiant per modum adorationis, modò in talium maleficiorum exercitio expetatur, & expectetur à Dæmone aliquid, quod ſoli Deo facere conuenit, ſapiunt hæreſim.*

Quia tribuitur creaturæ quod Deo debetur.

Tertia Concluſio. *Si inuocetur ſimpliciter Dæmon ad tentandum pudicitiam hominis, licet grauiſſimum ſit peccatum ſuperſtitionis, non tamen ſapit hæreſim.*

CONCLVSIO eſt communis Doctorum. Ratio: quia in caſu huius concluſionis tribuitur Diabolo, quod eius proprium eſt, ſcilicet tentare, vnde tentator dicitur, Matth.4.

Quarta Concluſio. *Ab illis, qui amatoria maleficia exercent, inquirendum eſt cum diligẽtia, an credant maleficia, aut Dæmonem poſſe cogere alicuius viri, vel fœminæ voluntatem ad amorem inhoneſtum.*

QVOD ſi hoc credant, vehemens eſt hæreſis ſuſpicio,& ſi inſtructi de veritate, acquieſcere nolint, tanquam hæretici ſunt haben-

bendi. Quia credere, hominis voluntatem à Dæmone, aut malefico efficaciter cogi ad amandum aliquem, vel aliquam: hæresis est aperta, cùm repugnet libertati à Deo nostrę voluntati inditæ. Si enim voluntas à Dæmone cogitur ad aliquem amandum, iam non est libera, nec in manu consilij sui, secundum Salomonem in Ecclesiast. 15. cap.

Quinta Conclusio. *Omne maleficium, quod exercetur per commixtionem alicuius sacramenti, aut rei sacramentalis, reddit ipsum operatorem de hæresi suspectum.*

Hanc Conclusionem tradunt Panormit. in cap. 1. de Sortilegijs ex Glossa lib. 6. de hæretic. cap. Accusatus. §. Sanè. & Alphonsus Castrens. loco citato, contra Oldradum & Grillandum. Ratio clara est. Sapere hæresin nihil aliud est, quàm fortem præbere hæresis suspicionem. Quis autem ad tam abominabilem vsum res sacras adhiberet, nisi aut effectum habere existimet, aut nullius esse momenti iudicet, & sic contemnat mysteria nostræ salutis: quæ an non sapiant hæresin, quisq; æquus rerum æstimator facilè animaduertet.

QVAE-

QVAESTIO III.

Quæ sit pœna præbentis poculum amatorium?

VT huius quæstionis resolutio fiat, prænotandum: quod quando poculum amatorium præbetur; aut sequitur mors, aut non sequitur. Præterea aut tale poculum sapit hæresin, aut non. Tandem aut componitur ex naturalibus medijs, sine vlla arte diaboli: aut magica arte efficitur tale poculum.

Prima concluſ. *Quando poculum amatorium conficitur tali modo, qui sapit hæresin punitur pœna hæresis.*

GRILLAND. in tractat. de Sortilegijs q. 11. Menochius casu 388. num 4. Petrus Gregorius Tholosanus in 3. parte Syntagmatis iuris vniuersi lib. 34. cap. 12. num. 9. Ratio clara est: quia pœna sequitur naturam delicti, & eidem commensuratur.

Secunda Concluſio. *Dans poculum amatorium ad malum finem, si ex eo mors sequatur, quomodocumq; sit compositum tale poculum, punitur pœna mortis.*

SIc scribit Petrus Crinitus in lib. de Poëtis latinis cap. 19. quod Lucretius assumpto poculo

culo amatorio ita furore percitus sit, vt propria manu mortem sibi intulerit. Et Plinius lib.25.natural.histor.cap.3.narrat de Lucullo, quod hausto poculo amatorio, vitam finierit. Dicta conclusio constat ff.de pœnis. L.Si quis aliquid ex metallo.§. Qui abortionis. vbi expressè decernitur, quod si mulier ex poculo abortionis, vel amatorio, aut vir pereat, vltimo supplicio dans afficiatur. Ibidem Bartol. Grilland.de Sortileg.q.12. Damhauderius in practica Crimin.cap.61.num.88.Menoch.lib. 2.de arbitr.Iudic.qq.cas.358.

Tertia Conclusio. *Si quis arte malefica & magica animum hominis ad amorem illicitum deflectat, pœna vltimi supplicij punitur, etiamsi mors non sequatur, sistemus in d L. Eorum.*

Probat Grilland.q.11.num.7. Quia dicta L.æquiparat,quantum ad pœnas,illos maleficos,qui flectunt pudicos animos ad libidinem, & illos qui contra salutem hominũ moliuntur,& statuit eos seueriſſimis legibus vindicandos. Eandem Conclusionem docent Menoch.lib.d.casu 388. num.5. & Petrus Gregor.loco cit.nu.11. Ratio est etiam in promptu.Quia arte magica& diabolica vti,tam secũdum legẽ diuinam,quàm ciuilem,capitale est vt infrà latius patebit in L. Nemo Aruspicem.

Quarta Concluſio. *Præbens poculum amatorium abſq; arte magica, ſi mors non ſequatur, punitur extraordinariè adiudicium iudicis, pro varietate circumſtantiarum occurrentium.*

MENOCH. in d. caſu 358. & Petrus Gregor. loco citat. & alij alibi. Ratio eſt: quia tentat pudicitiam, quæ res eſt turpiſſima, & peſſimi exempli: olim tamen, vt clarum eſt ex text. & Gloſſ. in d. L. Si quis aliquid ex metallo. §. Qui abortionis. de lege ciuili humiliores in metallum damnabantur, honeſtiores in inſulam, amiſſa etiam parte bonorum, relegabantur. Et quia hiſce temporibus pœnæ relegationis & effodiendi metallum in vſu non ſunt, iudicis arbitrio talis puniendus eſt.

QVAESTIO IIII.

An malefici poſſint inducere pluuias, tempeſtates, grandines, & ſimilia meteorologica, quibus fructibus, aut ſeminibus noceant, vt d. L. ſignificat.

IOANNES VVierus lib. 6. de præſtigijs Dæmonum, cap. 27. & alibi, dicit, Chriſtianum Imperatorem in his LL. locutum, non quaſi ipſe crediderit, vel alios credere voluerit, eiuſmodi miracula ſiue calamitates ab homini-

minibus per malas magicasq; artes edi ac perfici; sed ita potius accipienda, quasi desumpta & scripta ex opinione vulgi, & secundum cõmunem loquendi formam. Quanquam, inquit, si auctoritatem spectemus, quis est qui ambigat, in hoc negotio iuri diuino summam tribuendam & fidem & reuerentiam? In causis enim definiendis, ijs præsertim, quę spectãt ad animum, cuiusmodi nostra est, dicta Patrum & canonum legibus sunt præferenda. Panormit. in cap. Super illa, de secundis nuptijs, neq; leges ipsæ dedignantur sacros canones imitari. Authent. vt cleric. apud proprium Episcop. in fine. Hæc VVierus, quem sequitur Ioannes Georgius Godelmannus Iurisperitus lib. 2. de Lamijs cap. 7. à nu. 15. Antequam huic quæstioni satisfiat, ad rei cognitionem quædam sunt præmittenda.

Primum. Deo permittente, natura corporalis nata est moueri ab angelo, tam bono, quàm malo, motu locali, vt tradunt S. Augustin. lib. 3. de Trinitat. cap. 8. & 9. & S. Thom. 1. par. q. 110. artic. 3. & 1. 2. q. 80. artic. 2. ac alij Theologi in 2. d. 7. Quæcunque ergo solo motu locali fieri possunt, hæc per naturalem virtutem Dæmones (nisi diuinitus prohibeantur) facere possunt. Venti autem & pluuiæ, grãdines, & similes meteorologicæ impressiones, ac aëris perturbationes, solo motu vaporum resolutorum ex terra & aqua fieri possũt.

Vnde ad huiusmodi procreanda naturalis vir-
tus Daemonis sufficit: & vt hoc clarius, pateat
Secundo loco præmittendum, causſam efficientem
vniuersalem & remotam horum meteorolo-
gicorum effectuum, ex Aristotele, Alberto
& alijs, in lib. Meteorologicorum, esse calorem
solis & aliarum stellarum, quæ lumine & in-
fluentia sua agunt in aquam & terram, quæ
sunt elementa vaporabilia & ea mouent: mo-
dant ex sua dispositione naturali vapores: ex
quibus generantur impressiones humidæ in
aëre, qui aptus est ad recipiendum hos vapores.
Eleuantur autem quatuor vapores ex dictis
elementis, virtute solis & stellarum. Primus
siccus & calidus est, qui ascendens vsque ad
summam siue supremam aëris regionem,
prope spheram ignis, inflammatur, & ex eo ge-
nerantur impressiones ignitæ. Secundus est ca-
lidus & humidus, qui quando recipitur in pri-
ma aeris regione, quasi semper conuertitur in
aerem, nisi intensa aeris frigiditas impedi-
eum: Cum enim in qualitatibus assimuletur
aeri, & in habentibus symbolum facilior sit
transitus: facilimè in aerem conuertitur, in
quod ex eo rarissimè generetur impressio ali-
qua meteorologica. Tertius est frigidus &
siccus, & hic efficit ventum & terræ motum.
Quartus est frigidus & humidus, qui ascendens
causat omnes impressiones aqueas: aliquas per
condensationem, vt rorem & pluuiam: alias
per

per congelationem, vt pruinam, grandinem & niuem. Vapor autē humidus distinguitur, per subtilem & crassum: ex subtili generatur ros & pruina: ex crasso reliquæ aqueæ impressiones oriuntur. Cum autem non rarò pruina & grandine nostri malefici nocumenta inferant, de his ex naturalibus aliqua altiùs sunt repetenda. Quoniam pruina ex frigiditate nocturna intensa & acuta generatur, maximè flante vento Boreali, eius effectus est, quod mortificet vegetabilia, vt patet omnibus ad sensum. Est enim pruina omnino frigida, & tendit ad siccitatem, quæ duo sunt causa mortis, ex Aristotele in lib. de causa vitæ & mortis: Sicut è contrario ros viuificat vegetabilia, quoniam temperatè est calidus & humidus. Calidum autem & humidum temperatè mixta, sunt causa vitæ, vt patet in æstate, quando manè ex nocturno rore omnia virescunt. Hæc virtus pruinæ patet etiam ex illo Psalmi 77. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. Atque hinc apparet ratio, quare nostri malefici & sagæ tempore Veris, quando omnia terræ nascentia virere & florere incipiunt, & adhuc teneriora sunt, pruinam generent, & sæpius eo tempore in congregationibus suis sceleratis tractatus ineant de generatione pruinæ. Grando fit in nubibus à terra longinquis, eleuatis in altum. Cuius generationis causa est calor, qui est in vapore ascendente à terra &

aqua: quare plus generatur in partibus & temporibus calidis, quàm frigidis. Quando enim in aëre est multitudo caliditatis, aperitur nubes ex caliditate, & calor extenditur in aëre: & ideo totum frigus tanquam contrarium caloris ab aëre repellitur, & recipitur ad vnum locum in interiora nubis. Sicut videmus in pane cógelato, si igni apponatur, repentè in medio panis frigus colligitur, & ibi fit durissimus ex congelatione. Sic in nube vndiq; calefacta exterius, frigus contrahitur ad interiora. Ac stillæ pluuiæ ventis & frigore congelantur, & in lapides grandinis mutantur: & cùm sint naturæ aqueæ, congelantur in modum guttarum aquæ, & fiunt lapilli rotundi & parui. Quando autem multæ guttæ conglobãtur in vnum, & sequentes cum præcedentibus coniunguntur, fiunt longioris formę grãdines, & excedunt solitam quantitatem, & quandoq; non solùm bestias, sed etiam quæcunque terrestria sata & frumenta concutiunt & conterunt. Effectus grandinis in primis est mortificatio fructuum, & nascentium terræ, quæ non solùm prouenit ex percussione, sed etiam ex frigiditate intensa, quæ est rei viuentis mortificatiua, ex Aristotele in lib. de caussa mortis & vitæ. Deinde vt plurimùm fructus illo anno percussos facit amaros: quoniam cũ generetur ex calidissima nube, habet aliquid de adusto, quod vuas prę sertim à grandine ta-

ctas adurit, vt patet ad sensum, quãdo vuæ nec dum maturæ grandinis lapidatione tangũtur, & quatiuntur. Est & aliud notandum in grandine, aliquando si granum diuidatur in medio, habet partes nigras, per modum circuli depicti: cuius ratio est, quoniam habet multũ de terrestri impuro, quod vt magis densum tendit ad medium grani, vt pote magis graue. Et quod sit ibi multum de terrestri impuro, signum est, secundum Albertum in 2. lib. Meteor. tract. 1. ca. 20. quod aliquando in frustris grandinis inueniuntur pili, paleæ, & frustula ligni, quæ eleuauit sol cum vapore humido, qui est materia grandinis. Quare aliquando simplices, qui causas rerum naturales ignorant, quando aliquid huiusmodi grandini inclusum animaduertunt, statim suspicantur esse negotium diabolicum, cùm tamen sit opus naturale. Inuenimus autem in Scriptura, sæpissimè Deum Optimum Maximum puniuisse homines grandinis lapidatione. Exod. 9. cap. Extende manum tuam in cœlum, vt fiat grando in vniuersa terra Aegypti, super homines, & super iumenta, & super omnem herbam agri, in terra Aegypti. Extendirque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitq; Dominus grandinem super terram Aegypti. Et grando & ignis missa pariter ferebantur, tantæq; fuit magnitudinis,

quantæ antè nunquam apparuit in vniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum, cunctamque herbam agri percussit grando & omne lignum regionis confregit. Iosue 10. Cum fugerent filios Israel hostes, misit Dominus super eos lapides magnos, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filij Israël: Aggæi 2. Percussi vos vento vrenti, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, dicit dominus. Sap. 5. Esaiæ 30. & alibi similia habentur de pœna grandinis. Quare nunc etiam non est mirum, hominum peccatis id exigentibus, si mediante opera Dæmonum & malorum hominum, permittat grandinis lapidatione nos puniri.

Tertium præmittendum. Regula est Theologorum, quam ponit Martinus Arles in tract. de superstitionibus, & elicitur ex Doctoribus in 2. sentent. d. 7. & 8. & in 4. d. 34. quod malefici, procurante Dæmone, omnibus modis possunt procurare nocumenta & læsiones, in hominibus & eorum rebus, quibus potest Dæmon lædere: Qui malefici, diuina permissione præcedente, concurrunt cum Dæmone, ad vnum eundemque effectum, tanquam causæ partiales, vt alibi dictum est, & clariùs est quam

vt egeat

vt egeat probatione: per pactum enim tacitum aut expressum coniunguntur homo & Dæmon, ad operationem effectuum, homini quidem per se impossibilium. Homo voluntatis consensu concurrit ad actum suas vires superantem, ac etiam extremum nonnunquam actum exercet, quo Dæmonem in auxilium vocat, vt exequatur suam voluntatem pessimam. Qui Dæmon tunc immediatè concurrit ad efficientiam actus. Quare valde malè argumentantur in hac materia, qui arguunt: homini nec vires suppetunt nec potentia adest, vt guttam aquæ efficere possit: ergo malefici non possunt grandinis lapidatione, aut intempestiuis imbribus nocere. Quia malefici concurrunt cum Dæmone, qui potest huiusmodi Meteorologica in pernitiem hominum, Deo permittente, excitare: & quando sic concurrimus, perinde est ac si nos faceremus, nobisque imputatur ad culpam. Quæ enim per nostros facimus, perinde imputantur, ac si nos faceremus. Quia sic paria sunt, aliquid per se, vel per alium facere. L. Item eorum. §. 1. ff. quod cuiusque vniuers. nom. L. hoc iure. §. 1. ff. de regul. iuris. & L. Is damnum. ff. eod. tit. Certum autem est Dæmonem posse excitare grandines & tempestates, quamuis VVierus neget, in Epistola ad Ioannem Brenzium, de concione eius habita de Grandine. Quia clarum est ex Iob. 1. quod Sathanas effecit, vt ignis

de cœlo caderet, qui consumeret pecora Iob. Et iterum: vehemens ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos. Atque hunc ignem à Diabolo procuratum textus clarus indicat, & attestantur S. Augustin. in Psalm. 77. vbi ostendit, Dæmonem multo maiorem habere actionem in Elementa, quam homo habeat. S. Thom. in cap. 1. in Iob Dionysius Carthusianus ibidem, & alij Doctores, & in Psal. 77. Tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem, immissiones per angelos malos. Apocalyp. 7. Posthæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens. Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoadusque signemus seruos Dei in frontibus eorum. Glossa ordinaria in illum locum ait: quatuor illos Angelos fuisse Dæmones. Catholica ergo Theologorum & Patrum doctrina est, Deo permittente, Dæmonem posse efficere impressiones meteorologicas, in perniciem hominum. Arguit

VVierus

VVierus in dicta Epist. cõtra hanc Catholicam veritatem. Impium est & idololatriæ conforme, tribuere creaturę, quod conuenit creatori. At Deo secundum sacras literas tribuitur, condere & efficere grandinem & pluuiam: Hieremiæ 9. Nunquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant? Exod. 9. Dominus dedit tonitrua & grandinem. Iob. 38. Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexistis? Iosue 10. Agg. 2. his scripturis & similibus VVierus ostendere studet, & Brentzius, moderatiùs tamen, Dæmonem non posse procurare ignem, pluuiam aut grandinem: & ita multo minus posse maleficos & magos. Sed vt robur huius argumenti clarè pateat rudibus, qui distinctionem rerum non cognoscunt, in simili ostendam solum habere apud indoctos apparentiam, & nihil roboris. Scriptura tribuit Deo, quod sit auctor mortis & vitæ, occidat & viuere faciat, percutiat & sanet. Ergo huiusmodi effectus tribuere hominibus impium est, & idololatriæ conforme. Ergo non est dicendum, quod homo occidat, percutiat, aut medicus vitam conseruet, aut sanet, aut homo sit auctor vitæ, siue parens, & sic de similibus. Antecedens probatur Deuteronomij 32. Videte quod ego sum solus: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere. 1. Reg. 2. ca. Dominus mortificat & viuificat. Sap. 16. Tu es

Domine,

Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis: & Tobiæ 13. Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula regnum tuum: quoniam tu flagellas, & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis, & non eſt qui effugiat manum tuam: ſimilia alibi in ſcriptura habentur. Nunc pro diſſolutione huius nodi, notandum eſt, quod ſecundum veram philoſophiam, & etiam Theologiam, Deus eſt prima principalis & independens cauſa efficiens, ſua propria virtute, omnium rerum: ſic tamen, vt res creatæ non careant ſua virtute agendi, quam Creator in creatione indidit. Quare Deus eſt factor & ſator rerum omnium, & operatur omnia in omnibus: ita tamen, vt creaturæ in ordine ſuo etiam operentur. Eſt Deus auctor vitæ & mortis. Sol tamen & homo generant hominem, vt rectè auctor Ariſtot. eſt; cum concurrant ad vitæ introductionem, & cooperentur. Principalis ergo cauſſa eſt Deus, particulare agens in ordine ſuo eſt cauſsa minùs principalis. Iam ad argumentum reſpondetur: Deus optimus Maximus eſt cauſsa principalis independens, & primaria omnium impreſſionum Meteorologicarum, qui cauſſas naturales ad hoc ordinauit, vt hiſce effectibus inſeruiant. Qui etiam pro ſua voluntate, cum non dependeat à cauſſis naturalibus, ſine his particularibus poteſt producere propria virtute ſimiles effe-

effectus, quod nulli creaturæ competere potest, cùm de eius intrinseca & essentiali ratione sit, habere esse communicatum & participatũ ab alio, scilicet creatore. Quantum autem ad inditam naturam spiritualium substantiarum, tanta eis data est in creatione naturalis operandi potestas, quæ per peccatum non est diminuta, secundum communem Theologorum doctrinam, vt nulla ei super terram valeat comparari: sicq; ex naturali etiam rerum ordine, cum substantia corporalis, vtpote imperfectior, infra spiritualem sit quantum ad motum localem: Elementa subsunt operationi Angelorum tam bonorum, quam malorum, vt S. August. in d. Psal. 77. & in 3. de Trinit. cap. 8. & S. Thom. 1. part. q. 110. art. 3. & in c. 1. Iob. & alij Theologi in 2. d. 7. ac alibi docent. Dæmones autem, in productione talium effectuum Meteorologicorum, nihil aliud faciunt, nisi Deo permittente coniungunt aut continuant, naturali sibi virtute communicata, causas à Deo ordinatas per motum localem, quòd fieri posse constat ex nunc dictis, de potestate Dæmonis, & ex alijs suprà in 2. præmisso, de generatione Meteorologicorum. Vtuntur ergo Dæmones causis naturalibus ad pluendum, & generandum grandinem, pruinam, fulgura, aut ventum à DEO ordinatis aliquando quasi extraordinariè & artificialiter ad pluuiam, ventum & similia producendum.

His præ-

His præmissis nunc quæstioni satisfaciendum.

Conclusio responsiua. *Certissimum & nullatenus dubitandum est, maleficas & sagas, cooperante Dæmone, posse mouere tempestates, intempestiuis imbribus, & grandinis lapidatione nocere hominibus, vt Christianissimus Imperator in L. hac indicat.*

PROBATVR Conclusio. 1. Elementa subiacent operationi Dæmonum, ex communi Theologorum doctrina, quantum ad motum localem, vnde ea possunt conturbare. 26. q. 5 can. Nec mirum. Magi sunt, qui vulgò malefici, ob facinorum magnitudinem nuncupantur: hi sunt, qui permissu Dei elementa concutiunt: quæ verba Isidor. lib. 8. Ethymolog. cap. 9. ponit, & infrà in L. Multi: verbo, Elementa turbare. Ad huius Constantini L. mentem accedit Innocentius Octauus, in Bulla præmissa Malleo Maleficarum, quam infra post finem libri, cum alijs hanc materiam concernentibus subijciemus. In hac Bulla multi tribuuntur effectus maleficis. Sanè nuper ad nostrum non sine ingenti molestia peruenit auditum, quod in nonnullis partibus Alemaniæ superioris, nec non in Moguntinen. Colonien. Treuiren.

Saltz-

Saltzburg. & Bremen. prouincijs, ciuitatibus, terris, locis & Diœceſibus, complures vtriuſque ſexus perſonæ, propriæ ſalutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, cum Dæmonibus incubis & ſuccubis abuti, ac ſuis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, alijſq; nefandis ſuperſtitionibus, & ſortilegijs, exceſſibus, criminibus, & delictis, mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas, & arborum fructus, nec non homines, mulieres, pecora, pecudes, & alia diuerſorum generum animalia, vineas quoque, pomeria, prata, paſcua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, ſuffocari, & extingui facere & procurare, ipſoſque homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, & animalia diris tam intrinſecis, quàm extrinſecis doloribus, & tormentis, afficere, & excruciare, ac eoſdem homines ne gignere, & mulieres ne concipere, viroſq; ne vxoribus, & mulieres ne viris actus coniugales reddere valeant, impedire: Fidem præterea ipſam, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmi ſuſceperunt, ore ſacrilego abnegare: Aliaq; quàm plurima nefanda, exceſſus & crimina, inſtigãte humani generis inimico, committere & perpetrare non verentur, in animarum ſuarum periculum, diuinæ Maieſtatis offenſam, ac pernicioſum exemplum ac ſcandalum plurimorum. Sequuntur Theologi. S. Auguſtin. lib. 8. de Ciuit. Dei. cap. 19. Iſidorus

loco

loco cit. S. Thom. in 2. d. 7. & 8. Doctores mallei maleficarum 2. part. q. cap. 15. Sylueſt. in ſumma. verb. Maleficium. Ioannes Nider in formicario. Alphonſus Caſtrenſis lib. 2. de iuſta hæret. punitione c. 15. Nicolaus Iaquerius in flagello hæreticorum, & alij alibi. Conſentiunt Iuriſperiti Bartol. Angel. Azo. Salyc. Godefrid. in d. L. Eorum. Bonifacius de Vitalinis in tract. de maleficijs, in cap. de Sortileg. & mathem. Ioan. ab Anania. in cap. 1. de Sortileg. Paulus Grilland. lib. 2. q 6. & alibi. Ioan Bodin. lib. 2. de magorum Dæmonomania cap. 8. & in confutatione Ioannis VVieri. Petrus Gregorius Tholoſanus in Syntagm. iuris vniuerſi, cap. 11. num. 12. & c. 13. li. 34. part. 3. Vlricus Molitor Conſtantienſis, in Dialogo ad Sigiſmundum Archiducem Auſtriæ, cap. 1. & alij alibi. His accedit ſententia etiam Ethnicorum, qui firmiter crediderunt incantationibus nocumenta frugibus & ſatis inferri. Vnde illa lex 12. tabularum L. 53. extat. Qui fruges excantaſſet, pœnas dato: neùe alienam ſegetem pellexeris excantando ne incantanto, ne agrum defruganto, VVierus in lib. de Lamijs cap. 12. ad hanc L. ſic reſpondet. Hic & explodenda venit, illa duodecim tabularum lex: Qui fruges excantaſſet, &c. Nullo ſiquidem modo incantationum verbis & imprecationibus fruges lædi queunt: ſed ne à Dæmone quidem Deo concedente, aut veneficijs, multo minus ea traduci

traduci aliò possunt. At huius persuasionis colostrum ex Poëtarum vberibus suxerunt veteres, ad nos quoq; deriuatum. Hæc VVierus. Godelmanus loco cit. num. 17. respondet: Si legislatores 12. tabularum cognitionem religionis Christianæ habuissent, hanc certè legem non tulissent, quã ex libris veterum Poëtarum conscripserunt. Hæc ille. Sed hanc legẽ 12. tabularum approbant alij magni nominis viri, tam Christiani quàm Ethnici. S. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 19. Lodouic. Viues in comment. eiusdem cap. Francisc. Balduinus Iurisconsult. & alij in d. L. 12. tabularum. Iacob. Menoch. de arbitrarijs Iudicum quæstionib. lib. 2. casu 388. Ioan. Bodin. loc. cit. Petrus Gregor. Tholosanus in d. c. 11. Petrus Matth. in 7. decretal. in tit. de malef. & incantator. cap. vlt. in notabili. Lambert. Danæus in Dialogo de Sortiarijs cap. 3. & alij alibi. Accedunt prædictis, ex Ethnicis, in confirmationem d. legis. Cicero in lib. de Republ. quem ad hunc effectum citat August. Plinius lib. 28. naturalis historiæ cap. 2. & lib. 30. cap. 1. Eiusdem sententiæ est Vergilius Egloga 8.

Atq; satas alio vidi traducere messes.

Et Ouid. lib. 3. de amore.

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Illicibus glandes, cantataq; vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Neq; enim quia Poëtæ veritatem dicunt, ideò veritas reijcienda est, nam multa ad hominum vtilitatem cecinerunt. Quare non rarò Sancti Patres eorum auctoritate etiam vtuntur, vt est videre apud Augustin. in lib. de Ciuit. qui illud Vergilij positum loc. cit. adducit. Et apud Euseb. de præparat. Euangel. Hieron. in diuersis locis, & alios.

Confirmo legem d. 12. tabularum latius. Sacræ literæ, & Sancti canones prohibent incantationem, & ei aliquam vim tribuunt; ergo aliquam vim habet incantatio: aliàs si titulus sit sine re, frustrà S. literæ & canones sub pœna prohibent. Antecedens confirmatur. Deuter. 18. Nec inueniatur in te maleficus, &c. Aut incantator. Psalm. 57. Veneficii incantantis sapienter. Eccles. 12. Quis miserebitur incantatori? Et in can. 26. q. 5. can. Si quis, & can. Nec mirum: & ibidem q. vlt. can. Admoneant. Et sancti Patres August. lib. 2. de doctrina Christiana ca. 20. Chrysost. serm. 7. de fato. S. Thomas 2. 2. q. 96. artic. 2. S. Antonin. 2. part. tit. 12. cap. 1. §. 12. Summistæ in verb. Incantatio. Siergo incantatio aliquam habet virtutem, vt nemo sapiens negare potest, aut illam exercet in hominem, aut in alia creata ad cõseruationem hominis: Si solùm in hominé: maior erit prouidentia Dei in media ad finem, scilicet creaturas irrationabiles, quàm erga hominem, ratione cuius creatæ sunt reliquę creaturæ. Si autem

tem in hominem & creaturas: habetur intentum LL. prædictarum, quod malefici & magi, cooperante Dæmone, possint incantare fruges & sata. Amplius confirmo exemplis veterum. Plin. lib. 28. cap. 3. prope finem, postquam multis incantamentorum & carminum vim confirmasset, attestatur. Pagana lege in plerisq; Italiæ prædijs cautum est, ne mulieres per itinera ambulantes neant siue fusos torqueant: aut omninò detectos ferant: quoniam aduersatur id omnium spei præcipuè frugum. Sic statim subiungit. Carmina quædam extant contra grandines, contraque morborum genera, contra arbusta. Quædam etiam in partus. Gellius lib. 9. cap. 4. narrat in Africa familias esse hominum, voce atque lingua fascinantium, qui si impensius fortè laudauerint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atq; cultu opimas, moriuntur hæc omnia repentè, nulli alteri caussæ obnoxia. Petrus Gregorius vbi suprà cap. 13. refert ex Dione Cassio lib. 56. historiæ, quod eo tempore, quo Cn. Sidius Geta contra Salabum ducem expeditionem faciebat, neque aqua esset ad extinguendam sitim, quendam indigenarum confœderatorum incantationibus plurimam aquam cœlo elicuisse. Olaus Magnus lib. 3. historiæ de gentiũ Septentrionalium varijs conditionibus, cap. 28. refert de Oddone quodam

Danico, pirata maximo, qui magicæ artis ita peritus extitit, vt absq; carina altum mare perrerrans, hostilia sæpè nauigia concitatis carmine procellis euerteret. Itaq; ne cum piratis in maritimarum virium certamen descenderet, exasperatos maleficio fluctus & vētos ad naufragia eisdem infligenda perducere solebat. Qui tādem dignam suis sceleribus recepit pœnam, à peritiore hoste circunuentus, gurgite submersus est, qui marinos vortices præstigiosis carminibus olim calcare consueuit. Imò idem auctor ibidem cap. 16. mentionem facit magorum & maleficorum Finnorum, qui negotiatoribus in eorum littoribus contraria ventorum tempestate impeditis, ventum venalem exhibere, mercedeq; oblata tres nodos magicos, non cassioticos, loro constrictos reddere solebant, eo seruato moderamine, vt vbi primum dissoluissent, ventos haberent placidos: vbi alterum, vehementiores: At vbi tertiū laxauissent, ita sæuas tempestates se passuros, vt nec oculo extra proram in euitandis scopulis, nec pede in naui ad vela deprimenda, aut in puppi pro clauo dirigendō, integris viribus potirentur. Hiq; infœlicius rem experti sunt, qui vim eiusce modi nodis per contemptum inesse negarunt. De ventorum venditione, eodem Olao referente, testatur etiam Herodotus lib. 7. de præfectis Xerxis, quod ij triduana tempestate 400. naues amisêre, donec quarto

quarto die magi inciſiones faciendo, & veneficijs incantando, ventum Theti & Nereïdibus ſacrificando, tempeſtatem compeſcuerunt, ſiue eadem tempeſtas aliter ceſſauit. Ex dictis conſtat, legem prædictam nihil à ratione & Theologorum doctrina alienum includere.

QVAESTIO V.

An licitum ſit vti maleficijs ad finem boni: vt, ad curandum infirmitatem, aut ad arcendum pluuiam, & tempeſtates?

PRO parte affirmante facit textus in hac L. Vnde eruitur, quod incãtationes ad finem boni liceant, & non puniantur, vt communiter Iuriſperiti in hac L. ſentiunt. Bartolus, Salycetus, Godefridus, Azo, & alij alibi. Angel. tamen in hac L. ſentit incantationes etiam ad finem boni illicitas, niſi fiant virtute diuina. Apoſtilla ad Salycetum in d. L. notat, etiam de iure ciuili prohibitas incantationes ad finem boni: vt pro inueniendo theſauro L. vnica, de Theſaur. C. lib. 10. Petrus Gregor. Tholoſan. lib 34. c. 18. in fine Syntagm. iuris vniuerſi dicit, iure ciuili hanc magiam, quæ fit ad finem boni, etiam improbatam à Leone Cæſare, qui hac de re edidit Conſtitutionem 65.

Prima Conclusio. *In dicta L. Eorum tolerantur, & non puniuntur incantationes, quãdo fiunt ad bonum finem: vt, ad sanandum infirmum, aut ad repellendum tempestates.*

HAEC est communissima Iurisperitorum sententia. Bartolus, Salycet. Godefridus Azo in d. L. Grilland. lib. 2. de Sortileg. quæst. 6. num. 20. Hostiens. in summa de magistris. §. Quam scientiam. Troilus Maluetius in Tract. de sortibus, à num. 13. & alij alibi. Nec mirum. Cùm enim L. ciuilis pacem & bonum tantum externum quærat, non ita attendit ad ea, quæ conscientiam concernunt: quia tamen tolerat, & non punit, non ideo approbat, tanquam rectè facta: exempla in alijs habemus: de lege ciuili licitum est marito vxorem in adulterio deprehensam occidere, nec punitur. L. Gracchus. C. ad Legem Iuliam de adult. & L. Marito. ff. eod. tit. Sic etiam iure ciuili non punitur in emptione & venditione infra medietatem iusti pretij decipiens. L. 2. C. de rescind. vendit.

Secunda Conclusio. *Non est licitum in foro conscientiæ, secundum legem diuinam & canonicam, vti magicis artibus & incantationibus, etiam ad finem bonum.*

IN

IN hac Concluſione Theologi, Canoniſtæ & Iuriſperiti conſentiunt. Probatur Concluſio, Leuit. 19. Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini. Et cap. 20. Anima quæ declinauerit ad magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi, &c. & in iure canonico, 26. q. 5. can. Nec mirum. Vbi poſt multas enumeratas ſuperſtitiones, ſic dicitur: Ad hæc omnia ſupradicta pertinét ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars non commendat medicorum, ſeu in præcantationibus, ſeu in characteribus ſuſpẽdendis, atq; ligandis, in quibus ars Dæmonum ex quadam peſtifera ſocietate hominum & malorum Angelorum exorta. Vnde hæc cuncta vitanda ſunt Chriſtiano, & omni penitus execratione repudianda atq; damnanda. Et in cap. Admoneant, eadem cauſſa q. 2. in cap. Extuarum, de Sortileg. Et ratio ſatis clara etiam eſt. Vti enim magica arte aut maleficorum opera, eſt res per ſe mala: cùm inuoluat pactum inuocationemque Dæmonum, qui ſunt inimici Dei & humani generis: ergo nullo quocunque fine, etiam optimo, huiuſmodi factum poteſt cohoneſtari. Quia finis non neceſſariò attrahit ad naturam ſui ordinata in finem, vt rectè etiam annotârunt Anthonius à Butrio, & Ioannes de Anania in d. cap. Extuarum. Expreſſa enim eſt Apoſtoli Pauli Rom. 3.

sententia, non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Expedit ergo magis pati in corpore & temporalibus bonis, quàm in anima: Quia minor est corporis & temporalium rerum iactura, quàm animæ, ex d.c. Admoneant. Præstat igitur, vt bene ait Grilland. mille pati mortes, quàm opera diaboli liberari ab infirmitate. Hanc doctrinam facultas Theologica Parisiensis, in articulis de superstitionibus definiuit, in artic. 5. Quod licitum est vti magicis artibus, vel alijs quibuscunq; superstitionibus, à Deo & Ecclesia prohibitis, pro quocunque bono fine: error. Quia secundum Apostolum, non sunt facienda mala, vt bona eueniant. Et in art. 6. Quod licitum sit, aut etiam permittendum, maleficia maleficijs repellere: error. Et art, 7. Quod aliquis cum aliquo possit dispensare in quocunq; casu, vt talibus licitè vtatur: error. Hinc patet quàm impium sit illud dogma Paracelsi, in lib. de morbo caduco: Nihil referre, an Deus, vel Diabolus, Angeli vel immundi spiritus ægro opem ferant, modò morbus curetur. Sanè dolendum est apud multos Christianos hanc etiam sententiam inualuisse: quod si aliqua calamitate premantur, modò liberentur, non curant, an medijs licitis vel illicitis. Quare non est admirandum, apud nostrates tam magnam portam Dæmonibus apertam esse, vt penè Gentiles superstitionibus superent.

Tertia

Tertia Conclusio. *Etiamsi maleficus paratus sit semper maleficia exercere, non licet tamen eius vti opera ad tollendum maleficium, si probabiliter cognoscatur & præsumatur, quod alio maleficio vtetur ad soluendum adhibitum.*

Haec est communis Theologorum sententia, contra Angelum in verb. Superstitio. §. 13. allegantem Aureolum in 4. d. 34. q. 2. pro sua parte. Constat Conclusio. Maleficus grauiter peccat, quando arte magica, & diabolica maleficium à se, vel alio illatum tollit, vt ex dictis in secunda Conclusione patet. Ergo non licet eum inducere, etiamsi paratus sit, vt id faciat, quod sine peccato exequi non potest. Quia sic inducens consentit in peccatum alterius, quod sine scelere fieri non potest, iuxta Pauli sententiam: Digni sunt morte non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, & sic in casu, petens est causa proxima & efficax peccati. Licet enim talis paratus esset, non tamen feciſſet illud particulare maleficium, ad finem petitionis directum, nisi petens induxisset. Pro dictæ sententiæ persuasione facit: licitum est vnicuiq; vti malo alterius ad suum commodum. Sic secundum S. Augustinum licitum est mihi vti, ad commodum meum, iuramẽto hominis infidelis, quamuis sciam illum iuraturum per Deos falsos, quos colit.

Rom. 1.

Iu ep. 154. ad Publicolam, & habetur 22. q. 1. cap. Mouet te.

colit. Ad idem pertinet, quod communi Doctorum consensu potest quis mutuum petere ab eo, quem scit non nisi ad vsuram daturum. Respondetur, quod non est similitudo in exemplis. Quia in his casibus qui petit, cupit id, quod sine peccato fieri potest, etiam cum merito. Malitia enim in duobus exemplis positis non sequitur ex natura rei, sed ex ipsius operantis mala voluntate, quæ est extrinseca operi. Qui enim petit iuramentum ab infideli, non cupit vt per falsos Deos iuret, (alioquin sic petens peccaret, quia peteret id, quod esta pertè peccatum) sed solùm petit, vt iuret: Etsi esset optio in offerente iuramentum, mallet eum per verum Deum iurare. Eadem ratione, qui cupit mutuum ab vsurario, non petit ad vsuram pecuniam, quia sic peccaret: cùm id sine peccato fieri nequeat: sed petit sibi dari mutuum, quod laudabile & meritorium est. Ad maiorem & clariorem harum obiectionum lucem vide S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. Ioannem à Turrecremata in d. cap. Mouette: & Dominicum à Soto lib. 6 de iust. & iure q. 1. artic. 5. & Alphonsum Castrens. lib. 1. cap. 15. de iusta hæret. punitione. Alia autem ratio est in casu propositæ Conclusionis: quia qui petit à malefico, vt arte magica maleficium soluat, pro suo commodo & vtilitate, is petit quod ex rei natura sine peccato nequit fieri. Quare optimè declarauit facultas Parisiens. in d. artic. 7.

quod

quod sit error dicere: quod possit dispensari, vt quis licitè talibus posset vti. Quia communis & verissima Theologorum sententia est, quod dispensatio non cadat in ea, quæ ex natura sua sunt mala.

Quarta Conclusio. *Si maleficium adhibitum eius esset generis, quod naturali aliqua virtute, aut actione, sine vlla Dæmonis inuocatione & auxilio posset dissolui, non esset illicitum petere dissolutionem à malefico aut incantatore.*

VT, exempli gratia, si malefica posuisset sublimine alicuius ianuæ aliquod maleficium, quo remanente vaccę morerentur, aut lac eis subtraheretur: non esset peccatum remouere tale signum, aut maleficium. Haud dissimile est, quod refert Gregorius Turonensis lib. 8. Historiæ Francor. cap. 33. Aiebant, inquit, Parisianam vrbem quasi consecratam fuisse antiquitus, vt non ibi incendium præualeret, non serpens, non glis appareret: nuper autem cùm cuniculi pontis emundarentur, vt cœnum, quo repletus fuerat, auferretur, serpentem gliremque æreum repererunt, quibus ablatis, & glires extra numerum ibidem, & serpentes apparuerunt. Dictam Conclusionem tenent. Scotus in 4. d. 34. quæst. vnica. Gabriel in 2. d. 8. q. 2. art. 4. dub. 2. Syluester in summa, verb.

verb.maleficium. Aurea Armilla. & Caietan. ibidem. Alphonſ. Caſtrenſ. loc.cit. & alij alibi. Ratio eſt, quia in tali caſu nihil commercij aut fœderis habetur cum Dæmone, ſed tantum fit, quod homo naturaliter facere poteſt, dum ſignum, aut inſtrumentum, quo maleficium deſtruendum eſt, remouetur & deſtruitur. Tum enim Dæmon, reſpectu talis maleficij, amplius non moleſtat: Quia ex pacto cum malefico contracto, tam diu aſſiſtit & cooperatur, quàm diu ſignum poſitum remanet: &, ſicut ceſſante cauſſa, ceſſat effectus: ſic etiam ea durante durat effectus.

Quinta Concluſio. *Quando maleficia illata ſunt alicui, homo debet ad Deum recurrere corde contrito, peccatorum confeſſione, profuſis lachrymis, largioribus eleemoſynis, ieiunijs & orationibus, ac exorciſmos aliaq; Eccleſiaſtica remedia adhibere.*

CAN. Si per Sortiarias 33. q. 1. & cap. fin. de frigid. & malef.

QVAESTIO VI.

An malefici, incantatores & magi ſemper valeant curare maleficia, à ſe, vel alijs illata?

NOTAN-

Notandvm, quod morbi, aut infirmitates dupliciter inferuntur à maleficis. Aut aliquando ipsi malefici per se rebus naturalibus & venenosis morbum inferunt. Aut ipsi solùm adhibent signa rebus, aut verbis, quæ nullam habent efficaciam naturalem ad effectum, sed tantum adhibito signo Dæmon operatur inuisibiliter, circa corpus hominis, aut bestiæ, cuius nocumentum maleficus intendit, applicando actiua passiuis.

Deinde aduertendum, ex malleo maleficarum Sylvestro, Grillando & alijs, quod quædam maleficæ nocēt, sed non curant: quædam verò è conuerso curant, sed non nocent: quædam verò vtrumq; præstant.

Prima Conclusio. *Maleficiatum hominem quandoq; nemo curare potest, nisi eiusdem artis sit peritus.*

Probatvr. Malefici frequenter in inferēdis morbis & calamitatibus vtuntur Dęmonis ministerio, qui cùm sit callidissimus & perspicacissimus physicus, nouit talia adhibere, quæ ars medicorum ignorat. Quare in cap. Nec mirum. 26. q. 5. etiam reprobantur remedia & medelæ, quas ars medicorum non commendat. Necesse ergo est, vt eadem arte mala huiusmodi tollantur, qua illata sunt. Quia nihil est tam naturale, quàm eodem genere vnũquod-

quodq; dissolui, quo colligatum esse reperitur. ff. de regul. Iuris. L. Nihil tam naturale. & eiusdem est soluere, cuius ligare.

Secunda Conclusio. *Quando ægritudines aut infirmitates introducuntur à maleficis, caussis merè naturalibus, veneno, aut venenosis potionibus, vt plurimùm possunt curari remedijs naturalibus, & medicorum arte.*

QVIA quæ mediantibus caussis naturalibus proueniunt, mediantibus contrarijs eiusdem ordinis tolli possunt. Dixi, vt plurimum: quum ex accidenti & circunstantijs adiunctis contingere possit, quod ars medicorum non sufficiat, vtpote si venenum fuerit fortissimum, ita vt statim totius corporis dispositionem inuaserit: aut si nimis diu expectatum sit, antequam medicorum cura adhibita: aut si subiectum veneficijs infectum, ita sit debilis complexionis, quod medicinas vsq; ad debitam operationem retinere nequeat. Quia vt Poëta cecinit.

Non est in medico semper, releuetur vt æger:
Interdum docta plus valet arte malum.

Atq; hoc etiam perpendendum, quod nostri malefici & sagæ frequentissimè vtuntur venenis mirificè à Dæmone præparatis & porrectis, quæ sine dubio efficacioris sunt operatio-

tionis, quàm ea, quæ præparantur arte & industria humana, & huiusmodi solet non rarò in congregatione finita chorea distribuere, vt multorum confessione didicimus.

Tertia Conclusio. *Quandoq; maleficus non potest dissoluere maleficium ab alio malefico inductum,*

Ratio: quia maleficus in dissolutione vtitur auxilio Dæmonis, si ergo Dæmon, qui cooperatur in dissolutione, sit inferioris ordinis, & is, cuius artificio malum infectum, potentioris virtutis, non poterit inferior dissoluere, nisi potentior aliquo respectu in maiorem hominum perniciem suo iuri cedat. Atque sic regulariter non potest inferior maleficus remedium adferre calamitatibus à superiori immissis. Cui rei breui, in quodam loco vicino, vtà viro fide digno accepi, quædam malefica testimonium perhibuit. Cùm enim interrogata fuisset, num illi, quem maleficio infecerat, remedium adferre potuisset: Respondit: Ah ego & mei similes hoc non possumus, licet inferamus: fuerat autem talis mulier misera, ex communi consortio, & non honoratiore loco. Idem patet experientia in rebus humanis. Quidam medici sunt præstantiores in scientia & praxi, qui optimè & facili negotio

tio curare possunt, quę indocti Medici ne quidem cognoscere valent.

Quarta Conclusio. *Regulariter, quæ inferior maleficus intulit maleficia, superior potest curare.*

PROBATVR. Superior maleficus operatur virtute superioris Dæmonis, qui inferiorem potest cogere, vt ipsemet dissoluat, vel superior valet dissoluere, cùm in sua potestate sit. Rex enim in suo regno omnia, quæ excellentiæ & potestatis sunt, potest quæ Prætor, vel officiatus sibi subditus. Intelligo autem hic superiorem maleficum eum, qui pactum, habet cum Dæmone superioris ordinis.

Quinta Conclusio. *Quandoq; infirmitates & calamitates illatæ tales sunt, vt amplius nullo etiam maleficio dissolui queant.*

PROBATVR. Sicut mala aliquando ita periculosa & inueterata sunt, vt nulla arte medicorum curari queant: Ita etiam ob diuturnitatem maleficia hominis naturam destruere possunt, vt impossibile sit curare. Quia cùm maleficus curet cooperante Dæmone, qui impedimenta sanitatis remouere debet naturalibus: si ob diuturnitatem omninò natura destructa

structa sit, non poterit remedium adferre. Ex quo fundamento in prima parte superioris tractatus intulimus, non posse diabolum omnem morbum, maximè senectutis, curare. Hinc sæpissimè audimus, quando incantatores & malefici interrogantur & consuluntur de morbis illatis (quod nullo modo fieri deberet) eis quandoq; respondetur, quod nimis tardè veniant.

Sexta Conclusio. *Maleficus aliquando curare potest morbos, quos ars medicorum aut ignorat, aut curare non valet.*

Quia Dæmon, qui ex pacto cum maleficio concurrit, maioris est scientiæ & potentiæ naturalis, quàm præstantissimus & expertissimus quicunq; Medicus.

Septima Conclusio. *Quando quis in morbis & infirmitatibus curandis vtitur modis & medicamentis, quæ medicorum ars ignorat: aut rebus, quæ secundum physicam, & naturalem philosophiam nullum habent naturalem ordinem ad effectum producendum, ratio curationis est suspecta, & sapit superstitionem & maleficium.*

Quia naturali causæ inesse debet aliqua vis insita naturalis, in ordine ad pro-

ductionem effectus: & si hæc in curationibus non inueniatur, necesse est effectus expectetur à Dæmone ex pacto. Hinc infero, vt plurimum remedia vetularum aut virorum, aut (quod magis detestandum) quandoq; sacerdotum, esse valde suspecta. Cùm enim sint indocti in medicina, & res naturales ignorent, contendunt non rarò sanare morbos grauissimos & inueteratos, de quibus medici, qui suam ætatem in studijs consumpserunt, desperant, & non rarò media adhibent huiusmodi homines superstitiosi, in quibus nulla est similitudo caussæ & effectus.

QVAESTIO VII.

Quomodo claui, scopuli, panni, setæ, ferramenta & similia dura quandoque in corporibus hominum inueniantur, & qua ratione ingerantur aut eijciantur: An huiusmodi tribuenda maleficijs, & diabolicæ arti?

CIRCA hanc quæstionem difficilem diuersi diuersa sentiunt. Paulus Grillandus lib. 2. de Sortilegijs q. 3. numero 27. duas refert opiniones. Aliàs vidi, dicit, sæpenumero, quod maleficio infecti, vbi liberationis remedium vsurpârunt, frequenter ex ore euomerent, vel per secessum exonerarent acus, capil-

capillos, ferramenta, clauos, plumas, sulphur, lapides, & res demum tales, quas maleficio læsum vorare potuisse, erat impossibile: non solum integras, sed nec fractas, nec minutè in frustra concisas. Vnde quid mirandũ videtur? Sed dic, vt quidem censuerunt, Sathanam ad maiorem hominum deceptionem facere dictas apparere species extraneas in resolutione facturæ, vt res miranda magis videatur. Quandoquidẽ inspiciuntur & cõsiderantur ea esse talis naturæ, formæ & qualitatis, vt impossibile fuerit talia potuisse ingredi in corpus maleficio læsũ, per aliquam partem naturaliter: sed in rei veritate non sunt species naturales. Et quod hoc verum sit, hinc apparet: quia illa eijciuntur per vomitum, vel secessum, atq; ita inter materias illas liquidas apparent à principio, cum primum è corpore emittuntur: At si seruaueris illas materias biduum aut triduum, aut dies quinq; quemadmodum ego aliàs studiosè seruari feci, videbis omnia ea liquefacta penitus, & ipsarum formas perijsse totas. Quod si naturalia essent, profectò in sua priori forma remanerent, nec corrũperentur, maximè ferrum & lapides, propter eorũ naturalem duritiem, vt manifestũ est omnibus. Quidam alij dixerunt, dæmones, vt res miranda videatur, tunc temporis, quando maleficio affectus irritatur ad vomitũ, vel ventris opus, velocissimè & inuisibiliter afferre ibi species

illas, siue materias veras & naturales aliunde acceptas, & ostendere quasi in hominis corpore fuerint. Sed nota, licet Dæmon potentia sua naturali hoc quidem posset, & tam dextro modo illas inferere in vomitu & stercore maleficio agitati, vt nullus hominum aduerteret: Prior tamen opinio magis placet, apparentes tantum species, & non naturales esse: eò quod non diu durent, sed resoluantur breui tempore in liquores. Multa pertinentia ad hanc materiam adfert Ioannes VVierus lib. 4. de præstigijs Dæmonum, à cap. 2. per aliqua capita. Libelli Germanici auctor, qui ascribitur Domino Iacobo Baroni in Lichtenbergh, de præcipuis articulis maleficij, hanc rationem ingerendi huiusmodi materias ponit. Corporis pori Diaboli artificio extenduntur, & per eos inseruntur stramina, setæ, corium & acutæ similesque materiæ: deinde pori iterum occluduntur, & remanent materiæ in corpore occlusæ. Ostendit similitudine: Quemadmodum si quis manu in profundo aquæ lapidem ponat, lapide relicto manum attrahit, quomodo deuenerit lapis nescitur. Eadem ratione naturali fulminis radius poros vaginæ transit, ferrumq; liquefacit, relicta integra vagina. Simili modo contingit in hac illusione, quæ magis noxia stigmata & vulnera infert. Huius opinionis primus iuuentor videtur fuisse Paracelsus in

lib.

lib. de occulta philosophia, qui vult veneficas & sagas alicui per poros cutis cineres, pilos, plumas, piscium spinas & similes res noxias, sine cutis apertione, in corpus inferre, per easque continuos cruciatus concitari, nec posse eximi huiusmodi materias maleficas per vulnus, aut incisionem. Hic auctor de curatione talium ridicula & plena superstitione docet, quare omittenda sunt. Quidam, alij medici iudicant in rei veritate nihil esse huiusmodi effectus, sed tantum præstigias & technas Dæmonis. Cosmas Philiarchus Pistorienſis Canonicus, & Theologus Florentinus, in lib. de officio Sacerdotis in 2. part. lib. 3. cap. 8. in primo præcepto Decalogi, putat aliquando huiusmodi res esse tantum illusiones, vt videantur, quæ verè non sunt, vel quod Dæmon aëris condensatione & coloratione faciat apparere illa: aliquando verò esse realia. Nam diabolus inuisibiliter illa stomacho infert, & inde visibiliter educit, non obstante quod sint ita magna: quia potest ad libitum ea diuidere, & reunire, & vbi opus fuerit, actiua naturalia ad id applicare, & hoc tanta celeritate, vt oculus diuisionem & compositionem discernere non possit, sed iudicet ita magna emitti, & quod oculus decipiatur, & non possit ratione velocitatis motus percipere rem, vt est. Adducit ad hanc materiam dictus Doctor exemplum apud Surium tomo 3. ex vita S. Petri. Archiepiscopi Tarantasij.

tasij. In castro S. Symphoriani Lugdunensis Ecclesiæ, erat vir fidelis, & religiosorum officiosus, sedulusq; susceptor, & ad suum hospitium vim faciendo, pertraxit Abbatẽ magnæ conuersationis, & opinionis. Illi erat filia, quæ opera mulieris maleficæ, per nequitiam inuidæ socrus, languore tabescebat desperato, nec viri sui præsentiam, nec aspectus vllatenus tolerabat: mater, vt Sathanas Sathanam eijceret famosum quendã maleficũ accersiuit, qui arborum cortices contriuit, & pocula verbis & herbis confecta dedit, & proprijs dentibus illius brachium momordit, quæ ab illo languore conualuit, sed interdũ velut ex corde procedere acus sentiens, cruciabatur atrociter, donec per morsurã brachij, quã nulla cicatrix obduxerat, acus educeret vis occulta, plures in hunc modũ, quam triginta, per tempõrũ interualla prodierant: Pater lachrymis filiæ infirmitatem Abbati exposuit, & ab eo auxiliũ petijt. Ducta ad præsentiã Abbatis, eadẽ hora sentiens acum, mulier gemebunda deplorat. Iam peruenerat ad foramen: solitus iam præcesserat cruor, iam cæperat apparere, & accedens vnus ex fratribus laicis eidem Abbati deseruiens cruentam extraxit. Orat Abbas, & locum vulneris tangens, in virtute fidei pollicetur, nec ferrum vltra, nec chalybem exinde processurum: Factum est, sed mutata materia est, malitia nec dum prorsus extincta: cæperunt lignei sudes paruuli pro ferreis

ferreis acubus egredi, & non omnes eiusdem magnitudinis, & crassitudinis, sexdecim intra annum, & paucos menses, ex mulieris lingua prodierunt. Adfuit demum S. Petrus Archiepis. Tarantasij, cui diuinitus seruabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur mulier missarum solemnia celebranti, sicut præceperat vespera præcedenti: Eadem hora septimum decimum lignum ex muliebri carne egreditur, quod sub oculis omnium sacrista extraxit: confitentem mulierem absoluit, sacram ei dedit Eucharistiam, & ab omni deinceps cuiuscunq; materiei progressu iubet esse securam: Hæc ibi. Materia huius puncti semper mihi visa est difficilis: tum quia multi dicunt constanti testimonio se huiusmodi educta sæpius vidisse, per incisionem, aut etiam aliam eductionem: communis autē sensum experientia non semper falsa est, tum quia via ingerendi huiusmodi in corpus sine dolore, & tactu, & signo res mirabilis quædam apparet, & cognitum nobis naturæ cursum effugere. Quid tamen mihi sentiendū videatur paucis resoluam.

Præmitto in primis ex Theologia & philosophia, naturaliter non esse possibilē corporū penetrationem. Quare miraculū maximū fuit, quod Christus clausis ianuis ad discipulos venit, vt ex Euangel. lectione Ioan. 20. constat, prout docent S. Greg. in hom. 26. in Euang. S. August. tract. 121. in Ioannē. S. Thom. 3. part.

q.28.art.2.& alij alibi. Quare cùm Diaboli potestatem excedat miracula facere, concedendum non est, quod eius operatione fiat penetratio corporum. His præmissis, sit

Prima Conclusio. *Non est à ratione alienum, quod quandoq; huiusmodi res non sint naturales, sed generentur ex mala humorum dispositione, ad modum rerum naturalium, & conseruata resoluantur in materiam liquidam, vt Grillandus cum prima opinione sentit.*

Secunda Conclusio. *Aliquando etiam ex causis naturalibus in homine nascuntur dura, quæ torsiones, dolores, & acutas infirmitates generant.*

PATET de calculo & alijs rebus. Ad quod propositum probandum, multa ex medicis adferuntur à Ioanne VViero lib. d. cap. 16. Quare non est boni Christiani, omnes acutas internas, & longas infirmitates referre ad maleficia.

Tertia Conclusio. *Secunda opinio à Grillando recitata etiam aliquando vera esse posset.*

QVIA Diabolus tantæ est subtilitatis & potentiæ, quod possit illudere sensibus

astan-

astantium, & veras res velocissimè afferre, & apponere, motis prius doloribus & torsionibus in corpore, & membro infecto, quasi lateant intus res naturales.

Quarta Conclusio. *Quod huiusmodi dura immittantur per extensionem pororum, & pori iterum immissis huiusmodi rebus duris occludantur, imaginarium est, & à naturali ratione alienum.*

Quia pori ita sunt à natura constituti, vt præter tenuissimum liquorem & sudorem nulla solida substantia egredi valeat, nec patiantur sine cutis & carnis scissione tantam extensionem, vt tam crassæ, durę & solidæ materiæ immittantur, vt omnibus ratione vtentibus ad sensum patet. Quantum ad illa, quæ adferuntur pro similibus, dissimilia potius sunt. Aqua enim est liquida, & diuiditur in omnem loci differentiam, & ad immissionem alterius solidi corporis statim cedit, & educto tali corpore iterum coadunatur. At alia ratio est corporis humani solidi: diuisum sine sensu & dolore non coniungitur. De ictu fulminis etiam alia ratio est: Quia, vt Physici tradunt, eius est naturæ, quod durum lædat, nullo apparente signo in molli. Sic quandoq; experientia cognoscimus in hominibus fieri, vt carne integra manente exterius, ossibus & ner-

uis interius confractis & contritis, fulminis ictus hominem lædat. Ad hoc facit quod Isidorus lib 13. Ethymolog. Seneca lib. 5. & 6. naturalium quæstionum, & Plinius lib. 2. hist. nat. & alij tradunt, quod fulmen talis sit naturæ, quod loculis & bursis in nullo læsis, sed integris manentibus, suo tactu conflat & consumit pecunias, aut gladium in vagina liquefacit, vagina intacta. Non enim fulmen eodem modo omnem materiam lædit. Quæ enim ob duritiam ei resistunt, vt lapis, ferrum, æs, & similia, vehementius & fortius dissipat & conterit: teneris, mollibus & rarioribus parcit. Hinc contingit, vt dictum est, quod quando hominem lædit, nihil vulneris exterius apparet, contritis interiùs ossibus.

Quinta Conclusio. *Existimo non esse negandum, aliquando res huiusmodi duras in partibus corporis, Dæmonis potentia & maleficorum opera includi.*

QVIA multorum hominum diligenti oculari inspectione compertum est, similes materias è corporibus excisas & emissas esse. In eis autem, quæ multis ad sensum patent, omnia ad deceptionem referre, quando clara sunt testimonia etiam Doctorum, infirmi est intellectus. Quia multa sunt, & fiunt, & non est dubium ea esse, quæ tamen rectè non possunt

sunt cognosci, vt August. lib. 21. de Ciuit. cap. 5. docet.

Sexta Conclusio. *A ratione alienum esse non puto, Dæmonem subtilitate suæ scientiæ, & virtute potentiæ posse immittere homini profundissimum somnum, & medijs naturalibus efficacissimæ operationis adimere sensum doloris, vt scissione carnem diuidat, & huiusmodi materias duras imponat, & iterum breuissimo tempore curet alijs naturalibus fortissimisq; remedijs nobis incognitis.*

Siquidem & medici vel chyrurgi naturalibus & soporiferis herbis nonnunquam immittunt soporem, ad remouēdum dolorem, quando aliquod membrum abscindere volunt. Dæmonis autem peritia insignis est, & potentia eius maior, quàm ab homine intelligatur. Nemo existimet, quod sine caussa mille artifex dicatur. Nec quis admiratione capiatur, quod nullum signum talis incisionis appareat. Cùm cicatrix relinquatur, aut ob imperitiam medici, aut ob medicinæ debilem & tardam operationem, quæ omnia Dæmon supplere potest. Quare videmus, quod cęteris paribus pręstantior Chyrurgus perfectius curet, & minorem cicatricem relinquat.

Huic

Huic Conclusioni congrua exempla ponit Nicolaus Remigius lib.2.cap.4. Quædam Margareta Ienina adiunctis sibi socijs, cùm proprium filium odisset, inuecta est nocte à Dæmone in illius ædes, quæ erant in Sarbringen, vbi dormientem prius tamen vnguento illinitum ad altius dormiendum, aggressæ simul sunt: sed cùm aliud fato aliquo impeditæ efficere non potuissent, testam humi repertam lateri filij, cui nomen erat Iaquilinus, facto prius vulnere, quod tamen momento coalesceret, inseruerũt: vnde etiam post multorum mensium vexationem videntibus multis erupit. Sennel Armentaria, quæ Dusæ in oppido Lotharingiæ pridie Calend. Octob. Anno 1586. mortis supplicium pertulit, confessa est, se in summum pedem cuiusdam Philippi Pistoris os è veruecina coxa, inseruisse: cùm prius admota piscis spina vulnus fecisset, quod deinde callo obductum, ingentes diuturnosque dolores eidem peperit, vt ab eodem pistore etiam postea compertum est.

Septima Conclusio. *Puto dissimilem imponēdi rationem esse eorum, quæ immittuntur in carnosam corporis substantiam, & aliorum, quæ ad intestina & stomachum transeunt.*

RATIO

Ratio diuersitatis est. Quia orificium, arteriæ, guttur & alia organa ad naturæ conseruationem ordinata, ita sunt cõstituta, quod non dilatentur, aut comprimantur, nisi ad naturales suos effectus: Sẽsum autem fugit, quod tam dura, solida & crassa transeant tam angusta foramina, sine dolore perceptibili. Etsi enim Dæmon sua subtilitate corpus penetret, eiq; illabatur; non tamen potest mediantibus corporalibus rebus ita interius operari, sicut exterius in carne, vbi facilius actiua passiuis coniunguntur. VVierus lib. 4. de præstig. Dæmonum, cap. 9. vnum adfert exemplum ex Ioanne Langio, Illustrissimorum Principum Palatinorum Rheni medico, lib. 1. Epist. 38. Quod contigit Anno Domini à Christi natiuitate 1539. in quodam Eistetensis Episcopatus pago Fugelstal. In hoc pago Vlricus Neusesser agricola, cùm crudelibus dolorum tormentis circa alterum hypochondrium conficeretur, subitò clauum ferreum sub illæsa cute manu apprehendit, quem Chirurgus illuc balneator nouacula exciderat: nec tamen cessarunt dolores, sed indies magis increscebant. Quapropter cùm necaliud doloris remedium fore miser, quàm mortem suspicaretur, arrepto cultello, sibi guttur abscidit. Itaq; dum tertio die ad sepulchrum mortuus efferretur, aderant tum Eucharius Rosenbader ex VVieſenburg, Noricorum oppido, ac Ioannes

ab

ab Ettenstet balneator, qui astante magna hominum frequentia, demortui agricolæ ventriculum inciderunt, in quo lignum teres & oblõgum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim instar serræ dentatos, ac duo ferramenta aspera repererunt, quorum singula spitami longitudinem excedebant: aderat & capillorum instar globi inuolucrum. Sed quid potissimum hîc admiraberis? an quomodo tot & tanta ferramenta in ventriculi cauitate contineri potuerint: an qua arte sint ingesta? certà non alia, quàm Dæmonis astu & dolo. Hæc dictus auctor.

QVAESTIO VIII.

Quomodo malefici aut sagæ nocte ædes maleficiandi ingredi possunt, sine strepitu & rumore, ita vt non deprehendantur?

CONFESSIONIBVS maleficorum & sagarum didicimus, quod non rarò de nocte ædes intrant, infantes rapiunt, aut homines dormientes veneficijs inficiunt. Quæritur ergo qua ratione ita cautè ædes & cubicula clausa intrare valeant? Tractat aliquid de hac quæstione Grilland. lib. 2. de Sortilegijs q. 8.

Hîc in memoriam reuocandum est, quod in superiori tractatu insinuatum, de custodia & ducatu Angelorum. Sicut enim bonus

Ange-

Angelus homini dux est in bonis, ita malus in malis. Dæmon enim magisterulus, qui suum clientem incitat ad nocendum homini, nocte dum homines dormiunt præcedit ad locum destinatum, fenestras, vel ianuas clausas etiam fortissimis seris aperit, & maleficos vel fagas intromittit, instruitque quomodo dormientem maleficio inficere debeant, imò etiam aliquando dormientibus remedijs soporiferis altiorem somnum imprimit, ad lectum dormientis ducit, ac lumen producit vt videant, cautè pannos discooperit, nec non etiam quandoq; suam operam impendit, vt potum veneficij ori, naribus, vel auribus infundant, vel corpus vnctione pestifera inungant. Re expedita Dæmon fenestras, aut ianuas iterum recludit, quando malefici egressi sunt, vt antea repererat. Nisi enim opera Diaboli vterentur, incredibile videtur, quod intrantes ædes alienas, in quibus fortasse nunquam fuerunt nocturno tempore clausis ostijs & fenestris, ita tacitè ingrederentur, & egrederentur, nec aliquando deprehenderentur. Sic dicit Grillandus se audiuisse à duabus mulieribus maleficis, quas examinandas habuit.

Retulit idem Ioannes Cuno de Rouer, cuius maleficij longam seriem retulimus in prima parte superioris tractatus. Cum enim Anna mater sua & duæ aliæ fagæ conuenissent, vt de nocte virum quendam Zelosum persecutorem

cutorem maleficorum maleficio conficerent. Magisterulus præcedens fenestras & ianuas aperuit. Ipse autem Ioannes Cuno pro comite à matre & alijs adductus fuit, vt candelam ardentem, quæ non naturalis, sed arte diabolica confecta erat, (ipso Ioanne Cunone proprijs scriptis sic distinguente) teneret. Venientibus autem eis in cameram maleficiandi in ciuitatem Treuirensem, cùm maleficiãdus pro more bonorum Christianorum se signo crucis & pijs exercitijs, antequam se quieti tradidisset, muniuisset, nihil efficere potuerunt, sed reinfecta reclusis ianuis auolare debuerunt. Vir autem bonus, cui nocere voluerunt, adhuc viuit Dei gratia, & tam diu viuet, quàm diu Deo placuerit. Mater dicti Ioannis Cunonis, cùm & ipsa examinaretur super articulis propositis eodem modo confessa est, sicut filius in hoc puncto. Si quis autem miretur, quo modo tam quietè hęc fieri possint quod homines non excitentur. Respondeo quandoq; etiam homines euigilare, quando huiusmodi tentant facere, imò nonnunquã aliqui percipiunt, quãdo potionem infundere contendunt, & euigilant non sumpta sufficienti parte ad tollẽdam vitam, sed tãtum ad aliquorum membrorum debilitatem, vt exemplis doceri posset, si expediret. Qui autem talia magisteruli aut Martineti, siue mali ducis opera fieri miratur ita clanculum, vt homines semper non eo excit-

t. n-

tentur: recogitet quomodo Apostolus Petrus dormiens inter duos milites, vinctus duabus catenis, & adhibita custodia ante ostium carceris, ipsa nocte, cùm eum iam productur us esset Herodes, à bono Angelo nemine rescisscente eductus sit. Et ecce, ait scriptura, Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad Petrum: Præcingere, & calcia te caligas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi. Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum, & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus reuersus ad se dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Hic considerandum, quam secretò Angelus bonus Apostolum eduxerit, & aduertendum, secundum naturalem potentiam nó esse etiam difficile facere Martineto, quæ ei asscripsimus, in nocturno ducatu sui clientis. *Actor. 12.*

QVAESTIO. IX.

An Magi & Malefici nostri etiam possint seminibus & arborum floribus, nocumenta inferre productione ranarum, murium, erucarum, locustarum, & similium bestiolarum?

Ex confessione earum percipimus passim eas fateri, quod non rarò huiusmodi operentur: proinde paucis huic quæstioni respondendum.

Prima Conclusio. *Certum est maleficos & magos mediante Dæmonis opera posse producere ranas, cyniphes, erucas, & similia animalia imperfecta.*

HAEC conclusio probatur ex scriptura Exod. 7. & 8. fecerunt malefici per incãtationes suas ranas, & serpentes. At Cyniphes educere non potuerunt, non ob eorum impotentiam, sed quia aderat dominatio prohibẽtis per Spiritum S. vt ait D. Augustin. lib. 3. de Trinit. cap. 9. Vnde Scriptura inquit: Digitus Dei est hic. Atq; quantum ad hanc Conclusionem attinet eam communiter DD. Theologi recipiunt. D. Hieron. Lyran. Dionysius Carthusianus, & alij in cap. 8. Exod. August. in loc.

cit.

cit. S. Thom. 1. part. q. 114. artic. 4. Alexander Alensis in 2. part. q. 43. memb. 2. Magist. in 2. d. 7. in fine. Bonauent. & alij ibidem. Guilhelm. Parisien. in lib. de vniuerso, part. 3 & alij communiter alibi. Ad eundem effectum facit Psalm. 77. Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ. &c. Et deinde subiungit: immissiones per angelos malos. In quem Psalm. legendi D. Augustin. Cassiodor. & alij.

Secunda Conclusio. *Ad productionem talium bestiolarum & animalium imperfectorum, Dæmon ex pacto cum mago & malefico tantum dispositiuè concurrit per applicationem agentium naturalium.*

Hanc docet August. in d. lib. 3. de Trinit. cap. 8. & post eum S. Thom. Alens. Bonauent. & alij. Ait enim August. Non solùm malos, sed nec bonos angelos fas est putari creatores, sed pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerum istarum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atq; ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones.

Tertia Conclusio. *Huiusmodi animalia iam ad operationem Dæmonum pro-*

ducta ex operatione suæ naturæ nocumenta inferant segetibus, floribus arborum, aut fructibus adhuc teneris.

HVIVS Conclusionis sensus est, quod quidem productio huiusmodi bestiolarum facta ope diabolica, sit præter communem naturæ cursum, & ita mirabilis quantum ad producentem, & mouentem agentia naturalia ad suum effectum, præsuppositа tamen productione, quod quædam depascant olera, alia flores arborum, quædam folia, nonnulla etiam hominibus molestissima sint, id conuenit naturæ talium bestiolarum. Hæc Conclusio satis probatur ex locis Scripturę allegatis. Exod. 8. & Psal. 77. & DD. in eisdem locis. His accedit quod sicuti miracula non sunt multiplicanda sine necessitate: ita nec mirabilia censenda, quę fieri communi cursu naturę ratio conueniens suadet. Cùm enim huiusmodi animalia licet imperfectiora sint, quippe quæ ex putrefactione facilimè generantur, & quasi à casu, auctore Aristotele lib. 7. Metaphys. tex. 23. vitam habeant, indigent nutrimento aliquo, atq; in id sibi conueniens ex natura indita feruntur. Ideo quando magi & malefici auxilio Dæmonis volunt hominum generi detrimenta inferre in seminibus aut fructibus arborum, dęmones concurrunt, DEO tamen permittente, ad productionem similium animalium in

tanta

tanta copia, vt verisimiliter magna ex parte flores arborum, aut fructus adhuc teneros depascant, corrodant, mortificent & contaminent. Ex qua corruptione humano generi, ad cuius conseruationem fructus terræ & arborum necessarij sunt, damna maxima contingunt.

Quarta Conclusio. *Possunt etiam magi & malefici auxilio malorum spirituum animalia imperfecta hinc inde in variis locis conspersa congregare in vno loco & coaceruare.*

Hanc, in qua Theologum non puto posse dubitare, breuiter docet Nicolaus Remigius Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ consiliarius lib. 1. Dæmonolatreiæ cap. 21. Prodierunt anno præterito 1595. huius Auctoris Dæmonolatreiæ lib. 3. in quibus ex indicijs capitalibus nongentorum plusquam minus, qui propter sortilegij crimen intra annos quindecim in Lotharingia, vbi ipse est cognitor publicus, morte mulctati sunt, omnes effectus, quos maleficis & strigibus tribuimus, multarum confessionum exemplis ostendit atq; illustrat. Conclusionem hanc nunc paucis probamus. Atq; in primis ex communi & recepta Theologorum doctrina. Corpora hæc inferiora etiam angelis malis, quãtum ad motum

localem obediunt(intellige semper, nisi Deus cui omnia subiecta sunt, impediat.) Atq; hanc propositionem post S. Augustin. lib. 3. de Trinitate cap. 8. & 9. tradunt S. Thom. 1. par. q. 110. art. 3. & lib. 3. contra gentiles, cap. 103. S. Bonauent. Palud. Richard. & alij cum Magistro in 2. d. 7. Sylvest. in verb. Maleficium. q. 2. Franciscus Victoria in relect. de arte magica, à nu. 32. Benedict. Pererius lib. 1. de magia, cap. 6. & alij alibi. Vnde citissimè & celerrimè propter magnam potentiam & virtutem possunt corpora de loco ad locum transportare. Hinc sicut res alias alibi factas Dæmones celerrimè ad magorum aliquando ostentationem ex locis etiã latè distantibus possunt asportare: Sic quoq; valent animalia imperfecta & minutiora in diuersis locis via naturali enata, coaceruare, & in locum destinatum mouendo cógregare. Qui enim homines mouendo celerrimè ex diuersis locis in vnum locũ potest coadunare: quid impedit, quo minus erucas, limaces, locustas & similes bestiolas in vnum locum cogat? Atque hoc modo fieri potuit, quod aliquando memini relatum, quosdam ex nostris maleficis confessos, quod habuissent tempore quodam autumni vas plenum limacibus parui ad perdendum semina frugum. Dæmoni enim minimè difficile est paruo tempore colligere, & vno loco includere magnum cumulum, & quasi infinitum numerum minutio-

nutiorum bestiolarum. Nicolaus Remigius refert exempla ex processibus & indicijs in hunc modum. Alexia Violæa in agro Tentræo Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio refert se, postquam bachantium more hac atque illac vnà cum æqualibus multum discurrisset, solitam in aëre spargere minutum quendam puluerem, ad id sibi idcirco à Dæmone concessum: vnde erucæ, bruchi, locustæ, atque id genus pestes satorum adeo densæ nascerentur, vt ijs agri ilicò vndequaque contaminarentur. Apra Hoselotia, Alexia Drigæa, Odilla Boncuriana, & Rosa Gerardina memorant se simili facto ingentem murium copiam non semel in agris excitauisse, qui ilicò in terram se abderent, corrodendis ortarum frugum germinibus: Et post quædam subdit: Quemadmodum nostra ætate visus est Nanceij Comes quidam è Germania vniuersas cubiculi muscas circa infixum in parietem pugiunculum congregans, non aliter atque apes in fuga vberis instar è ramo pendere solent. Et alius è tota vicinitate, ac confinio excitos angues in ignem Magico circulo conclusum inducés, ac cùm ex ijs quæ corpore immanior erat, in illum ingredi detrectaret: coacta est tamen repetito idẽtidem carmine id facere, ac se cum cæteris in obiectum ignem dedere & prouoluere. Hæc ille. Ex his nõ est difficile colligere,

qua ratione quidam incantatores aliquando in alicuius ædes, cui malè volunt, maximum glirium, aut murium numerum cogant; vt frumenta consumant, & alias molestias inferant. Non enim in verbis, aut signis est aliqua virtus coactiua, sed Dæmon ex pacto ad prolationem verborum & applicationem signorum operatur ad coadunationem murium, & glirium in tali loco, quem incantator & magus præfigit. Cùm hîc mentionem fecerimus, dęmonem per motum localem varia operari, dubium occurrit hoc loco soluendum, vt cóstet, an superstitio sit credere, vel aliquid veritatis obtineat opinio illa, tam quorundam incantatorum & magorum, quàm etiam multorum venatorum, qui existimant incantationibus impediri posse capturam ferarum. Ad quod dubium respondetur affirmatiuè, fieri posse vt impediatur captura ferarum incantatione & arte magica. Vt hoc melius intelligatur, recolędum quod ferę aut canibus capiuntur, quemadmodum vt plurimum lepores multi capiunt: & tunc impedimentum potest fieri à Dęmone ex parte canum insequentium leporem, quos in cursu potest impedire, vel in appræhensione: aut etiam leporem velocius potest impellere, & motu locali transferre, ita vt canes effugiat. Si autem feræ retibus sint capiendę, his modis aut similibus impedimentum opponitur. Aut ante retia potest se in cor-

incorpore assumpto ponere, vt feram anteuertat, vel ad eundem finem imprimere illusionem phantasmati feræ, vt apprehendat hominem, vel canem sibi aduersantem. Aut deniq; transferendo per motum localem feram, ne retia attingat: vel eadem etiam retia inuisibiliter eleuando, vt pateat securus transitus. Cùm enim Dæmon sit mille artifex, non desunt illi modi, quibus hominum commodis aduersetur, & suorum clientum, scilicet incantatorum & magorum causam promoueat: Siquidem incantatores omnem fiduciam collocant in suis incantationibus & signis magicis in ordine ad præstandum impedimenta capturæ ferarum, ita & ipse ex pacto tacito, si non quandoq; etiam expresso, concurrit tanquam fidelis cooperator ad impediendum, vt augeat rerum vanam confidentiam, & suam fallacem fidem confirmet.

LEX V.

Nemo Auruspicem consulat, aut Mathematicum: Nemo Ariolum: Augurum & vatum praua confessio conticescat, Chaldæi & Magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curiositas:

Etenim supplicio capitis feretur, gladio vltore prostratus, quicunq; nostris iussis obsequium denegauerit. Lex est Constantini ad populum.

HAEc L. partim spectat ad magiam diuinatricem, partim ad effectricem. Litera ferè patet ex superioribus, vbi de varijs diuinationis speciebus dictum est. D. Hierony. lib. 1. commentariorum in Danielem cap. 2. in illa verba: Præcepit Rex, vt conuocarentur harioli, & magi, & malefici & Chaldæi: distinctionem ponit inter hæc nomina. Secundum eum harioli sunt, quos alij ἐπαοιδοὺς, id est, incantatores interpretati sunt, & secundum eundem doctorem rem verbis peragunt. Magi, qui de singulis philosophantur. Malefici, qui sanguine vtuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis genetliaci significantur, quos vulgus mahematicos vocat. Sed latius quædam nomina ex dictis in hac lege accipiuntur. Etsi enim sacris literis Chaldæi intelligantur, qui per considerationem astrorum & astronomiam diuinabant, eò quod astronomia in Chaldæa viguerit, vt apparet ex illo Esaiæ, Vbi scriptum de Babilone cuitate Chaldęę: Stent & saluēt te augures tui, qui contemplabantur, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent futura tibi: tamen in hac lege videntur idem esse, quod magi. Magos enim

Esai. 47.

Chal-

Chaldæos Assirij, à Chaldæa Asiæ regione nominabant. Et cùm magi apud Persas potissimũ Deorum cultui vacare solerent, in tãtum postea aucta est eorum vanitas, vt non solùm obseruatione syderum futura prędicere, sed artibus quibusdam & maleficijs & scire se omnia, & facere posse profiterẽtur: quæ duo comprehendunt tam magiam diuinatricem, quàm operatricem. Per magos in hac L. diabolicis artibus mirabilium rerum effectores intelligo, quos vulgus omni tempore maleficos appellauit, vt patet ex Rub. hac L. & L. Etsi excepta. infra. & in can. Nec mirum. §. Magi sunt, qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes, ac sine vllo veneni haustu, violentia tantum carminis interimũt. Hos effectus etiam hæll. magis & maleficis tribuunt. Atque sic magos malas artes exercentes maleficos à vulgo semper appellatos, testes sunt antiquissimi Patres, Cassianus in collat. 8. cap. 19. Augustin. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 6. Lactant. lib. 2. de origine erroris cap. 17. Isidorus lib. 8. Ethymolog cap. 9. & S. Thom. lib. 3. contra gentiles cap. 106.

Nota hîc in illis verbis (quos maleficos, ob facinorum magnitudinem, vulgus appellat) maleficium, vt etiam nos experientia discimus, vix vnquam, vt in præsenti negotio de eo loquimur, continere vnum simplex cri-

crimen, sed semper multa includere: & proinde iudicium sumendum ex multis comitantibus. Nostri autem malefici hæc scelera committunt: abnegationem DEI, quæ est porta ad omnia scelera, fidei in Baptismo susceptæ, ac communioni Sanctorum abrenunciant: cum Dæmone pactum in destructionem cœlestis regni ineunt, cum Sathana rem Veneream exercent, nocte eodem cooperatore ad congregationem proficiscuntur, ibidem idololatriam exercent, exhibendo honorem & cultum Dæmonibus; cõspirant cum eisdem in perniciem humani generis, quomodo fructibus & seminibus, nec non hominibus nocere possint, & talia exequuntur Dæmoniaco auxilio accito, homicidia committunt, infantum corpora non rarò exhumant, quæ vel in cineres, aut liquores igne resoluunt, nonnunquam etiam corda infantum comedunt, Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento turpissimè sæpius abutuntur, iumenta & pecora morbis vsque ad mortem inficiunt, personas matrimonio iunctas impediunt, ne matrimonij actus debito modo exercere possint: odia inter coniuges aliquando generant, parricidia frequenter committunt, blasphemias frequentant, & alia plura facinora nefanda, quæ nominari nec possunt, nec decet, perpetrare non verentur, vt plurimis fidelissimis confessionibus testimonijsque

que didicimus. Quare rectè malefici dicuntur, non solùm ob facinorum magnitudinem sed etiam multitudinem. Nequetamen omnes malefici & sagæ omnia hæc coniunctim semper committunt, sed alij alijs sunt peiores. Hæc tamen ferè omnibus sunt communia: Abnegatio Dei, abrenũciatio fidei in Baptismo susceptæ, pactum cum Dæmone, Apostasia, idololatria in congregatione, abusus sceleratissimus Dæmonis in forma incubi aut succubi, conspiratio ad perpetrandum aliquod malum contra Reipubl. ac patriæ salutem, homicidium, aut aliquorum animalium perditio, sacrilegium in abusu Eucharistiæ, & blasphemia.

Postremò circa illa verba. (Etenim supplicio capitis ferietur, gladio vltore prostratus) aduertendum, quod quamuis secundum Iurisperitos generaliter loquẽdo, per pœnam capitalem non intelligatur pœna mortis, sed etiam exilij: Cyn. L. 1. C. de falsis. Marsil. in pract. Crim §. Oportunè. num. 40. Boër. in decis. 254. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 67. & alij: tamen hic intelligitur pœna mortis, vt intelligitur ex verbis adiunctis, supplicio capitis ferietur, gladio vltore prostratus.

QVAE-

QVAESTIO I.

An malefici sic dicti à vulgo, ob facinorum magnitudinem, morte sint afficiendi?

QVAESTIO hæc hoc tempore solemnis est, cùm ob frequentiam maleficiorum dubium quandoq; in casibus occurrentibus incidat, maximè cùm non omnes malefici sint pares in malitia. Ante resolutionem quædam sunt prænotanda.

Primum notabile. Secundum legem diuinam & humanam, pœna est commensuranda delicto & culpæ. Deuteron. 25. Iuxta mensuram delicti, erit plagarum modus. can. Non afferamus. 24. q. 1. cap. Sicut dignum, de homicid. & cap. Fœlicis, de pœnis in 6. & L. Respiciendum. ff. de pœnis. & L. 1. §. Sed & qui. ff. de abigeis.

Secundum. Delictum tanto grauius est, quanto dignior persona, in quam peccatur. S. Thom. 1. 2. q. 73. artic. 9. S. Antonin. 1. part. tit. 9. §. 1. cap. 1. & alij alibi. cap. 1. de calumniat. cap. Cùm illorum. de senten. excommunicat. Institut. de iniurijs. §. Atrox. Ex quo fundamento, cæteris paribus, grauiora sunt peccata, quæ in Deum committuntur illis, quæ in homines. cap. Vergentis, de hæret. & in Authen. Gazaros. in C. eod. tit. Hinc deducitur, quod abnegatio Dei, idololatria, præuaricatio, Apostasia, hæresis, sortilegium, diuinatio, incantatio

tatio,& similia,sunt grauissima peccata, & referuntur ad crimen læsæ maiestatis diuinæ.

Tertium. Est differentia inter hæresin propriè dictam,& crimen maleficorum: quia hæresis simplex peccatum est, nec tam multa alia inuoluit: at maleficium colluuies peccatorum comitatur, vt ex dictis clarum est. Sic communiter malefici incidũt in pœnam multorum criminum. Participant vt plurimum cum hæreticis in aliquo: longè tamen eos malitia superant in alijs. Ex hac causa non est eadem causa cognitionis& pœnæ.Si nihil aliud maleficium haberet, quàm hæresis crimen, nullo modo cognitio eius ad iudicem secularem spectaret: cùm autem diuersa habeat adiuncta,misti est fori, & est locus præuentioni, nisi consuetudo alibi aliud obtineat.

Prima Conclusio. *Malefici sic dicti à vulgo, ob facinorum magnitudinem, secundum legem diuinam & humanam,morte sunt mulctandi.*

Probatur primò ex lege diuina. Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Glossa ibidem, (Maleficos) qui præstigijs magicæ artis & diabolicis figmentis agunt. Glossa alia interlinearis. Maleficos, id est, cooperatores & adiutores Diaboli. Raban. ibidem Maleficos appellat illos, qui prestigijs magicæ artis,

artis, ac diabolicis figmentis cauſſas agunt, & ab vno Deo, qui eſt auctor omnium bonorum auertere ſatagunt, quos vltrà valere ad hominum perniciem, lex non patitur, ſed magis extinguere iubet. Nicolaus Lyranus, Maleficos non patieris viuere: in Hębręo dicitur: Sortilegam non patieris viuere: & licet exprimat mulierem tantum', tamen intelligitur de homine ſortilego, ſicut exprimit tranſlatio noſtra: ſed Scriptura exprimit id, quod communius eſt, ſcilicet quod mulieres ſint ſortilegæ. Ponitur autem hæc lex inter eas, quę reprimunt concupiſcentiam carnis: Quia ſortilegia frequenter fiunt in his, quæ ſpectant adactum carnis. Dionyſius Carthuſianus accedit ad has expoſitiones. Sed Hugo Cardinalis in illum locum aptè ad materiam hanc loquitur: Maleficos vocat non quoſlibet intentos criminibus, ſed præſtigiatores, hariolos, magos, inſpectores peluis, vel gladij, inuerſores pſalterij, carminatores, qui ſcilicet carminibus diabolicis vtuntur. Omnia enim iſta fiũt contradicente Domino, & Sacra Romana Eccleſia, & ſacris canonibus. Hos ſequuntur Nicolaus Iaquerius cap. 22. in flagello faſcinariorum. Ioannes Trittemius in tract. de reprobis. Barthol. Spineus de ſtrigibus cap. 3. Malleus maleficarum, Bernard. Baſinus de artibus magicis, 10. Concluſ. Martinus Arles in tractat. de ſuperſtitionibus, numero 102. Latè & doctè

Tho-

Thomas Eraſt. in dialogo de Lamijs. Amplectũtur eandem expoſitionem Iuriſperiti. Troilus Maluetius in tract. de ſortibus, num. 17. Martin. Nauar. in manuali Confeſſar. cap. 11. n. 28. Damhauder. in pract. crim. cap. 61. nu. 137. Iacob. Menoch. de arbitr. Iud. qq. caſ. 388. n. 16. copioſè. Ioan. Bodinus in confutat. opinionis Ioannis VVieri, & alij alibi.

Contra communem Patrum & Doctorum ſententiam obijcit Ioan. VVierus, nec vult ita intelligi textum in Exod. 22. ſed veneficos: quia textus græcus habet φαρμακὸς, quod ſignat veneficos, qui veneno naturali occidunt, & non arte magica vtuntur. Sed valdè malè VVierus aduertit, cùm non ſolùm apud Græcos, ſed etiam apud latinos, vt ſuprà etiam ſignificatum eſt, nomen veneni & veneficij etiam magicis artibus conueniant. Sic Sancti Patres nomen (veneficos) maleficis attribuunt. S. Hieronymus, qui teſte Auguſtino 18. de Ciuitate Dei cap. 43. & ipſa experientia, trium linguarum peritiſſimus fuit, vbiq; nomen græcum φαρμακὸς, vertit maleficus, vel maleficos, ſecundum inflexionem nominis, vt patet ex locis paulò poſt citandis. Sic etiam ad magos & maleficos transfert Philo Iudæus in lib. de ſpecialibus legibus, cuius verba ad longum adduximus in explicatione primæ L. huius tituli. S. Auguſtin. de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 6. Si magorum opera,

quos noſtra ſcriptura veneficos & incantatores vocat, in tantum Dæmones extollere potuerunt,&c. Quæro hîc vbi noſtra ſcriptura magos vocat veneficos & incantatores, niſi in d.loco Exodi,& ſimilibus: ſecundum interpretationem LXX.interpretum?Eodem modo Iſychius in Leuit.cap.19.in illa verba.Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Septuaginta autem edunt,ait:Non ſequimini ventriloquos, & veneficis non adiungamini, &c. Et paulò pòſt, vt eius mens intelligatur,quid per veneficos intelligat, ſubdit: peſſimum eſt etiam, & veneficis adhærere : quia Dæmonum inimicorum nobis, & peſtilentium nomina dicunt. Qui etſi ad breue tempus, vt in errorem mittant, videtur operari aliquid, quod ad corporalem ſanitatem vile & paruum, quale etiam imperiti medici operari poſſunt: veruntamen nec hoc vt boni, neque vt bene volentes hominibus, operantur, ſed in ſeruitutem illos redigere,& à DEO ſeparare cupientes. Ad eundem ſenſum interpretatur in cap. 20. Leuitic. lib.6. His addo, ſi quod obſcurum eſſet exponendum in ſacris literis, quod tamen minimè in hoc loco eſt, id foret exponendum ſecundum ſimilia loca Scripturæ. Sed in ſimilibus locis accipitur in ſenſu à Patribus declarato : Ergo. Probatur aſſumptum, Exod.7. vtitur Scriptura

eodem

eodem verbo, quo cap. 22. Sed ibi accipitur pro magis cooperatoribus Dæmonis, vt clarè patet ex textu, qui sic habet. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Aegyptiacas & arcana quædam similiter. In quo loco quis non videt per maleficos, quos textus græcus φαρμακοὺς appellat, id est, veneficos, non intelligi eos qui naturali veneno, & modo inficiunt, sed solùm per incantationes & arte diabolica, ad mentem Sanctorum Patrum? Et iterum circa finem capitis. Feceruntq; similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis, & cap. 8. Fecerunt autem malefici per incantationes similiter, eduxeruntq; ranas, super terram Aegypti. Et iterum in eodem cap. Feceruntq; similiter malefici incantationibus suis, vt educerent cyniphes, & non potuerunt: & dixerũt malefici ad Pharaonem. Digitus Dei est hic. In quibus locis omnibus patet, quod nomen græcum sicut etiam latinum, non physicè accipitur, sed pro veneficis, qui arte Dæmonis & magica ranas educebant. Idem patet ex alijs locis. 2. Paralip. cap. 23. Ezechias transire fecit filios suos per ignem, &c. obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat, habebat secum magos & incantatores. Hierem. 27. Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos. Daniel. 2. Præcepit rex

vt conuocarentur arioli,& magi, & malefici,& Chaldæi, vt indicarent regi somnia. Esaiæ 47. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas & viduitas. Vniuersa venerunt super te, propter multitudinem maleficorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. In his locis scripturæ alijsque, quæ adferri possent, vt clarum est ex antecedentibus & comitantibus, circunstantijsque adiunctis, per nomen φαρμακὸς, non intelligitur is, qui veneno Physicè vtitur,sed arte diabolica, cùm tamen idem nomen vbique ponatur, mutatis tantum mutandis, secundum declinationem. Quare vim infert literæ, qui contra totius Ecclesiæ & Patrum consensum vnanimem, dictum locum, Exod.22. aliter explicat. Accedit quod hebræi sermonis periti exponunt:Sortilegam, vel præstygiatricem non sines viuere. Eadem Conclusio probatur alijs scripturæ locis. Deuter. 18. Nec inueniatur in te, qui lustret filium suum,aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos scisscitetur, &c. nec sit maleficus nec incantator, &c. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo, & Deuter.13. Dominus præcipit iudici, vt falsum prophætam & somniatorem, seducentem populum post Deos alienos, sine mora interficiat, & filios Belial cum affectis igni & gladio persequatur. Hieremiæ 50. Gladius

dius ad Chaldæos, ait dominus, Gladius ad diuinos. 4. Reg. 1. cap. Ochozias, quia consuluit Beelzebub Deum Accaron, super infirmitate sua, mortuus est, iuxta sermonem Domini. 1. Paralip. cap. 10. Saul mortuus est, quia Phytonissam consuluerat, nec sperauerat in Domino 1. Reg. c. 28. Saul adhuc memor præcepti Domini, abstulit magos, & hariolos de terra, & interfecit eos, & ibidem Phytonissa mutato habitu: Tu scis quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit magos & ariolos de terra. Quare ergo insidiaris animæ meæ vt occidar?

Secunda pars Conclusionis, quantum ad L. humanam & ciuilem, constat ex hac L. & ex L. Nemo & L. Nullus. L. Multi. & L. Etsi excepta. eod. tit. & DD. iuris ciuilis in has leges. Azo. in summa eod. tit. Bonifac. de Vitalinis in tract. de maleficijs, in tit. de sortilegis & mathemat. Panormit. in cap. 1. de Sortileg. Hostiens. in summa eod. tit. §. Quæ sit pœna. Ioan. ab Annia ibid. Paul. Grilland. lib. 2. de sortileg. q. 11. num. 11. Damhauder. loco citato, Menoch. de arbitr. Iudic. qq. cas. 288. num. 5. &c. Approbat has leges, quantum ad pœnas, S. Augustin. lib. 8. de Ciuit. cap. 19. Vnde argumentatur aliquam vim inesse arti magicæ. Cur enim, inquit, tam grauiter ista plectuntur seueritate legum, si opera sunt numinum colendorum An forte istas leges Christiani instituerunt, quibus artes magicæ puniuntur? secundum

quem alium sensum, nisi quod hæc maleficia generi humano perniciosa esse non dubiũ est?

Dubium hîc incidere potest, *An malefici & saga, de quibus nunc loquimur, sint morte afficiendi, etiamsi hominem, equum, vaccam non interfecerint, sed tantum in congregatione, aut cursu fuerint?* pro resolutione, sit

Secunda Conclusio. *Malefici & sagæ, de quibus nunc agimus, etiamsi damna nemini in exterioribus intulerint, si in conuentu fuerunt, nocturnas congregationes frequentauerunt, & alia exercuerunt, quæ communiter ibi fieri solent, secundum legem diuinam & humanam iustè morte afficiuntur.*

Prima pars probatur. PROBATVR Conclusio. Primò, quantum ad legem diuinam. Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Malefici autem, vt ex dictis constat, appellantur, qui præstigijs magicæ artis & diabolicis figmentis causlas agunt, Deo abrenunciant, & ad diaboli castra declinant. Sed qui ad nocturnos conuentus veniũt, omnes tales sunt. Quia nullus ad talem locum venit, qui in primis Deo non abrenunciauerit & cum Dæmone pactum inierit, vt omnium, qui tam infaustam artem exercent, confessionibus discimus.

Secun-

Secundò: Idololatræ, secundum legem diuinam, mortem merentur. Exod. 30. & 32. Deuteron. 13. & 27. & alibi. Quæ autem natio vnquam tam grauem idololatriam commisit, ac nostri malefici committunt, qui Deo vero relicto, Dæmoni obedientiam, honorem, ac cultum impendunt. Iudæi ac gentiles, si quam idololatriam exercebant, id faciebant, quia idolis ligneis, aut lapideis diuinitatem aliquam inesse credebant. At nostri malefici & sagæ scienter ac prudenter ei honorem, obedientiam & cultum Deo debitum impendunt, quem Dæmonem cognoscunt. Quid enim aliud in suis nocturnis conuentibus faciunt, quàm Dæmoni famulatum præstant, & honorem impendunt? Qui eos idololatriam committere dubitant, recogitent, an non populus Hæbræorum idololatriam commiserit, quando coram vitulo lusit, choros duxit, edit & bibit? quid aliud malefici in nocturnis cõuenticulis coram Dæmone faciunt? ipsum certis diabolicis ritibus honorant, ludunt, choreas ducunt, edunt & bibunt. Et si Moyses hoc factum populi capitale non duxit, quomodo ergo viginti tria milia hominum occidit, vt Scriptura testatur? Exod. 32.

Tertiò: secundum legem diuinam, qui consulit diuinos, magos & incantatores, morem meretur. Leui. 20. Anima, quæ declinaue-

rit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei: ergo multo magis ipse magus, aut maleficus mortem meretur, quia ipse vtitur diaboli opera. Sed non apparent in conuentibus nostri malefici nisi iam declinauerint ad Dæmones, & fornicati fuerint cum eis: ergo secundum legem diuinam, hoc titulo, mortem merentur.

Quartò: Secundum legem Dei mortem meretur, qui cum iumento coierit, ex Exod. 22. quæ lex statim subiungitur legi de pœna maleficorum. Sed grauius est cum Dæmone rem veneream exercere.

Quintò: lege diuina blasphemus lapidibus obruitur, & morte plectitur. Leuit. 24. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus. Et ad filios Israël loqueris. Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus obruet eum omnis multitudo populi. Quanta autem sit blasphemia maleficorum in Deum, Beatissimamq; Virginem, &c. nemo est qui ignoret, nisi tam fœlix sit, quod de hoc infœliciſſimo hominum genere nihil vnquam audiuerit.

Pro-

Probatur nunc, quantum ad secundam partem, quod secundum legem ciuilem & rectam rationem etiam Conclusio locum habeat.

Probatio Conclusionis quantū ad leges ciuiles.

Primò: Malefici nostri sunt Apostatæ. Apostatæ autem puniuntur vltimo supplicio, sicut etiam hæretici. Hostiensis & Panormitanus in cap. 1. de Apostat. Damhauder. loco cit. num. 43. Quod autem apostatæ sint, patet. Discedunt enim à vero Deo, & Diabolum sequuntur.

Secundò: Qui paganorum ritus & sacrificia exercent, vltimo supplicio afficiuntur. C. de paganis & eorum sacrificijs. L. 1. & 2. & ibidem L. Nemo venerantis. Quid ergo merebuntur, qui non solùm paganorum, sed diabolorum ritui & sacrificijs insistunt?

Tertiò: Vita nostra est militia super terram. Huius autem militiæ duo sunt duces. Christus Electorum, & Sathan peruersorum, & inter hos duces eorumq; milites bellum est perpetuum, & odium vehementissimum. Duci autem supremo, Domino Deo, & Christo, nomina nostra dedimus, fidem addiximus, & obedientiam promisimus ante Baptismi susceptionem, quando quisq; nostrum interrogatus: Abrenuncias Sathanæ? & responsum. Abrenuncio. Et iterum: Et omnibus pompis eius? Abrenuncio. Et iterum: Et omnibus operibus eius? Abrenuncio. Et tum subsequi-

tur. Credis in Deum patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, &c. Et responsum, credo. Huius abrenunciationis, tanquam rei antiquissimæ, meminere sancti Patres, Dionys. Areopagita c.2. Ecclesiast. Hierarchiæ, Basil. in lib. de Spiritu sancto cap. 27. Ambros. in lib. de ijs, qui mysterijs initiantur, c.2. Orig. hom.12. in numeros. Cyrill. Hierosolym. Catechesi 1. mystagogica. Tertullian. in lib. de corona militis, Raban. lib.1. de institu. clericorum, & alij alibi. Ex qua renunciatione constat nos abrenunciasse Sathanæ, & eius operibus, & addixisse supremo Regi & duci fidem obedientiamq; cuius militiæ iura, fœdera ac signa suscepimus indicto continuo & perpetuo bello, regno Sathanæ. Nunc ad propositum. Qui in bello ad hostes aut fugit, aut vult transfugere, vltimo supplicio afficitur, secundum leges. L. Desertorem. §. Is qui ad hostes. ff. de re millitari. L. Si quis aliquid ex metallo. §. Transfugæ. ff. de pœnis. Transfugæ ad hostes, aut secretorum nostrorum renunciatores, aut viui exurantur, aut furca suspendantur. Qua pœna ergo dignus erit, qui à Duce Christo, cui fidem dedit, & obedientiam promisit, fit transfuga ad crudelissimum omnium hostem Dæmonem? His accedit, quod secundum rigorem iuris militaris, miles si arma amisit, vel alienauit, capitis damnari potest. in d. L. Desertorem. §. Miles. Miles ergo Christi, qui abijcit, contemnit, &

nit, & conculcat armaturam Christi, & scutum fidei, in quo posset, si vellet, secundum apostolicam doctrinam, extinguere tela nequissimi aduersarij, quam merebitur pœnam?

Quartò: Secundum legem non solum diuinam, sed etiam ciuilem, blasphemus mortem meretur, vt est textus clarus in Authent. vt non luxurientur contra naturam, quam authent. Ioan. ab Anania cap. 2. de maledic. vehementer laudat, & magnifacit: & ita affirmant & concludunt Doct. vt attestantur Damhaud. in pract. crim. c. 61. nu. 26. & Iul. Clar. li. 5. sent. §. Blasphemia nu. 3. Quæ tamen pœna hodiernis temporibus non seruatur, ob defectum religionis & iustitiæ, vt dicit Lucas de penna, in L. omnes. C. de delator. lib. 10. Seruanda autem esset huiusmodi pœna, si esset magna & enormis blasphemia, quæ ex deliberato, & dolosо proposito procederet, vt Zasius lib. 1. consil. 19. annotat, & sic Boerius in decis. 301. aliquando practicatum in nobilibus & doctis curijs tradit. Cogitet ergo Christianus qua pœna digni sint malefici, qui non solùm verbis, sed etiam facto maximas blasphemias in Deum, B. Virginem & Sanctos iaciunt vt placeant Dæmonioruml principi, cui magis probatur, qui maiora scelera perpetrat. Committitur enim blasphemia facto, vt docet Ludouic. de monte alto, in tract. de Reprobatione Sententiæ Pilati, num. 6. pro qua doctrina

ctrina faciunt quæ dicunt Franciscus Squillacensis de fide Cathol. cap. 15. & 16. & Ioan. Immolen. in Clem. 1. de vsur.

Quintò: Peccatum contra naturam, siue Sodomia, secundum ius ciuile etiam morte punitur, tam in agente, quàm patiéte. L. Cùm vir nubit in fœminam. C. ad L. Iuliã de adult. & in d. Authentica, vt non luxurientur contra naturam. 15. q. 1. can. Mulier. & 23. q 5. can. Reos. §. Qui coierit. Et quamuis textus in d. L. Cùm vir nubit innuat pœnam gladij: consuetudine tamen receptum est, vt peccantes contra naturam, igne concrementur, vt docent Angel. in d. L. Damhauder in pract. crimin. cap. 96. num. 12. Iulius Clarus lib. 5. in §. Sodomia, & alij alibi. Quam consuetudinem sequitur Constitutio Criminalis Imperatoris Caroli V. in artic. 116. Quis igitur dubitat pœna mortis afficiendum eum qui hoc enormissimum peccatum non dubitat exercere cum spirituali creatura, quod omnia peccata carnis malitia & enormitate superat? Et confirmo. Si Iudęus Christianam carnaliter cognoscat, maximè accedente aliqua circunstantia augente malitiam, morte plectitur, secundum aliquorum Doctorum sententiam, quam etiam amplectuntur Constitutiones nouæ Mediolanensium, sub Rubrica de pœnis, cap. Iudæus, referente Menoch. lib. 2. de arbitr. Iudic. quæst. casu 290. idq; ob disparitatem cultus & infideli-

delitatem. Quâto maiorem meretur pœnam, qui cum Dæmone coit, vbi non solùm naturarum diuersitas, sed etiam in nullo communicatio? De pœna Iudæi coëuntis cum Christiana, tractant ad longum Paulus Grilland. de pœnis omnifariam coitus. q. 12. Boërius in decis. 316. Menoch. doctè loco cit. Anthonius Gabrielius Roman. lib. 7. communium conclusionum, concluf. 21. Marsil. in conf. 101. incipiente, Illumina quęso. Alexand. in conf. 99. vol. 6. incip. Visa inquisitione formata contra Abraam. Oldradus de ponte, in consil. 333. incipien. Qualiter puniatur Iudæus cognoscens. Philip. Corneus lib. 1. conf. 114. incip. Licet primo aspectu. Canonistæ in cap. In nonnullis, cum Gloss. de Iudæis.

Sextò: Secundum leges humanas, qui crimen læsę maiestatis humanę committit, extremo supplicio afficitur. L. Quisquis. C. ad Legem Iuliam Maiest. & hæc communissima est sententia. Ergo multò magis, qui reus est læsæ maiestatis diuinæ. Quia grauius est diuinam, quàm humanam lędere maiestatem, cap. Vergentis. de hæret. & in Authentic. Gazaros. C. eodem tit. Sed nostri malefici sunt rei læsæ maiestatis diuinę. L. Etsi excepta. infra eod. tit. id quod ratio euidens demonstrat: declinant enim à partibus proprij sui domini & Regis, ad hostem regni, & cum eo pactum ineunt, contra proprium & summum suum principem,

pem, quod est de natura criminis læsæ maiestatis. Sed non sunt rei læsæ maiestatis, quatenus damna in exterioribus inferunt, quia sic in longè minora crimina incidunt, ergo quatenus pacta ineunt cum Dæmonibus, aduersus Deum & regnum eius. Nisi quis ita impudens sit, qui iudicet maius esse peccatum, hominem occidere, aut duos equos interficere, quam Deum abnegare, communioni Sanctorum abrenunciare, & pacta cum Dæmonibus inire. Sed omnes qui in congregatione apparent, & cum reliquis conuenticula frequentant, iam sunt rei læsæ maiestatis diuinæ: Aliàs non interessent tam fœdæ societati.

Septimò. Secundum Il. hasce ciuiles, diuinatores, aruspices, & similes morte mulctantur, vt patet in L. Nullus. L. Nemo. L. Multi. L. Etsi excepta. sed hi nulla damna inferunt in exterioribus. Ergo maiori supplicio afficiendi malefici per excellentiam, qui Deum suum derelinquunt & castra diaboli sequuntur: quæ leges, diuinæ legi concordant, vt ex superiotibus constat. Huc facit illud edictum Athalarici Regis Gothorum, cuius meminerunt Cassiodor. lib. 9. Olaus Magnus lib. 3. cap. 19. de Gentium septentrionalium varijs conditionib. & Petrus Gregor. lib. 34. Syntag. iuris vniuersi c. 14. Maleficos, inquit, vel eos, qui ab eorum nefarijs actibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur: quia

impium

impium est, vos illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas est creatorem vitæ relinquere, & sequi potiùs mortis auctorem.

Octauò: Probat dictam conclusionem Lex fin. in C. Theodosiano de malefic. & mathe. Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut magicos apparatus, aut sacrificia funesta celebrare conetur. Detectum enim & conuictum competenti animadversione mactari perenni auctoritate censemus. Quid aliud nostri malefici agunt, quam quod nocturnis temporibus ad opera diabolica proficiscuntur, ad celebrandum magicos apparatus, ad sacrificandum Dæmonibus, ad cultum eorum perficiendum?

Postremò: Efficaciter hanc conclusionẽ probat constitutio quædam Electoris Saxoniæ, in 2. parte 4. quam allegat Ioan. Georgius Godelmannus lib. 3. de magis & veneficis, cap. 11. num. 19. Constitutionis autem verba è germanico idiomate in linguam latinam ad verbum translata sic habent. Si quis oblitus Christianæ fidei, cum Dæmone fœdus inierit, operatur, aut rem habuerit: talis persona etiamsi veneficio siue maleficio nemini nocumentum intulerit, igne è vita ad mortem tolletur, & punietur. Qui vero absq; dæmonis huiusmodi pacto aut fœdere, alicui veneficio siue maleficio damnum intulerit, siue id paruum siue

Magnum

magnum fuerit, magus aut maleficus, siue vir aut mulier fuerit, pœnam gladij sustinebit. Hæc certè Constitutio iuri diuino & ciuili congrua est, quantum ad primum eius membrum, quod ad propositum dictæ Conclusionis allegamus. Pacta cum Dæmone habere, & rem, cùm spectent ad atrocissima crimina, vt suprà ostensum est, maximam merentur pœnam.

Prædictæ Conclusioni videtur obstare Constitutio Criminalis Caroli V. in artic. 109. Si quis maleficio siue veneficio hominibus damnum aut nocumentum intulerit, morte ignis plectatur. Si verò nulli damnum intulerit, pœnas patiatur pro delicti qualitate & quantitate, super qua re Iudex consilium requiret, prout infrà scriptum est: Ex hac Constitutione sequi videtur, quod si maleficus Deum abnegauerit, idololatriam & apostasiam commiserit, conuentus diabolicos frequentauerit, cum Dæmonem venerem exercuerit, sacramenta contempserit, eisque abusus ad horrenda scelera fuerit, si hominem, equum, aut vaccam non maleficio necauerit, non sit morte afficiendus. Quisquis ratione vtitur, si quem in scientia gradum assecutus est, scire debet, non solùm leges, sed etiam Constitutiones ita interpretandas, vt omnis contrarietas vitetur, & absurdus intellectus locum non habeat. L. Nam absurdum. ff. de bonis libertor. L. in ambigua. ff. de legib.

L. Scire

L.Scire oportet.§.aliud. ff. de excuſ.tut.Alexand.in conſil.83.incip. Viſa facti narratione.2. vol.Ludouic.Roman. in conſil:485.incip.In caſu propoſitæ conſultationis. Bart.in L.omnes populi, in q.6. principali, in verſic.Iuxta præmiſſa quæro. ff. de iuſtit. & iure. Marſil. in conſil.16.num.45 incip.Inclina cor meum. & in conſ.85.num.8.incip poſt redditum conſilium:& in pract.criminali.§.vltima.num.36. pro quibus facit L.Scire leges.ff.de legib.Et illud Hieronymi in epiſt.ad Galat.ca.1.& poſitum in 1.q.1.can.Marcion &Baſilides,relatum à Petro Ancharano in conſ.283.incip. In auxilium veritatis,in penult.colum. Veritas non conſiſtit in verbis ſcripturarum,ſed in eorum ſententia,non in ſuperficie, ſed in medulla,nõ in folijs,ſed in radice rationis. Nunc reſpondetur dictæ conſtitutioni. Secundum legem diuinam & humanam,vt in præſuppoſitis huius quæſtionis annotauimus, pœna eſt commenſuranda peccatis.Quare valdè abſurdum eſt,& à ratione alienum, quod qui homicidiũ commiſerit, equum aut vaccam interfecerit, ſit comburendus & morte afficiendus : Et is qui profeſſionem Chriſtianæ fidei in Baptiſmo ſuſceperit, eamq; abnegauerit, cum Dæmone pactum inierit,idololatriam commiſerit,cum Dæmone venerem expleuerit,& ſimilia horrenda crimina perpetrauerit, veniat abſoluendus à morte: hoc enim eſſet maioris

facere equos & vaccas, quàm Deum & professionem nostræ fidei, grauius constituere, equos & vaccas interficere, quàm diuinam maiestatem grauissimè lædere, vt omnium sententia in hoc crimine contingit. Adhæc, quod vnquam crimen grauius in sacris literis idololatria & magia punitum est, aut etiam Sodomia? vt passim omnibus clarum est ex veteris testamenti libris. Velle ergo homicidam aut interfectorem vaccarum & equorum occidere, & perfidum fidei Christianæ abiuratorem, idololatram, diuinæ maiestatis reum, & pessimum Sodomitam conseruare, est iniquam stateram adferre, sine ratione contra legem Dei & hominum statuere, & absurdissimum inuehere in leges & constitutiones. Nam & Imperator infrà in Constitutione sua artic. 116. peccatum contra naturam pœna ignis plectendum decernit: sed propius ad constitutionem. Nomen maleficij aut sortilegij generale nomen est, conueniens omni superstitioni, & operationi, quæ diabolicam sapit cooperationem, vt constat ex Paulo Grillando de Sortilegijs, Damhauder. in practica Criminali, cap. 6. num. 79. & Doctoribus canonum in tit. de Sortilegijs. Cùm autem multæ sint superstitionis species, non omnes eandem habent malitiam, aut parem gradum in offensa. Principales autem species sortilegiorum sunt tres. Diuinatoria, Amatoria & Vene-

Venefica, quæ etiam ſpecies non ſunt pares in gradu malitiæ. Loquitur ergo Imperator in ſua Conſtitutione illa non ſecundum totam latitudinem maleficij, ſed ſecundum quod veneno vtuntur ad nocendum hominibus & iumentis: iuxta L. 1. huius tit. Grauius eſt veneno quàm gladio occidere, & eam ſententiam apprehendit, quam in d.L. diximus communiorem, & in praxi receptiorem, iuxta mentem Iulij Clari lib. 5. ſenten. in §. Homicidium, & Didac. Couar. in Clem. Si furioſus, de homicid. quod præbens aut propinans venenum non ſubſecuto effectu, ſcilicet morte, nõ puniatur pœna ordinaria, ſed extraordinaria, formato arbitrio ſecundum circunſtantias rerum occurrentium. Et quoniam liquida res eſt, ſubſecuto effectu pœnam decernit: Quando autem effectus non ſubſequitur, pendet ex arbitrio prudentis Iudicis aut diſcreti, qui ſi ſibi non ſit ſufficiens, requiret cõſilium, prout in Conſtitutionib. decernitur. Et ſic non loquitur Imperator de maleficis per excellentiã ſed tantum prout nocent veneno hominibus & iumentis. His addere poſſumus, quod cùm non omnia ſortilegia ſint eiuſdem malitiæ, etiam non ſemper pari pœna puniuntur, ſed arbitrium & conſilium habet locum, vt Plato in 11. de legib. Menoch. de arbit. Iud. qq. caſu 388. & Petr. Greg. in 3. par. Syntag. iur. vniuerſi, lib. 34. cap. tradunt: ſic d. Conſtitutio non facit

mentionem maleficorum per excellentiam, sed tantum quãtum ad effectum nocendi, mediante veneno. Atq; vt penitius hæc materia intelligatur, annoto breuius, quod latius extendit Alphonſ. Caſtrenſ. lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione, cap. 12. ex doctrina Galeni, in opuſculo inſcripto, Quod animi mores corporis temperaturam ſequuntur. Tres ſunt cauſſæ, quare facinoroſi è medio tollantur. Prima, ne ſcelerati & peſſimi viuentes, alijs cõtumeliam, & damnum inferant Reipu. & eius membris. Sic Præſes ſiue Iudex ex officio tenetur prouidere ſuæ prouinciæ, vt purgetur à malefactoribus. Aliàs ſi ex ſua negligentia & conniuentia Reſpub. aut eius membra damna patiantur, fit reus culpæ & reſtitutionis damnorum. c. 1. de offic. iud. delegat. & DD. ibid. L. Congruit. ff. de offic. præſid. Hæc cauſſa facit, quod fures, ſicarij, homicidæ, & alij eiuſdem notæ facinoroſi è medio tollantur. Secũda cauſſa; vt alij ſimilis pœnæ timore, deterreantur à ſimilibus criminibus perpetrandis, iuxta illud Poëticum: Oderunt peccare mali formidine pœnę. Prima cauſſa ciuium inter ſe pacificum conuictum, & totius Reipub. conſeruationem per hoc, vt nemo alterum lædat, concernit. Secunda proſpicit bonis ciuium moribus, vt nemo atrocia crimina cõmittat. Intereſt enim Reipubl. vt bonos ciues habeat. Multi enim natura, aut praua conſuetudine

ſunt

sunt procliues ad scelera, qui pœna mortis deterrentur: & alij pœnas flagitiosorum perspicientes, etiam exemplo fiunt cautiores, iuxta illud Salomonis: Pestilenti flagellato, stultus sapientior erit: & iterum: stulto pereunte sapiens astutior fit. Prouer. 10. Ex hac radice multæ sunt leges, imponentes pœnam mortis, propter crimina, quę nulli nocent, nisi ipsi peccanti: vt de diuinis, magis, eos consulentibus, blasphemis, idololatris, Sodomitis, Baptismum reiterantibus, & similis farinæ scelestis hominibus. Tertia causa, propter quam scelerati de medio tolluntur, est bonum ipsius hominis mali, ne de die in diem in peius prolabatur, & maiora inferni supplicia pati cogatur: omnes tres causæ vt plurimùm militant in maleficis & sagis. Quare Damhaude. in pract. crim. cap. 61. num. 136. rectè definit, cùm ait. Quanta-mala hoc pernicioſissimum genus hominum nusquam non regionum faciat, cuiuis hominum est notissimum. Amplius enim hi pernitiosissimi homines mẽdacijs, superstitionibus pleniſſimi sua malignitate obsunt, quàm boni quiuis, aut precibus, aut pietate prosunt. Plus incommodi Reipub. Christianę illi inferunt, quàm hi commodi conferunt, nisi Deus obstiterit. Ideoq; non sunt vspiam tolerandi, sed vbiuis locorum potius tollendi funditus, omnium creatore sic præcipiente, Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Hæc ille.

Tertia Conclusio. *Iustè maleficipœna ignis interficiuntur.*

PRIMÒ, quatenus Deo abrenunciant, & ad diaboli societatem declinant. Apostatæ enim perfidiæ pœna hæresis puniuntur. Hostiensis & Panormitanus in cap. 1. de Apostat. pœna autem hæresis est meritò ignis. ex Ioan. 15. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet. Ad hunc finem allegatur à Panormitano, Ioanne Andrea, & Hostiensi in cap. Ad abolendam, de hæreticis. Sunt etiam malefici prævaricatores, qui quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus, igneq; succensæ comburentur vsque ad nihilum. 2. Reg. 22. Secundò, quia committunt peccatum contra naturam, cui secundum legem diuinam, & iustam iudiciorum receptam consuetudinem, debetur pœna ignis. Tertiò, lex ciuilis in L. Nullus aruspex, in hoc tit. pœnam ignis etiam ponit, quam nunc passim praxis criminalis obseruat. Imò tempore B. Gregorij hæc pœna pro Magis Romæ fuit in vsu. Nam lib. 1. Dialogor. cap. 4. attestatur, quod eo tempore, quo primum malefici in vrbe Romana deprehensi sunt, Basilius quidam in magicis operibus primus, exardescente zelo Christiani populi, Romæ igne crematus sit. Et quamuis ad mentem

tem ll. malefici viui essent comburẽdi, tamen quando ad cor redeunt & conuertuntur, strãgulati prius in multis locis comburuntur, ne lenta & atrox mors desperationem inducat: & id obseruandum, nisi speciales circunstantiæ aliud suadeant, vt alibi traditum est.

Aliquæ sunt ponendæ obiectiones contra prædictas Conclusiones, & soluendæ, quibus aliqui aduocati maleficorum vtuntur.

Prima obiectio. Malefici non sunt occidendi propter abnegationem fidei, aliàs omnes Christiani forent occidendi: quia fidem abnegant, quoties præcepta Christi non seruant. 2. ad Timoth. 3. Erunt homines seipsos amantes, &c. voluptatum amatores magis quàm Dei, habẽtes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et confirmatur exemplo B. Petri, qui, vt Euangelistæ attestãtur, ter Dominum abiurauit & negauit, & tamen non fuit capitis damnatus. Et quotus quisq; est nostrũ, qui id ipsum non facit, id est, Deum non abneget, & Dęmonio non adhęreat? siquidem omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: & qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniã ab initio peccat. Hoc argumentum magni facit & exaggerat sæpius VVierus.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 15. Ioan. 8. 1. Ioan 3.

Respondetur ad hanc obiectionem, quod maxima est differentia inter Christianos mortaliter peccãtes alijs peccatis, & inter maleficos

Deum abnegantes. Sicut enim non omnis mortaliter peccans est hæreticus, vt docet Franciscus Squillacensis, de fide Cathol. cap. 22: Ita non omnis peccans abnegat Christum eo modo, quo malefici. Ad cuius rei declarationem notandum est ex S. Thoma 2.2.q.12. art.1. & alijs Theologis alibi, quod apostasia importat retrocessionem quandam à Deo, quæ quidem diuersimodè fit, secundum diuersos modos, quibus homo Deo coniungitur. Homo autem Deo coniungitur tum per fidem, tum per debitam & subiectam voluntatem ad obediendum præceptis eius: tum per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia, sicut per religionem, clericatum, aut sacrum ordinem. Nunc ad argumentum. Impropriè est apostasia, quando aliquis retrocedit à Deo per inobedientiam & transgressionem mandatorum Dei, & non subdit suam voluntatem diuinis præceptis, vt contingit in omni peccato mortali. At propria & pessima est apostasia, omnino à Deo recedere, per expressam abnegationem Christiani nominis, & renunciationem professionis in Baptismo susceptæ, quod est statum Christianæ religionis derelinquere, & seruitutem Dæmonis assumere: quod nullus hominum facit præter maleficos: & hæc potest dici apostasia perfidiæ. Dicitur ergo largo modo infidelis & fidem negare, qui non ambulat secundum legem mandatorum Dei, quatenus non

ope-

operatur conformiter ad præscriptum fidei. Simile exemplum habere possumus in odio Dei. Omnis enim mortaliter peccans, aliquo modo Deum odio prosequitur. Nam scriptum est: qui malè agit, odit lucem: non tamen omnis peccator peccat peccato odij Dei specialiter sumpti, contra charitatem Dei, vt apud Theologos in confesso est. Ad quod penitius intelligendum, obseruandum est cum Scoto in 2. d. 37. & Gabriele ibidem d. 35. q. vnica, art. 4. dub. 1. quod auersio à fine vltimo, scilicet Deo, duplici modo intelligi potest: Formaliter, & Virtualiter. Formaliter, quando in auertendo habet vltimum finem pro obiecto positiuè vel priuatiuè. Positiuè, vt scilicet voluntas nolit illum finem actu positiuo: & hoc est propriè odio prosequi Deum, & formaliter proprio peccato se auertere à Deo, nec aliud hoc peccatum habet obiectum à Deo. Virtualiter auertitur à Deo, quando auertitur ab aliquo necessario ad consequendum vltimum finem: Sicut infirmus dicitur se auertere à sanitate, quando auertit se à poculo amaro, sine quo non potest haberi sanitas. Auersio formalis constituit distinctam peccati rationem, nec formaliter includitur in quolibet peccato mortali, sed efficit speciale peccatum, scilicet odium Dei. Virtualis autem auersio communis est omni peccato mortali. Quia in omni mortali voluntas inordinatè se habet, respectu

Duobus modis quis se potest à Deo auertere.

alicuius neceſſarij ad vltimum finem, ratione diuini præcepti. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei. Conformi ratione in noſtra materia dicere poſſumus, non omnis peccans formaliter Deum abnegat, vel explicitè, vt aliqui dicunt, quemadmodum malefici & ſagæ, qui expreſsè Deo, profeſſioni in Baptiſmo ſuſcepto, & communioni Sanctorum abrenunciant, & declinant ad inimicum, eiq́ue ſuam operam addicunt. Quod nec etiam hæreticus facit, qui quamuis proprio ſenſu ductus aliquem fidei articulum ex errore neget, quem putat nō eſſe articulum fidei, nec ex pertinacia vult ſuum iudicium Eccleſiæ ſubmittere, tamen non abnegat, nec quidem abnegare Deum cogitat modo prædicto. Quod obijcitur negatio S. Petri: nihil facit ad propoſitum. Quæ enim eſt ſimilitudo illius negationis, & abrenunciationis maleficorum & ſagarum? Petrus metu mortis Chriſtum quidem ore negauit, non tamē corde receſſit, nec in partes Iudæorum declinauit, nec conſilium aut pactum inijt contra Dominum ſuum. At malefici à Dæmone tentati in tam crudele facinus perfidiæ conſentiunt, vt abiurent ſuam profeſſionem, Dæmonem ſequātur, venerentur, ac cum eo conſpirēt contra regnum Dei. S. Petrus ſtatim ad cor redijt, peccatum defleuit, & reuerſus eſt ad Dominum: Sed ſagæ & malefici etſi à Dæmone ſe deceptos recog-

noſ-

noſcant, perditum tamen ſtatum ſequuntur, & indies in peius relabuntur, nec reſipiſcunt. Fatendum enim eſt id, quod omnibus notiſſimum, humanum eſſe cadere, quod & Petro accidit, ſed diabolicum eſſe perſeuerare: quod ferè omnibus maleficis conuenit. Sanè miſericorditer ſubueniẽdum eſſet tam miſerè à callidiſſimo hoſte deceptis, & mitiùs cum eis agendum, ſi excuſſo iugo ſeruitutis, ad Deũ per pœnitentiam, & veram peccatorum cõfeſſionem redirent, & non in tã miſerabili ſtatu perſiſterent cum periculo animæ & corporis. At ex maximo numero pauciſſimi excutiunt duram illam ſeruitutem, ante finem vitæ, ſi non ad manus iuſtitiæ deueniant. Tunc cùm iam quaſi de vita deſperant, ob peccata commiſſa, metu mortis & inſtructione ſana concutiũtur, miſerum ſtatum recognoſcunt, in quo ſi diſcederent impœnitẽtes, (quod communiter fieri ſolet, quãdo morte naturali præueniuntur) ſine dubio igne perpetuo cremarẽtur, quẽ pœnitentes Deoq́; recõciliati, tẽporali & quidem breuiſſima ignis pœna redimũt, ſi iuſtitia publica puniãtur. Ex qua cauſſa profectò crudeles nõ ſolùm in Remp. ſed etiam in corpus & animam maleficorum hominũ ſunt illi, qui ipſos non conuerſos per pœnitentiã oportunã, & liberã & firmã, liberare contendunt, aut conſultatione fugæ, aut patrocinio, aut potenti defenſione, vt ſic in ſtatu diabolico moriantur:

Quaſi

Quasi misericordia sit parcere corpori, ob aliquem humanum respectum, contra ordinem charitatis, qui requirit vt magis anima proximi diligatur, quàm etiam corpus proprium. S. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 27. & S. Thomas 2. 2. q. 26. arti. 5. & deinde in æternum anima & corpus ardeant, quod Dæmon maximè in hoc opere desiderat, vt habeat eos socios in pœna, quos imitatores & participes sceleris fouit in hac vita. Considerandum illud: Momentaneum est quod delectat, sed æternum quod cruciat: quod nos ad nostrum propositum transponere possumus. Momentanea in hac vita pœna pro magnis sceleribus est, quæ cruciat: sed æternum gaudium in cœlesti patria, quod delectat. Perpendendum etiam aliud Augustin. ad Vincétium Donatistam, insertum 23. q. 4. can. Nimium. Non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm blanda oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Atque hîc paucis recolendum est & respondendum, quod quidam aduocati horum clientulorum obijciunt contra quosdam Magistratus, magos & maleficos pro officio suo & potestate tradita persequentes, quod audito nomine malefici, aut sagæ, clament: Ad ignem; non secus atq; olim Tyranni contra Christianos & Martyres clamitabant: Ad Leones. Talem

lem clamorem necdum audiui: si tamen iudicesaliqui non ex temeritate, aut sanguinolentia, sed Zelo iustitiæ & amore diuinæ maiestatis pronuncient dicta verba de maleficis & sagis, non video quam Tyrannidem ostendant. Nisi velimus damnare Hieronymum in regula Monachorum, part. 3. tract. 9. cap. 7. dicentem. Non est crudelitas pro Deo crimina punire, sed pietas: aut multò magis clamantem & verba repetentem Dominum apud Ieremiam redarguere. Gladius ad Chaldæos, gladius ad diuinos, gladius ad fortes illius, &c. Si gladius ad Chaldæos & diuinos, nunquid ignis ad magos, & maleficos ob excellentiam, quorum crimina grauissima diuinam maiestatem lædunt, & Dei Optimi Maximi indignationem prouocant, vt iustè nobis irascatur. Crescente enim malitia crescit & pœna, quæ commensuratur culpæ. Si ergo Chaldæi & diuini, secundum Dei sententiam, gladio puniuntur, sicut etiam tales capitaliter leges ciuiles in hoc tit. C. statuerunt puniendos: nescio quid iniustitiæ committatur, si malefici & magi sic dicti, ob criminum magnitudinem, pœna ignis afficiantur. *Ierem. 50.*

Secunda Obiectio. Malefici & sagæ non sunt etiam puniendi ob pactum initum cum Dæmone, cùm hoc pactum imaginarium sit, & nemo dicat huiusmodi esse, nisi delusæ mulieres, cùm etiam impossibile sit tale pactum.

Hoc

Hoc argumentum latius deduximus & confutauimus in 1. parte superioris tractatus de confess. malef. prælud. 6. à pag. 23. & 35. quare lectorem eò remittimus.

Tertia Obiectio. Non sunt etiam malefici comburendi, ob peccatum venereum contra naturam cum Dæmone commissum. Quia hoc etiam imaginarium, & impossibile est. Hoc argumentum etiam ad longum formauimus, & dissoluimus in d. tract. part. 1. concluf. 5. à pag. 191. Ideo lector illum locum videat.

Quarta Obiectio. Non etiam sunt igne absumendi, propter incantationes frugum, inductionem grandinum & tempestatum: quia huiusmodi etiam efficere non possunt, cùm excedat eorum potentiam. Etsi pro responsione huius argumenti multa dicta sint in L. 4. q. 4. tamen hîc breuius respondendum est. Ad memoriam reducendum est, quod alibi tractatum est in superioribus, Dæmonem, DEO permittente, concurere ad huiusmodi maleficia cum maleficis & sagis, & nisi ipsi concurrerent, Dæmonemque in auxilium ex pacto vocarent, effectus non sequeretur. Quare rectè Glossa interlinearis in Exod. 22. in illa verba: Maleficos non patieris viuere, interpretatur: Cooperatores & adiutores Diaboli. Et licet homo physicè & naturaliter tales effectus proximè attingere nequeat, cùm eius potestatem excedant: concurrit tamen

tam-

tanquam cauſſa partialis moralis, voluntate & conſenſu, accedēte etiam aliqua non rarò actione exteriori phyſica, & conatu præuio. Quæ omnia ſufficiunt, vt culpa imputetur, & pœna infligatur. quia quando voluntas & conſenſus præbent efficacem cauſſam effectui malo conſecuto, facientem & conſentientem par pœna conſtringit, ſecundum Sacram Scripturam, & vtrumque ius. Rom. 1.86. d. can. facientis. 2. q. 1. can. Notum. cap. 1. de offic. & poteſt. iudic. delegati. Agentes & conſentientes pari pœna Scripturæ teſtimonio puniuntur. & L. Si quenquam. C. de. Epiſcop. & cler. & L. Quiſquis. C. ad Legem Iul. Maieſt. Quod maximè verum eſt, quando auxilium dans & cooperans, ſead maleficium committendum coadunauerit, vt multis allegationibus comprobat Marſil. in practica §. Conſtante. num. 46. & in conſ. 34. num. 7. & conſil. 67. num. 44. & alibi. Maleficus autem ſemper coadunatur Dæmoni in talibus operationibus, in ordine ad effectum. Confirmo latiùs communi Canoniſtarum & Legiſtarum doctrina, quod quando auxilium dans eſt cauſsa proxima maleficij, eadem pœna, qua principalis, punitur: & hanc eſſe communem, atteſtantur ex alijs Didac. Couarr. in Clement. Si furioſus, de homicid. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. Criminalis, q. 90. & Damhauder. in pract. Criminali cap. 133. Quod maximè obtinet ſecundum Iulium

Cla-

Clarum & Marsilium in cons.25.num 8.quando delictum committitur præuio tractatu, vel deliberatione, & accedente consensu eius, qui cooperatur: quæ nostris magis conueniũt. Nam semper quando volunt concurrere ad inferendum aliquod maleficium, & calamitatem, pręuio consilio, tractatu, & deliberatione in nocturno conuentu, aut secretè communicant, & medijs à Diabolo præpositis se accingunt. Sic iam proximè in quatuor temporibus Pentecostes, nocte diuidente dies Iouis & Veneris, hoc Anno Domini 1591. tractatum habuerunt de perditione fructuum & frumentorum, cuius effectum Deus orandus est, vt auertat. Ex quorum congregatione, Deo omnia suauiter disponente, & Iudicum corda mouente, quamuis nec duo menses à tempore tam sceleratæ congregationis transierint, iam aliqui & aliquæ interceptæ sunt, & flammis absumptæ, quæ tractatum aperuerunt, imò etiam admonuerunt, vt diuinam precibus interpellarent homines maiestatem, vt eorum conatus impediret, & potestatem dirigeret ad prosecutionem iustitiæ. His addo, quod non solùm consensu & præuio tractatu maleficus concurrit ad maleficia incantationis & perditionis frumentorum, per aëris perturbationem, sed procedit ad actum proximiorem, quem potest exercere, & putat efficacem ad executionem maleficij. Quando effectus ex

defi-

definitione tractatus, aut proposito malæ voluntatis expediendus est, signum & symbolum externum ex pacto admouet, quo excitus Dæmon prosilit, & concurrit ad productionem effectus suæ potentiæ congruentis. Sic quando excitanda pluuia, Saga scopas erigit, aut aquam in nomine Dæmonis post tergum in aërem proijcit: vel si velit grandines fieri, fortè ex præscripto Dæmonis, silicem percutit aliquo instrumento ligneo aut ferreo, quemadmodum quidam fecit superiori Anno 1591. circa festum S. Iacobi, non procul hinc, quando grandinis lapidatione in certis quibusdam locis, & non alijs, ad vnum miliare circa, & prope ciuitatem hanc, maximum damnum vineis inuectum est, & auena in agris grandinibus triturata in multis locis. Talibus signis principalis operans prouocatur, quando maleficus, quem potest proximum conatum ad effectum exercere, adhibet. Si ergo qui dat signum furanti ad furti perpetrationem, furti fit reus. ff. ad L. Iul. peculatus. L. Sacrilegij. §. Si quis ex metallis, & qui dolosè ac malignè dando signum, & occasionem ad homicidium concurrit, vt homicida punitur. L. Item si obstetrix, ibi: Quemadmodum. ff. ad L. Aquil. L. cuiusq;. ff. ad L. Iuliam Maiest. L. Nihil interest. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Damhauder. in pract. crim. cap. 72. Quomodo non punitur incantationis signum dans diabolo, ad nocendum homini-

bus, & rebus ad eorum conseruationem necessarijs?

Quinta obiectio. *Nunc quidam crassorum ingeniorum, vt intelligo, sic argumentantur. Deus permittit maleficia fieri, & maleficos viuere, ergo non sunt puniendi, & è vita tollendi.*

TEMPORE. S. Augustin. quidam hoc argumento contendere volebant diuinationes non esse malas, nec Deo displicere, vt est videre apud S. Augustin. in lib. de diuinatione, cap. 1. Respondetur breuiter ad argumentum, si quid probaret: concluderet homicidia, adulteria, blasphemias, crimina laesæ maiestatis tam diuinæ, quam humanæ, & omnia scelera non esse punienda. Quia Deus ea fieri permittit, & non semper punit in hac vita, vt videmus. Non ergo sequitur, Deus ea fieri permittit, & non punit: ergo scelerati homines non sunt è vita tollendi. Sed bene hinc inferimus ea esse mala, quia Deus prohibuit fieri, magistratuiq; mandauit, vt scelera puniant, & ipse etiam quædam flagitia seuerissimè puniuit, vt passim patet in veteri testamento, & sic Iudicibus etiam imperauit, vt maleficos non sinant viuere. Magistratus enim non sine caussa gladium portat, est enim Dei minister, vindex in iram ei, qui malum agit, vt Paulus ait. & S. Petrus in epist. inquit. Subiecti estote omni humanæ

Exod. 22.
Rom. 13,
1. Petr. 2.

manę creaturę, propter Deum, siue Regi, quasi prȩcellenti: siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Sic igitur licet Deus scelera per se nunc non puniat, dedit tamen magistratui puniendi non solũ potestatem, sed etiam mandatum, vt puniant. Quę causa est, vt magistratui imputetur ad culpã, si gladio non vtantur pro officio iniuncto, & sinant sceleratos cum scandalo multorum & reipub. detrimento viuere. Ad hoc propositum faciũt ea, quæ Orig. hom. 20. super lib. Numer. adducit, occasione illorum verborum Num. 25. vbi cùm populus Israël fornicatus esset cũ filiabus Moab, Dominus iratus ad Moysen dixit. Tolle cũctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auferatur furor meus ab Israël. Orig. hîc ait. Populus peccat, & principes ostentantur contra solem. Iidem ad examinandum producuntur, vt arguantur à luce. Vides quæ sit conditio principum populi, non solum pro suis proprijs arguuntur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipsorum sit culpa, quod populus deliquit, ne fortè non docuerint, ne fortè non monuerint, neq; soliciti fuerint arguere eos, qui initium culpæ dederint, vti ne contagio dispergeretur in plures. Hæc enim omnia fere principibus imminẽt & Doctorib. Si enim illis hæc nõ agentibus, nec solicitudinem ge-

rentibus circa plebẽ, peccauerit populus, ipsi ostentantur, & ipsi ad iudicium producuntur. Arguit enim eos Moyses, id est, lex Dei, velut negligentes & desides, & in ipsos conuertetur iracundia DEI, & cessabit à populo. Hæc Origenes.

Dubium hic resoluendum est, quod aliquando in hac materia occurrit, ob frequentiam sceleris.

Quid dicendum sit de pueris, qui incidunt in crimen maleficorum?

IN his locis pueri vtriusq; sexus, hisce annis reperti sunt, hoc detestabili crimine infecti.

Certum est ex communi Doctorum sententia, quod impubes etsi sit doli capax, non punitur capitali pœna, aut membri mutilatione, nisi sit proximus pubertati: de qua materia tractant Iulius Clarus lib. 5. §. fin. practic. Criminal. q. 60. Marsil. in pract §. Quoniam. num. 96. & alij alibi. Impuberes autem censentur secundum DD. in c. 1. & 2. de delictis puerorum: fœminæ vsq; ad 12. annum, masculi vsque ad 14. annum, quantum ad peccatum carnis. Sic etiam minor ętate excusatur à pœna ordinaria Sodomię. Socinus Iunior lib. 3. cons. 7.

Menoch.

Menochius lib.2. de arbitr. Iudic. qq.cas.329. Semper autem illa regula iuris habenda est ante oculos, quòd fere in omnibus pœnalibus iudicijs ætati & imprudentiæ succurrendum est, L.fere.ff.de regul.iuris. Si autem infans minimè sit doli capax, in totum excusatur à pœna. L.Infans.ff.ad L.Corneliam de Sicarijs. Clem.1. de homicid. Si autem quis sit doli capax,& proximus pubertati, tenetur non ordinaria, sed mitiori pœna. L. Auxilium. § In delictis.ff.de minoribus. Quando autem puer sit doli capax, iudicis arbitrium requiritur. Quia quidam citius, quidam tardius fiunt doli capaces,&ita nonnunquam etiam contingit, quod malitia ætatem suppleat. Ioan. Andr. Hostiens. Panorm. Ioan. ab Anania in cap.1.de delict. puerorum,& alij alibi ex Dialogis S. Gregorij referunt, Diabolum è manibus Patris eripuisse puerum quendam quinq; annorum, iurantẽ & blasphemantem Deum: quod Deus non permisisset, si ille infans non fuisset doli capax. Ex circunstantijs ergo iudicandum est, an puer sit doli capax, & quando malitia ætatem suppleat. Huc facit id, quod narrat Aelianus lib.5. variæ histor. cap.16. de puero ob sacrilegium damnato, his verbis. Puer cum auream Laminam, quæ ex Dianæ corona deciderat, sustulisset, in iudicium adductus est. Iudices igitur crepundia, talos & auream laminam proposuerunt puero: qui cum iterum ad au-

rum inclinaret, plexus est tanquam sacrilegus, nec ætati veniam dederunt, sed flagitium & scelus vindicauerunt. Quantum ad casum præsentem, in materia magiæ & maleficorum, si puer 8. 9. 10. 11. annorum aut plurium deprehendatur, diligenter incumbendum inprimis, vt ad meliorem frugem & viam salutis reducatur: quia in tam parua ætate, astutia Diaboli & malorum hominum, etiam nonnunquam propriorum parentum malitia, pueri in hoc peccatum seducuntur, seducti ob ignorantiam teneræ ætatis nesciunt quid remedij adhiberi possit, imo etiam ex instructione Diabolica tenent in secreto, & nemini mortalium extra consortium more omnium maleficorum reuelant. Contingit tamen quandoq; vt puto ex singulari diuina dispositione, quod ex simplicitate vel alia causa, pueri, qui secretum tenere non possunt, prodant congregationes & tractatus maleficorum nocturnos, vt experientia compertum est in nostris partibus. Deinde, etsi pueri ante decimum quartum annum sint doli capaces, & culpam incurrant in multis delictis, præsertim quando sunt proximi pubertati, id est, ingressi decimum quartum annum, & consequenter possint puniri etiam in corpore: non puto tamen esse hoc etiã ex Iudicis arbitrio faciendum acerbiùs in hoc crimine, sed forte virgis castigandũ, iuxta illud Dyni relatũ ab Alberico in L. 1. §. Impubes, in verbo

verbo. Ferula. ff. ad Syllan. Castiga iuuenem ferula, furca senem, peccantem iuuenem corrige, pende senem. Huc facit quod communiter, minores 14. annis non debent torqueri, nisi ferula, aut virgis terreri, non tam ad condemnandum, quam ad inquirendum. Post decimum quartum annum completum iudicis arbitrium potest habere locum, an in tam graui crimine in minorem ætatem sit mortis supplicium statuendum, ex circunstantijs occurrentibus in casu, vt, si talis diu fuerit in tali crimine, an perpetrauerit plurima alia crimina, quæ solent hoc crimen comitari: vt sunt Sodomia, rerum sacrarum abusus, & similia, an magno dolo & astutia præditus, an spes constantis conuersionis & emendationis: his & similibus considerandum, ne si fortè corpori parcatur, & ætati, anima cum corpore intereat. Pro hoc dicto facit L. Excipiuntur. ff. ad Syllan. vbi puer non multum à puberis ætate distans, qui ad pedes Domini cubuerat, cum occideretur, nec postea cædem eius prodiderat, capitalem patitur sententiam. Vbi Bald. inquit, ex pluribus concurrentibus, augetur delictum, & ex multis delictis resultat plena probatio, etiam ad condemnationē capitalem, contra impuberē. Et putat ibidem Bartolus eandem esse rationem, vbicūq; dolus impuberis euidentissimè arguitur: Quod eius dictum nimis esse seuerū existimo cū Angelo,

in L. Impuberem. ff. de furtis. Et exempla allata ex B. Gregorio & Aeliano ostendunt, in enormibus non parci ætati, quando malitia ætatem supplet. Comprobat idem Constitutio criminalis Caroli V. in art. 164. vbi declarat, quid cum furibus minoris ętatis faciendum sit, & statuit, quod si nec tales fuerint 14. annorum, non afficiantur morte: Si autem propemodum 14. annum compleuerint, & furtum graue sit ex circunstantijs, ita vt malitia videatur supplere ætatem: Iudicum officium erit consilium inquirere, quomodo tales fures sint puniendi vel in bonis, vel in corpore, vel mortis supplicio. Vbi patet, quod consideratis circunstantijs Iudex potest moderare pœnam, etiam vsq; ad vltimum supplicium incluśiuè. Hinc argumentum formo. Sic hoc locum habet in minoribus criminibus, iuxta iura prędicta, quando magis obtinebit in atrocisimis & enormibus, in quorum genere summum sibi vendicat locum crimen maleficorum & sagarum, ob magnitudinem scelerum. Etsi puer nec dum pubes iuxta d. L. Excipiuntur, in capitalem pœnam condemnatur, quod dolo præsumpto cædem sui Domini non reuelauerat: quid patietur puer castra Diaboli sequens, tractatus & nefanda scelera contra Rempub. & propriam Patriam cognoscens, nec ea reuelans? Quamuis enim Iudex in leuioribus & minoribus criminibus pronior ad absoluendum liberan-

randumq; esse debeat, in grauioribus atrocioribusq; tamen contrarium sentiendum, maximè quando tendunt in diuinę humanæq; maiestatis offensam, & communis boni detrimentum, iuxta ea quæ Marsilius in pract. §. Occurrunt, numero vlt. in fine libri, Damhaud. in practicâ cap. 150. num. 6. & alij alibi annotant: quod multis iuribus probari possit. Quia maior est fauor diuinæ humanæq; maiestatis & Reipub. quam priuatarum personarum. In hoc crimine quando quis reus inuenitur, non facilè est banniendus, aut relegandus extra fines Prouinciæ, aut Dominij: quia cum crimen etiam dependeat à cooperatione Dæmonis, facilè nocte redeunt ad suos, vt conuentui adsint, quando agitur contra salutem Patriæ, vt iudices nostri non rarò percipiunt ex confessione reorum de alijs, qui extra prouinciam fugerunt, moti conscientia patrati sceleris, & timore pœnæ, & in exemplo allato in prima parte tractatus patet de Anna Rouer, quæ Colonię habitauit, & tamen nocte ad conuentum redijt in Hexenroderheidt. Aliud etiam ad hoc dicendum mouet, etsi, quando banniuntur aut relegantur, putentur conuersi ad mentem, tamen in tanto timore est quasi coacta conuersio: Et ita quando sunt in banno & exilio, in pusillanimitate & desolatione ambulant, & Dæmon diligens in officio magnis & terribilibus tentationibus eos aggreditur, vt quasi

desperent. Qua ratione superiori anno quædam saga in proximo loco, fuit bañita ex causa mouenti: cùm paululum abfuisset, voluntariè se iterum obtulit magistratui, & maluit pati pœnam mortis (quam etiam æquo animo pertulit) quam diutiùs intolerabili vexationi immanissimi inimici subesse extra prouinciã & patriam. Vt tamen hoc addam, non auderem vnquam consulere iudici in conscientia, vt in hoc enormissimo crimine arbitrium extenderet ad vltimum supplicium, ante decimum sextum annum completum, nisi maximæ circunstantiæ accederent, quamuis de rigore legis aliud fieri posset: Ante talem ætatem minor esset custodiendus in tolerabili custodia, & instruendus: quo tempore elapso, si non sit ex circunstantijs adiunctis spes firmę constantisq; conuersionis, adhuc est locus iustitiæ, in quam sententiam, in genere loquẽdo, consului superiori tempore.

QVAESTIO II.

An corpus malefici mortui in carcere sit sepulturæ tradendum, vel comburendum, aut aliqua pœna afficiendum?

Vidi quandoq; dubitatum, & etiam memini in quodam casu erratum in hac re. Qua de causa breuiter quid sentiendum, hoc in loco resoluere statui.

Ante

Ante resolutionem præmittenda hæc prima distinctio, quod sic moriens in carcere: aut moritur naturali morte ante confessionem criminis: aut post eius confessionem. Secunda distinctio. Aut ipsemet reus infert sibi mortē conscientia perpetrati sceleris motus: Aut aliqua debilitate illata ratione torturæ, aut accidentaria incidit in morbum, & moritur in vinculis. Nunc pro resolutione, sit

Prima Conclusio. *Si maleficus aut reus alterius criminis capitalis morte naturali in carcere moriatur ante criminis confessionem, aut legitimam probationem, neutiquam in corpus sæuiendum, sed sepulturæ ecclesiasticæ tradendum est.*

IN hac Conclusione non puto doctum dubitare posse. Cùm enim crimina morte extinguantur L. Defuncto. ff. de public. iudic. Gloss. Bartol. Bald. & communiter DD. ibidem. A fortiori hoc verum est in casu nostræ Conclusionis, vbi nec confessione, nec probatione de delicto constat. Præterea talis Christianus est, nec de crimine conuictus, ob quod Ecclesiastica sepultura priuari debeat. Quare more aliorum Christianorum, hoc corpus sepelire conuenit.

Secun-

Secunda Conclusio *Si Iudex aliquem ob indicia & suspicionem maleficij in carcere detentum, morbo aliquo aut infirmitate correptum, & mortuum ante criminis confessionem, aut probationem, habuerit, & postea in corpus pœnam statuerit, aut illud deferri in locum publicæ executionis, ad sepeliendum in loco ignominioso, aut ad afficiendum aliqua ignominia curauerit: hæredes aut consanguinei possunt contra talem iudicem actionem iniuriarum instituere, & cogere ad reparationem iniuriæ, & restitutionem famæ.*

HAEC Conclusio satis probatur ex L. 1. §. Quotiens. ff. de iniurijs. & ex eis, quæ Alber. Angel. & alij ibidem dicunt. Ratio est clara pro Conclusione. Sic enim mortuus nullo modo est condemnatus de crimine, imò nec in hoc casu possit condemnari, cùm nec confessus sit crimen, nec probationibus cõuictus. Ergo Iudex qui corpus tali infamia afficit, iniustè facit, & iniuriam infert cadaueri defuncti, quam vindicare spectat ad hæredes defuncti. arg. d. §. Quotiens. Præterea talis nullo iure fuit prohibitus sepeliri in loco sacro. Ergo sepultura non debet priuari. Hinc superioribus annis iustissimè quidam senatus amplissimus, ad instantiam hæredum & amicorum cõdemnauit

nauit quendam officiatum, qui ob suspicionem & indicia maleficij & magiæ carceribus detentam fœminam, & infirmitate mortuam curauerat apud patibulum sepeliri, ad exhumandum cadauer, idque non per carnificem, aut homines infames, sed per probos, & ad sepeliendum in loco sacro. Hanc Conclusionem etiam intelligo habere locum, quoties & confessio nulla intercessisset, vtpote sine indicijs præcedentibus, aut reuocata fuisset, & reus in ea non perseueraſſet. Tunc enim perinde esset, ac si non confessus fuisset, vt alibi in superioribus explicatum est.

Tertia Conclusio. *Confessus crimen, aut de eodem conuictus, si pœnitens fuit, aut signa contritionis dedit, si moriatur infirmitate in carcere, regulariter iure corpus non priuatur sepultura Ecclesiastica.*

Probatur Conclusio, arg. eorum quæ habentur in cap. Placuit. 23. q. 5. ex Concilio Bracharen. primo, & cap. Ex parte, de sepult. Nec etiam vllibi in iure cauetur, quod sic mortuus non sepeliatur in loco sacro. Nihilominus apud multos consuetudine receptum est, quod tales non sepeliantur in loco sacro, sed educãtur à carnificibus aut ad locum supplicij, aut alium locum prophanum, maximè

quan

quando crimina sunt grauissima & enormia, quæ confessa sunt, & perpetrârunt.

Quarta Conclusio. *Qui ex intentione sibi mortem violentam inferunt in carceribus, quando ob crimen inquisiti aut accusati fuerunt, ecclesiastica iure priuantur sepultura.*

PROBATVR ex text. in d. cap. Placuit. Gloss. & DD. ibidem. & vult Gloss. tales habere debere caninam sepulturam. In hac re non est dubium. Tales enim moriuntur in statu peccati mortalis, & permanent in perpetua damnatione. Vnde meritò sunt eorum corpora reijcienda è societate aliorum.

Quinta Conclusio. *De iure non est licitum sæuire in corpus defuncti in carcere, vtpote cadauer suspendendo, aut igne consumendo.*

HANC tenent Bald. Iaso & alij in L. 2. C. Qui testamen. facere possunt. Angel. & Imol. in L. Defuncto. ff. de publ. iudic. & communiter DD. in L. Imperium. ff. de iurisdict. omnium iudic. Anton. Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 1. num. 79. Menoch. de arbitrar. Iud. qq. lib. 2. cas. 285. & hæc est communis sententia, vt post alios plures Iulius Clarus lib. 5. sen-

sentent. §. fin. pract. crim. q. 51. num. 15. iudicat. Ratio communiter à DD. assignatur, quia crimen & pœna per mortem extinguitur ex d. L. defuncto. quæ communis Conclusio est, vt post Cagnol. in L. pupillam qui. §. in hæredes. ff. de regul. iuris refert Clarus in d. q. 51. num. 12. Vnde quidam ex Doctoribus reprehẽdunt practicam contrariã, & dicunt, assessores posse conueniri actione iniuriarum, qui corpora defunctorum faciunt suspendi, aut cremari: cùm inferant iniuriam defuncto, & per consequens eius hæredibus.

Sexta Conclusio. *Quamuis de iure fieri id non possit, tamen in multis locis praxis contrarium seruat, quod in enormissimis criminibus, & grauibus maleficijs pro varietate circunstantiarum aliquando cadauera suspendantur, aut afficiantur pœna, qua reus, si morte præuentus non fuisset, punitus extitisset.*

Hanc tenent Bald. Decius, & Iaso in d. L. 2. C. Qui testam. fac. poss. Marsil. in L. quæstionis modum. ff. de quæst. Imol. in d L. Defuncto, Gomez. Menoch. & alijs pluribus enumeratis Iul. Clar. locis cit. Sic Gomez. ait se vidisse practicari in ciuitate Salmãticensi, vbi quidam forensis voluit & tentauit habere accessum ad puerum, & cum eo committere peccatum

catum contra naturam, & ex indicijs captus fuit, & in carcere se suspendit, & statim publicè ductus est per ciuitatem, & vias publicas, & tandem concrematus fuit. Alia exempla refert etiam Clarus. Propter facti memoriam, & aliorum terrorem consideratis circunstantijs rerum & personarum conuenit aliquando huiusmodi statuere exempla in eos, qui se ipsos conscientia sceleris commissi interficiunt, vt euitent pœnam ignominiosam in publico loco inferendam; quiq; ita miseri sunt atq; cęci, quod pluris faciant honorem, quem iam sceleris ratione amiserunt, quàm animæ & corporis salutem perpetuam, quam de facto amittunt, dum corpus & animam simul interficiunt.

Cohibentur ergo non rarò aliqui, ne sibi mortem consciscant, dum aliorum exemplo animaduertũt, etiam post mortem propriam decerni pœnam, & maximam etiam ignominiam inferri corpori mortuo, ad dedecus proprium & amicorum. Ad hoc argumentum illustrandum, facit illud, quod de Milesiorum virginibus memoriæ prodiderunt, Plutarch. de claris mulieribus, lib. 10. & Gellius noct. Attic. lib. 15. cap. 10. Cùm enim Milesiorum virgines sine vlla euidenti caussa voluptate obeundæ mortis captæ essent, sicque plurimæ vitam suspendio proderent, nec statim finis huic malo imponeretur, vt remedium adhiberent,

berent, Milesij statuto decreuerunt, vt virgines, quæ corporibus suspensis interirent, omnes nudæ, cum eodem quo essent suffocatæ atq; præcinctæ laqueo, efferrentur. Deinde huiusmodi decreto publicato, virgines amplius voluntariam non inferebant mortem, solo pudore deterritæ tam ignominiosi funeris. Nec mirum videatur, quod hæc practica non sit iuri conueniens; quandoquidem propter enormitatem criminis, & in terrorem aliorum licet quandoq; iura & leges transgredi, vt multis tradunt Bald. in Authen. Sed nouo iure. C. de seruis fugit. & auctores in addit. ibidem, & latius alijs Andr. Barbatius in cap. 1. de constit. à num. 155. Marsil. in L. Vnius. §. Cogniturum. ff. de quæst. & in singulari 601. vbi ait: Enormia talis esse naturæ & importantiæ, quod alterent dispositionem statutorum & iuris communis. Nec illud prætereũdum est, quod Athenienses, cùm necem sibi quisquam manu propria consciuisset, defuncto cadaueri manum tanquam facinorosam abscindebant, illamque abscissam corpore, inhumatam relinquebant, reliquum verò cadauer humo tegebant, & sepeliebant, vt meminit Æschines in oratione aduersus Ctesiphontem, & post eum Alexander ab Alexand. Genial. dier. lib. 5. cap. vlt. prope finem. Andreas Tiraquell. ibid. in annotat. & in lib. de nobilitate, cap. 31. & Menoch. in d. lib. 2. casu 284. num. 5. Detestanda

est etiam quorundam amicorum & sanguine iunctorum crudelitas, & audacia, qui curant sibi vinculo sanguinis obligatos, ob crimina capitalia morte digna in carceribus detentos, veneno ad bibendum, aut comedendum dato, necari, ne ignominiosè publicam pœnam subeant. De quibus Bald. & Ias. in L. 1. C. qui testam. facere possunt Marsil. in singulari 150. Menoch. in d. cas. 285. à num. 5.

LEX VI.

Multi magicis artibus usi elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accinctis audet ventilare, vt quisq; suos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat.

HAEC Lex est etiam Imperatoris Constantini ad populum: Vnde eruitur, opera maleficorum, quæ nostri confitentur se commisisse, non esse noua, sed etiam antiquitus magos fuisse & maleficos in magno numero, qui similia fecerunt, & cum Dæmonibus contra hominum salutem conspirauerunt. Et aduertendum ex hac etiam lege, maleficos magicis artibus, & non naturalibus nocere: atque (vt hoc etiam annotem,

rem, quoniam aliqui maleficos melioris conditionis videntur facere, quàm magos) quod omni tempore, vt suprà clarè docui, vulgus magos maleficos appellauit, & certè fraternizant. Qui enim ait magum interficiendum, haud negare potest maleficum ob excellentiam, maiori pœna afficiendum esse. Conueniunt autem magus propriè dictus, & maleficus: quod vterque operatur ex pacto cum Dæmone inito, tametsi magus occultius & obscurius id faciat, vt rectissimè Thomas Erastus in Dialogis de Lamijs docet. Differunt autem: quia magus mirabilia operatur ad delectationem, iocum & ludum, aut ostentationem: Maleficus sua opera in perniciem & detrimentum aliorum dirigit. Magus putat se Dæmonem cogere, & in hoc se potentiorem illo putat, & quod sic coactus concurrat ad actionem. Maleficus Dæmonem tanquam patronum agnoscit, ei reuerentiam exhibet, & in auxilium tacitè vel expressè inuocat, quando operationem perficere cupit. Magus ex libris, vel aliorum institutione suam artem discit: Maleficus ab ipso Dæmone seducitur, licet etiam aliquando aliqui persuasione aliorum inducantur. Magus non expressè Deo & communioni Sanctorum abrenunciat, nisi in summo malitiæ sit gradu: Maleficus autem communiter hoc facit. Ex quibus clarum

est, magum strictè sumptum in malitia superari à malefico. *Elementa turbare.* Quomodo magi siue malefici Elementa perturbent, latè declaratum est in L. præcedenti, q. 4. *Vitam infontium labefactant*, inducendo infirmitatem, aut mortem. *Manibus accinctis audent ventilare, vt quisque suos malis artibus conficiat inimicos.* Quidam rectiùs videntur legere quam antiqua Cod. lectio habet, videlicet, manibus accitis, id est, Dijs infernalibus inuocatis (ad mentem Glossæ) qui ex pacto cooperantur, vt quisq; suos inimicos secretò & occultè inficere & interficere valeat. Huic doctrinæ conuenit Theologorum vnanimis sententia, quod in maleficijs & quibusdam alijs superstitionibus semper fiat inuocatio Dæmonum tacita vel expressa. S. Thom. 2.2. q. 95. art. 4. & sæpius in ead. q. Cardin. Caiet. in d. art. 4. Alphonsus Castrensis lib. 1. de iusta hæreticor. punit. cap. 13. Sylvest. in verb. Maleficium. & in verb. Superstitio. Turrecr. 26. q. 2. can. illud. Nauar. in manuali Confessar. c. 11. num. 28. & alibi. Et articulus Parisiensis primus de superstitionib. Quod per artes magicas & maleficia, & inuocationes nefarias, quærere familiaritates & amicitias & auxilia Dæmonum, non sit idololatria. Error. Astipulantur Iurisperiti, Glossa, Angelus, Salycetus, Alber. in præsenti L. Bonifac. de Vitalinis in tract. de maleficijs, in cap. de Sortileg. & mathem. Ioan. de Anania in Rubr. de Sortileg.

Gril-

Grilland. q. 2. & 3. de Sortileg. Damhauder. in practica crim. cap. 61. à num. 132. vbi pulchra ad huius L. explicationem pertinentia adfert. Neque etiam putandum est, inquit, tam prodigiosos effectus maleficarum ab huiusmodi rebus, quibus vtuntur ad maleficiandum, oriri sed ab instituente hæc signa Diabolo, qui cùm sit superbissimus, Deo cupit in omnibus quàm similimus esse. Quemadmodum enim omnipotens Deus quędam in Ecclesia suaSacramenta instituit, quæ dignè vtentibus (ipso aspirante) salutarem designăt & producunt effectum: Ita & Diabolus, qui nihil impensiùs appetit, quàm in prętio haberi, & Deo æqualis videri, signa quædam tanquam sacramenta instituit, quibus inuocatus ab his, quibus confœderatus est pactis, operator malignus assistit; & quoties Deus permiserit, quod rogatur, malum perficit. Et post pauca: Mulieres autem maleficæ quæ iam voluntate deprauata, & consensu in consortium Dæmonum per pacta transierunt, notas quasdam & signa symbolica ab ipsis recipiunt, quibus exciti Dæmones mox prosiliunt. Quocirca in his perniciosis operationibus Dæmonum, nihil efficacius stulta maleficarum crudulitate, quę pactis augetur & votis. Nam quanto vel Dæmonibus, vel eorum signis firmiorem adhibuerint fidem, tanto velociorem assequuntur, cooperantibus ipsis, effectum. Hæc ille ex Ioanne Tritemio in tra-

ctat.de reprobis & maleficis mulieribus, ad quæstiones propositas à Maximilia. Cæsare. Si quis dicat. An semper inuocati accurrere cogantur; Respondetur quod non. Aliquando enim vltro non coacti aduenium, & suum auxilium præstant, vt suos clientulos in sua perfidia contineant, & sic magi putant, quod inuocationibus & coniurationibus eos cogãt, sed decipiuntur. Illa enim verba non sunt tam efficacia, vt Dæmonem cogant, sed tantum ex pacto concurrit. Aliquando ad inuocationem Magi siue malefici non fert auxilium, nec cooperatur: quia Deus non permittit. Aliquando autem Magus verbis & coniurationibus cogit dæmonem in hunc modum, quando habet scilicet pactum cum superiori dæmone, cui inferior morem gerere tenetur: tunc tamen verba & coniurationes respectu superioris non habent vim coactionis, sed tantum rationem signorum & inuocationis. *Hos quoniam naturæ sunt peregrini, feralis pestis absumat.* Merito vocantur malefici naturæ peregrini: quoniam vitæ humanæ insidiantur, & non solum alienæ, sed etiam quasi propriæ, dum proprios nonnunquam infantes, qui sunt portio suæ substantiæ, occidunt, Dæmonibus consecrant, aliquando corda eorũ comedunt: aliquando autẽ igne in pulueres, quibus ad nefandos actus abutuntur, redigunt. His accedit, quod destruunt ea, quæ ad conseruationem humanæ vitæ necessaria

ria sunt. Quare meritò ea pœna, quæ hic decernitur, sunt digni, vt scilicet bestijs tradãtur ad dilacerandum. Damnatio ad bestias pœna etiã erat in lege diuina. 4. Reg. 2 Pueri illudẽtes Helisęo & dicentes; ascende calue, ascende calue, à duobus vrsis lacerati sunt, qui ex eis 42. lacerauerunt ex diuina iussione. Deut. 32. Dentes bestiarum immittam. Ezech. 5. Cõgregabo super vos, & cõteram baculum panis, & immittam in vos famem, & bestias pessimas. Sic Daniel. 6. & 14. Darius rex Medorũ & Persarum in adorantes Deos alienos statuit bestiarum & leonum obiectionem. Quæ pœna olim familiaris fuit Gentilibus, contra Christianos martyres, vt constat maximè ex Hieronym. de Scriptoribus Ecclesiasticis vbi vitam S. Ignatij describit, qui ait. De Syria vsque ad Romam pugno ad bestias, in mari, in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt: quibus & cùm benefeceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est: sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me: ne sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. In alijs quoque LL. imponitur damnatio ad bestias, vt in L. pœna, ad L. Pompeiam, de parricid. & L. Ad bestias. ff. de pœnis, & alibi. Sed hæc pœna nunc ampliùs

non est in vsu, vt docet ex Angel. & Marsil. Iulius Clar. lib. 5. Sentent. §. fin. pract. Crimin. q. 67. num. 4. & in eius locum successit decapitatio naturalis.

QVAESTIO. I.

An propter multitudinem maleficorum, hoc tempore seueritati legum detrahendum sit, & crimen debeat manere inultum, vt quidam maleficorum aduocati volunt?

VIDETVR, quod sic: quia detrahendum est seueritati, vbi multorum strages iacet. Glossa in cap. Latores. de cleric. excomm. & in L. Aut facta. de pœnis. §. fin. ff. facit ad idem, can. Vt constitueretur. 50. dist. can. Commessationes. 44. dist. Hinc celebre illud dictum Gloss. in d. cap. Latores. Ob populum multum, crimen pertransit inultum.

In contrarium est L. præsens, quæ multos maleficos siue magos fuisse eo tempore attestatur, & tamen statuit eos seueriſſimè puniendos laceratione bestiarum. S. Thomas. 2. 2. q. 108. art. 1. ad 5. quem citat & sequitur Alberic. de Rosato in dictionario iuris, in verb. Correctio. vers. Qualiter attendendum, respondet, quòd quando tota multitudo peccat, de ea vindicta sumenda est, vel quantum ad totam

tam multitudinem, sicut AEgyptij submersi sunt in mari rubro, prosequentes filiós Israël, vt habetur Exod. 14. & sicut ob sodomiam Sodoma & Gomorrha vniuersaliter perierunt: vel quantum ad magnam multitudinis partem, sicut patet Exod. 32. in pœna eorum, qui vitulum adorauerunt. Quandoq; verò si speretur multorum correctio, debet seueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos principaliores, quibus punitis cæteri terreantur. Sicut Dominus Num. 25. mandauit suspendi principes populi, pro peccato multitudinis. Si autem non tota multitudo peccauit, sed pro parte: tunc si possunt mali secerni à bonis, debet in eos vindicta exerceri, si tamen hoc fieri possit sine scandalo aliorum. Alioquin parcendũ est multitudini, & detrahendum seueritati. Quando autem peccatum multitudinis est tale, quod magis noceret multitudini vel spiritualiter, vel temporaliter, quàm scandalum, quod exinde oriretur, vindicandum est: hæc ex S. Thoma.

Ad hanc materiam multa adferunt Bartolus in L. Aut facta. §. Nonnunquam. ff. de pœnis. Nicolaus Boërius in tract. de seditiosis, in septimo & vltimo præsupposito. Ioan. de Anania, & Felin. in cap. Dilectus. 2. de Simonia. Alphons. à Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 14. prope finem.

Respondetur nunc ad propositum. In hoc

enormissimo crimine nihil detrahendum est severitati, propter multitudinem eorum, qui immersi sunt. Probatur in primis: propter Sodomiam in Sodoma & Gomorrha nocentes cum innocentibus interfecit, & ciuitates igne succendit Dominus. Et in cap. d. Exod. 32. eò quòd populus vitulum conflatilem adorauerat, & coram eo lusit, & choros duxit, occisa sunt triginta tria millia hominum, nec pepercit Dominus in tam enormibus criminibus multitudini. Similia exempla non desunt alibi in veteri testamento. In tam enormibus, vt ait Ioann. de Anania in d. cap. Dilectus: cessant omnes rationes. Ad idem facit expressus textus in d. L. Aut facta. §. d. Nonnunquam, ait, euenit, vt aliquorum maleficorum supplicia exacerbantur, quoties nimis multis personis grassantibus exemplo opus sit. Hinc, quando sunt delicta grassantia, & ad malum tendentia, iuxta Glossam ibidem, propter multitudinem peccantium pœna exacerbatur. Sic Glossa, Bartolus in eadem L. Ioan. de Anania loco citato, Nicolaus Boërius. Felinus vbi suprà: & Archidiac: in can. Denique. d. 4. quando delictum est commissum aut committitur à multis, & est dubium ne committatur propter multas personas aptas ad hoc, & in futurum pendet, non parcitur multitudini. Quod multò magis est verum, quando crimen est maximum, sicut crimen male-

maleficorum,&tendit in corruptionem ſpiritualem &temporalem multitudinis,& multo maius eſt nocumentum inſtans,quàm ſit ſcandalum quod nullum oritur ex vindicta. Quia vt Gloſſ. & Anthon. à Butr. in d. cap. latores, tradunt, quando non timetur ſcandalum, ſed præſumitur quod populus æquanimiter tolerabit rigorem,propter multitudinem non eſt tollendus rigor : quod profectò obtinet in peſſimo crimine maleficorum. Populus enim cum animaduertat grauitatem huius criminis,& damna,quæ in Rempubl. redundant ex eo, & quomodo malum latius indies ſerpat, niſi proſpiciatur,egerrimè fert, ſi magiſtratus executionem iuſtitiæ protrahat, & multum etiam ædificatur ex tanti criminis punitione, velletq; Rempubl. optimè repurgatam à tam exitiali peſte, imò multa ſcandala oriuntur in populo,quando negligentius agitur in extirpatione,vt experientia diſcimus. Tum enim populus murmurat cõtra magiſtratum, multæ ſiniſtræ ſuſpiciones oriuntur, & plurima peccata murmurando, detrahendo, ſiniſtrè iudicando, & mendacia ſpargendo committuntur. Quorum alienorum peccatorum magiſtratus fit particeps, ſi conniueat,& ſomnolentius procedat : laudem autem conſequitur apud Zelatores iuſtitiæ, ſi ſine acceptione perſonarum, habita iuſtitia & gloria Dei ante oculos, ad puniendum procedat,

& ad

& ad purgandum Rempub. à malefactoribus, iuxta L. Congruit. ff. de offic. præsidis, accingatur. In hoc crimine profectò veritatem habet illud Stratoclis, relatum à Damhauder. in pract. crimin. in c. 150. num. 6. Ignoscendo nocentibus, innocentium salutem custodiri non posse. Item illud vulgare Prouerbium: Qui parcit malis, nocet bonis. Ad ea quę in contrarium allata sunt, respondeo: Seueritati detrahendum est propter multitudinem, in leuioribus delictis, quæ in futurum non pendent, & quando plus scandali ex punitione oritur, quàm boni sequitur, vtpote cõtingere posset, quando de sceleratis non posset haberi vindicta sine maxima Reipub. perturbatione. Tunc locum habet: Quæ emendare non possumus, tolerare necesse est: Ne si quis velit eradicare zizania, euellat & triticum. Alphons. à Castro loc. citat. respondet, parcendum esse multitudini, & mitius cum illa agendum, quando talis multitudo peccatum suum agnoscit, & parata est de illo corrigi, & bona de illius correctione habetur spes: quod in hoc crimine etiâ locum habere potest: de membris singulis multitudinis iudico in suo gradu. Alioquin si multitudo ipsa peccans peccatum suum non agnoscit, sed in eo perseueret, aut tãquam rem bene gestam velit defendere: tunc seuera punitione est coërcenda, vt à suo errore discedat, ne nimia indulgentia obstinationis ansam

illi

illi præbeat, præsertim si ipsa multitudo in potentia sua confidens, inde ad peccatum audacior fiat.

QVAESTIO II.

An magi & malefici insontium, maximè infantium vitæ insidientur, vt præsens L. significat?

PRO huius Legis maiori elucidatione pro certo habendum est, quod Dæmones feruntur delectari sanguine humano. 26. q. 5. c. Nec mirum. Sic omni tempore suos cultores solicitauerunt ad effundendum sanguinem, & ad immolandum homines. Psal. 105. Immolauerunt filios suos & filias suas Dæmonijs, & effuderunt sanguinem innocentem filiorum suorum & filiarum, quas sacrificauerũt sculptilibus Canaan. Vbi benè annotat Arnobius. Primò enim dixit. Effuderunt sanguinem innocentem. Et ne pũtarentur extranei, addidit, filiorum suorum, & filiarum suarum, quorum salus in humana conuersatione dulcissima est, vt illis non parcerent, pro quibus pij parentes etiam interfici non recusant. Et vt colligitur ex 4. Reg. cap. 23. & Hierem. 32. & Leuit. 18. & alibi: Idolo Moloch pueros immolabant, qui & suppositio igne comburebantur. Sic etiam Iulianus Imperator postquam Christum

ſtum abnegauit, & vacauit Dæmonum incantationibus, ita crudeliter magiæ operam dedit, quod poſt mortem eius corpora & capita hominum iugulatorum multa in ciſtis, in puteis, & locis ſecretioribus Imperatoriæ aulæ Antiochiæ fuerint reperta, quos mactauerat clam futura inquirens, vt tradunt Niceph. lib. 10. Eccleſiaſt. hiſto. cap. 36. Socrates lib. 6. hiſt. tripartitæ cap. vlt. Similia ſunt & magis horrenda, quæ referuntur contigiſſe in Huketan, ſiue noua Hiſpania, vbi in maxima ciuitate Temixtitan Dijs ſuis annuatim vltra viginti milia puerorum puellarumq; corda ſacrificare ſolebant, quæ nunc non Dæmonibus, ſed altiſſimo Deo per doctrinam Euangelij & verum cultum Dei offeruntur. Hæc Epiſcopus illius ciuitatis, in Epiſtola data Anno Domini 1531. in menſe Iunio, ad Capitulum generale Fratrum minorum regularis obſeruantiæ, celebratum Tholoſæ Anno Domini 1532. de profectu & animarum lucro ſignificauit. Laurentius Surius in commentario breui rerum in orbe geſtarum pag. 515. in impreſſione de Anno 1574. refert ex Archiuis Caroli Cæſaris inter reliqua, quod horrendum dictu eſt, mille plerumq; homines vno die in ciuitate Mexicana fuiſſe immolatos idolis, quæ nunc per gratiam Dei exturbata ſunt, & Dæmonibus ſilentium indictum. Doctores mallei maleficarum in 2. p. q. 1. c. 13. narrant, in diocœſi

dioecesi Basileensi & oppido Dan maleficam obstetricem incineratam, quæ confessa est se vltra quadraginta pueros necasse. Nicol. Iaquer. in flagello hæret. fascinariorum cap. 15. attestatur, in Gallijs repertum fuisse suis temporibus Magum Baronem, qui clam iugulasset circiter viginti pueros, vt de eorum sanguine quędam librum conscriberet, in obsequiũ Dæmonum, qui deprehensus fuit, & publicè pœnam tantis sceleribus debitam persoluit. Quomodo olim homines dęmonibus sacrificabantur apud varias nationes & gentes, multis ostendit Eusеb. lib. 4. de prępарat. Euangel. c. 7. Nostri malefici & sagæ plurimos infantes interfecerunt, vt passim ex processibus apud Iudices cõstat: imò, quod plurimùm à natura alienum est: corda infantium exscindũt, & comedunt, hac persuasione à diabolo inducti, q; tunc, si ad manus iustitiæ deueniant, non possint veritatem fateri, vt apertum est ex processu Annę de Rouer, cuius suprà mentionem fecimus, & aliorum. Imò multum insidiantur puerulis nondum baptizatis. Corpora autem infantium comburunt, & in cineres redigunt, quibus abutũtur in suis maleficijs. Imò, quod multò horribilius est, quandoq; parentes consensum & auxilium præbent, vt propria eorum caro sic tractetur, ipsis præsentibus, vt exemplis docere possem, si expediret: quæ causa rectè quendam Iudicem superiori anno

anno mouit, vt patrem maleficum, aliàs in primis strangulandum, viuum flammis tradendum iusserit, eò quòd præsens & fautor fuisset cùm sua proles à maleficis combureretur. Sæpè enim, vt experientia cognoscimus, malefici & sagæ sunt etiam parricidæ. Quod profectò si quis penitius introspicere velit, prędicta L.6. significat, quãdo eos appellat peregrinos naturæ: quum ipsa natura auditis tam horrendis factis, horrorem intra se concipiat, & quasi contremiscat. Nemo tamen miretur, quod homines aliàs bonæ naturæ & conuersationis in tam detestabilia scelera cõsentiant, vt (proh dolor) indies præter opinionem conspicimus. Sicut enim qui Christum imitatur, Deoque adhæret, diuinæ fit consors naturæ clemẽtiæq;, ac alia fit creatura: Ita qui Dæmonem sequitur, & in eius castra transit, propriam quasi naturam exuit, & participat quãdam proprietatem ferocitatis & truculentiæ Diabolicæ. Quod autem Dæmon maximè insidietur infantibus necdum baptizatis, id accidit ex inuidia maxima. Inuidet enim illis æternam fœlicitatem, quam ipse amisit: & infantes, si Baptismo abluerentur, consequerentur. Baptizatis autem struit insidias propter insigne odium nominis Christi, quod pręcipuè relucet in effectu Baptismi, quo mediante Christum induunt, & eius nomen participant, vt dicantur Christiani, nec non innocentiam per Adamum

mûm & Euam primos parentes perditam, infantes baptizati de nouo adhuc retinent, quã moleſtiſsimè fert. Quare eorum vitæ (cum animæ ſaluti adhuc nihil damni, ob infantilem ætatem, inferre poſsit) nocere ſtudet. Optimum autem remedium eſt contra Diabolicas artes in hoc ſtudio nocendi, vt parentes pij ſint, bonam curam puerorum habeant, eos conſeruent, ne perſonæ iuſtis ex cauſsis ſuſpectæ eos propiùs accedant, veſpere & manè ſalutem infantium Domino Deo commendent, ac eos ſigno Crucis muniant. Nam ſæpius ſagarum iudicialibus cõfeſsionibus cognitum eſt, quod infantibus ſigno Crucis munitis nihil nocumenti inferre potuerũt. Quod autem Deus concedat poteſtatem Dæmonibus nocendi pueris innocentibus, id ad prouidentiam Dei, quæ omnia in iuſtiſsimum finẽ dirigit, referendum eſt: quamuis ſæpè contingat, vt doctiſsimi viri tradiderunt, infantes, iuſto Dei iudicio, ſed non omnibus noto, puniri ob peccata parentum.

QVAESTIO III.

Quid de imaginibus, quibus magi ſiue malefici vtuntur, ſentiendum?

IN primis aduertendum ex Doctoribus tam Theologis quam Iuriſperitis, duplices repe-

riri imagines in exercitio apud eos, qui diabolica poteſtate vtuntur. Quædam enim dicuntur Aſtronomicæ ſiue Aſtrologicæ, quibus vt plurimum vtuntur ij, qui vacant magiæ diuinatrici, ad inueſtigationem rerum occultarum, & futurarum. Aliæ ſunt, quibus malefici vtuntur ad inferendum malùm aliquod hominibus, aut beſtijs. De poſtremis loquitur Gloſſa, Salycetus, Angelus & alij in præſenti L. Multi: vbi loquuntur de imaginibus maleficorum & incantatorum. Deinde iterum obſeruandum eſt: nomine imaginum in hac materia intelliguntur non ſolum imagines ſic dictæ ſecundum communem vſum, ſed multo magis figuræ, characteres, ſigna aut inſtrumenta, quibus ſuperſtitioſum genus hominum vtitur, ad inuocationem tacitam aut expreſſam Dæmonum, pro ferendo auxilio. De poſterioribus imaginibus Gloſſa & DD. in hac L. loquuntur, vbi Angelus ſic ait. Nota benè contra facientes imagines ceræ, qui pungendo eas, vitas hominum labefactant, & ideo non derideas iſta. Earundem etiam mentionem faciunt Paulus Grillandus de ſortileg. cap. 5. Oldratus de ponte conſil. 210. incip. Regularis habet traditio. Damhaud. in cap. 61. num. 116 & alij alibi. Quibus conſentiunt Theologi, Ioan. Gerſon in 1. part. in tract. de erroribus circa artem magicam, in litera O. Malleus 1. par. q. 5. Alphonſ. Caſtrenſis lib.

sis lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 15. Sylvest. in verbo. Maleficium. Martinus Arles in tract. de superstitionibus. Vniuersitas Parisiensis in articulis determinatis contra superstitiones, in art. 21. his verbis. Quod imagines de ære, plumbo, vel auro, de cera alba, vel rubea, vel alia materia baptizatæ, exorcizatæ, & consecratæ, seu potiùs execratæ, secundũ prædictas artes, & sub certis diebus, habent virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur. Error in fide, & philosophia naturali, & Astronomia vera. Cuius articuli sensus est, quod tales res & imagines ex sua natura non habent naturalem vim ad effectum, sed effectus sequitur ex ministerio Dæmonum, prout definitum est, in art. 18. Vsum huiusmodi imaginum apud maleficos sic describunt probati doctores. Malefici imagines quasdam, certis temporibus observatis & determinatis carminibus, & ritibus quibusdam & signis, conficiunt, quas in nomine Beelzebub, principe Dæmoniorum baptizant, adhibitis & expressis quibusdam alijs verbis, quæ ob horrorem non sunt referenda. His sic peractis prædictas imagines ad ignem applicant, & ibi petunt infirmitates, aut alia mala, quæ in persona illa, cuius imaginem confecerunt, euenire optant. Quandoque etiam acubus, aut alijs acutis ferris perforant, aut pungunt illius imaginis caput, aut pectus, aut ventrem, aut fœmora, aut aliam corporis

partem, in qua cupiunt malum aliquod oriri in persona, cui nocere intendunt. Quibus sic peractis sæpè contingit, quod persona, cuius nocumentum maleficus desiderat, grauiter torqueatur in illa parte corporis, quam maleficus pupugit, aut transfixit. Qui effectus non ex imagine, aut figura, sed ex operatione latenti diabolica proficiscitur, Maleficus enim habet pactum cum Dæmone, qui operatur circa corpus maleficiandi, quando imaginem maleficus pungit: Adhibet autem applicatq; dęmon naturalia venena & alia, quę sunt apta ex sua natura inferre dolorē & infirmitatē. Ipse enim subtilissimè & inuisibiliter applicat. Et maleficus quando animaduertit morbū, aut malum productum in corpore maleficiati, persuadet sibi talem vim inesse imaginibus & figuris, cùm tamen Dæmon alijs caussis naturalibus applicatis efficiat infirmitatem. De hac materia memorabile est exemplum, quod referunt Ioan. Bodinus lib. 2. de magorum dæmon. cap. 8. Cosmus Philiarchus Theologus Florent. lib. 3. 2. part. de officio Sacerdotis, cap. 8. in primo præcepto, & alij alibi, ex Hectore Boëtio lib. 2. historiæ Scoticæ, qui attestatur in tota Scotia notissimum esse. Duffus rex Scotiæ noctu sub perpetua vigilia decumbens, in sudorem sine modo soluebatur, corpus lenta conficiebatur tabe, effœto simillimum, hærebat cutis rigida, venas, neruos, & qua forma, & situ ossa essent huma-

humana ostendens, & tamen medici in ea omnia signa sanitatis inueniebant. Obortus est rumor incerto auctore, Regem à quibusdam mulieribus maleficiatum esse, quæ apud Forres oppidum Morauiæ manebant. Rex statim sub specie ineundæ pacis inter eum & coniuratos Morauos mittit, qui rei veritatem inquirant, missi Forres adiere & arcem ingressi (quæ adhuc erat in regis fide) Denoualdo arcis præfecto, quare venerint, exponunt: quo audito quidam miles, qui erat in artis præsidio, significauit Denoualdo quandam meretricem (cuius mater erat sortilega) dum blandiusculè eã tractaret, locutam ei fuisse de regis infirmitate, & morte: erat tunc illa meretrix in arce, quæ tormentis exposita, veritatem aperuit. Denoualdus in ipsa nocte milites ad sortilegarum ædes mittit, qui vnam veneficarum, simulacrum ad Regis Dussi imaginem ex cera confectum, ligneo veru affixum, ante ignem torrentem, alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem sensim supra statuam, inuenerunt: & ductæ cum simulacris in arcem, interrogatæ dixerunt, dum simulacrum igni adhibitum torreretur, Duffum regem in sudorem solui, carminibus autem recitatis perpetua teneri vigilia, & ad liquescentem ceram macie confici, consumpta cera mortem regis continuò secuturam: ita se Dæmones docuisse, & ad facinus exequendum

mercede à Morauorum primoribus conductas. Simulacrum effractũ fuit, & in eadem nocte rex absq; sudore quieuit, & postridie redeuntibus viribus, ita sanitati restitutus est, ac si nulla aduersa valetudine antea fuisset detentus. Sagæ viuæ crematæ sunt. Gerson loco citato narrat, quod Philippus quondam rex Francorum, cum perciperet de quadam cerea imagine, quam dicebant baptizatam, aut execratam taliter nomine suo, quod ea destructa rex moretur: Rex fide plenus, videbimus, inquit, si potentior erit Dæmon ad perdendum me quam Deus ad sanandum, & hæc dicens ceram proiecit in ignẽ. Petrus Gregorius Tholosanus in Syntagm. iuris vniuersi. lib. 34. cap. 11. narrat ex Gagrino lib. 7. histor. in vita Philippi Huttini, vxorem cuiusdam Enguerrani quæstoris Gallici, qui expilauerat ærarium Galliæ, cum de mariti carcere concluſi liberatione desperaret, ad magiã & diuinationem se cõuertisse, Pauioto quodã maleſico & Clauda muliere ad id facinus opem ferentibus: atq; cerea quædã simulacra, ad regis Caroli Valesiensis Formã, Dęmoniaca arte cõfecisse, quæ languentium speciem pręseferrent, ad quorum similitudinẽ, nisi mala sors prodita fuisset, Rex & ipse Carolus conficiendi macie sensim erant, & definita ad tempus morte consumendi. Quo cognito, suspensus fuit Enguerranus: Pauiotus & Clauda vxor Enguerrani

rani flãmis consumpti. Pro d.L. ampliori elucidatione, attendendũ est, quod malefici opera diaboli nõ solùm mediantibus imaginibus vitæ hominũ insidiantur, sed etiã possunt aërem morbidũ reddere, vt homines eum attrahentes inficiantur, aut pestẽ seminare. Sic Philostratus li. 4. de vita Appollonij Tyanæi narrat, Ephesi Dæmoniacum quoddam spectrum pestem disseminasse, idque in forma & specie senis mendici peram gestantis, panniceis frustis refertam, laceram & sordidam vestem gerentis, quẽ Appollonius ad expiandam ciuitatem, cùm detexisset, iussit lapidibus obrui; quod factum est, & sublatis deinde aceruis lapidum, ait in eius loco inuentum esse canem tanquam molossum magnitudine tanta quanta maximi leonum esse solent, quasi rabidi canis spumam emittentem, & ita liberatam à peste ciuitatem. Familiare est etiam magis, teneros ad huc infantes fascinare.

LEX VII.

Et si excepta tormentis sunt corpora honoribus præditorum, præter illa videlicet crimina, quæ legibus demonstrantur: Et si homines magi in quacunq; sint parte terrarum, humani generis inimici credendi sunt:

tamen quoniam qui in comitatu nostro sunt ipsam pulsant propemodum maiestatem: Si quis magus, vel magicis certaminibus assuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur, vel etiam mathematicus, aut narrandis somnys occultãs artem aliquam diuinandi, aut certè aliquid simili horum exercens; in comitatu meo vel Cæsaris deprehensus fuerit, præsidio dignitatis exutus, & cruciatus & tormenta non effugiat. Si vero conuictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit denegando, sit eculeo deditus: vnguliſq; sulcantibus latera, perferat pœnas dignas facinore proprio. Hæc L. etiam est Constantini.

PRIVILEGIO à tormentis excepti, de crimine maleficij & magiæ accusati, possunt sine præiudicio torqueri, & culpabiles inuenti puniuntur. De lege communi excusantur à tormentis personæ in dignitate constitutæ, vt sunt Doctores, Equites aurei velleris, Decuriones, & Capitanei militum, Officiarij Principum, Rectores Ciuitatum, & similes dignitate fulgentes. De quibus legendi Franciscus Brunus de indicijs & tortura 2. part. q. 3. Gandinus

dinus in tract. de maleficijs in tit. de quæstionib. Marsil. in practica crimin. in §. Expedita, à nu. 27. Damhaud. in pract. crim. cap. 41. Iul. Clar. lib. 5. Sentent. §. fin. pract. crim. q. 64. & alij alibi. Excipiuntur tamen aliqua crimina, in quibus dignitas non excusat à tormentis: crimen læsæ maiestatis. L. Nullus. C. ad legem Iul. Maiest, Eadem est ratio proditionis patriæ, Ciuitatum aut principium & similium. L. Desertorem. §. His qui ad hostes. & L. proditores. ff. de re militari. crimen maleficorum & mathematicorum in præsenti L. Secundum communem Doctorum sententiam. falsi L. Si quis decurio C. de falsis. Priuati carceris. L. 1. C. de priuatis carcerib. & Gloss. hic. Considerandum etiam in hac L. quam seuerè animaduertendum Imperator statuat in maleficos aulicos, vt bene Bodinus lib. 4 de magorum Dæmonom. cap. 5. notauit. Vnus enim, (inquit) in comitatu magus omnibus viris fæminisq; principibus corrumpendis sufficit, qui sequũtur aulam. Pessimi enim sunt tales, qui & principes non rarò in suam sententiam pertrahunt, vt horum fauore & patrocinio conseruentur, imo etiam similes sibi aliquando principes efficiunt. Sic Licinius, Valerianus Cæsar, successor Galli in Imperio, primis temporibus pius in Christianos fuit, sed magorum AEgyptiorum princeps eum præstigias & impostruram docens magicam persuasit ei, vt sanctos viros

domo eijceret, longè à se repelleret, ferro etiã tolleret, si malis artibus obstarent. Sic quoq; Iulianus Imperator pietatem Christianam primum ariolorum consuetudine adductus abiecit, tandem apertè Christum abnegauit, ac Dæmonum incantationibus vacauit, vt ex Nicephoro alijsque constat. Quod rectè deducit Petrus Gregorius in Syntagam. Iuris lib. 34. cap. 21. Ab his malis se liberare voluit Constantinus, dum seuerè præcipit animaduertendum in eos, si qui in suo comitatu reperiantur etiam nulla obstante dignitate.

Ex hac L. eruitur, quod in honore constituti, antequam tormentis subijciantur, debent exui insignijs dignitatis. Tandem si quis de hoc crimine testibus conuictus fuerit, & nihilominus obstinato animo steterit in negando, etiam præsentibus testibus, qui illius facinus detexerunt, traditur viuus bestijs vorandus in eculeo, id est, sacco, ac dentibus vngulisque lacerandus.

QVAESTIO. I.

Quis modus deueniendi ad torturam, & in eadem procedendi in hoc maleficorum crimine?

Quoniam in hac L. mentio fit torturæ, paucis aliquid tractandum.

Prima

Prima Concluſio. *Ad torturam nunquam procedendum ſine legitimis & ſufficientibus indicijs.*

Probatvr ex L. Vnius. §. in ea. & L. fin. ff. de quæſtionib. Bartol. & Marſil. ibidem, & idem in pract. Criminali. §. Conſtante. num. 27. & alibi. Iaſon in L. Si ſic legatum. num. 24. ff. de legat. 1. Guido de Suzar. de indicijs & tortura. num. 28. & ibid. in addit. Ludou. Bologn. Paulus Grilland. in tract. de quæſtion. & tortura. q. 6. Panormitan. in cap. Cùm in contemplatione. de reg. iuris. Iulius Clarus lib. 5. ſententiarum. §. fin. q. 64. num. 9. Menoch. de arbitrar. iud. qq. 84. & alij communiter.

Atq; hæc Concluſio etiam obtinet in criminibus exceptis, vt in crimine læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ, &c. Gloſſ. cum text. in L. Si quis alicui. C. Ad Legem Iul. Maieſt. Cyn. Bald. & Salycet. ibidem. Marſil. in L. penult. ff. de quæſtionib. Brun. de indicijs & tortura q. 5. 2. partis, Menoch. & Clar. loco citat. Ioſeph. Maſcard. de probat. vol. 3. Concluſ. 1385. & hęc eſt communis ſententia, vt poſt Brunum recentiores ſentiunt. Quare & in hoc noſtro crimine cõmunis regula fundata in L. 1. ff. de quęſtionib. & in L. Maritus. ibid. à tortura non eſſe inchoandum, habet locum. Quæ autem, & quot, & qualia indicia requirantur, partim in ſuperiori tractatu, ſecunda parte dictum

eſt.

est: partim in L. fin. latius explicabitur.

Secunda Conclusio. *Si reus torqueatur sine legitimis inditijs præcedentibus, & crimen confiteatur, confessio talis non est efficax ad condemnationem, nec confitenti præiudicat.*

BARTOL. in L. penult. ff. de quæstion. DD. in addit. ibid. Angel. & Paulus Castrens. in L. Qui in aliena. §. Celsus. ff. de acquirend. hæred. Ludouic. Bologn. post alios plures in addit. ad Guidon. de Suzar. de indicijs & tortu. num. 29. Roland. à Valle consil. 31. Mascard. loco cit. num. 5. Emanuel Soarez in thesauro recept. sent. verb. Confessio. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 55. & alij alibi. Quam sententiam etiam amplectitur Constitutio Criminalis Carolina in cap. 20. Dictum in conclusione (sine legitimis indicijs præcedentibus.) Quia etiamsi postea legitima indicia superuenirent, non tamen cõfessio ea tortura antecedenti indicia indebitè extorta, valida redderetur, & legitimaretur. Gloss. & Bartol. in L. Maritus. ff. de quæstion. Alberic. ibid. qui dicit, quod ita tenent communiter DD. & aduocati. Ludouic. Roman. in consil. 167. incip. Antonius accusatus. Bald. in L. fin. C. de accusat. Decius in cap. At si clerici. col. 3. de iudic. Iul. Clar. lib. 5. q. 64. nu. 9. & alij passim alibi. Ratio, quia quod ab initio

non

non valuit, ex post facto conualescere non potest. L. Quod ab initio. ff. de reg. iuris.

Tertia Conclusio. *Regulariter, quando per testes, aut confessionem, aut alias de delicto constat, non est deueniendum ad torturam.*

Angel. in L. fin. C. de quæst. Alberic. in Rubric. ibid. Marsil. in L. 1. in princip. ff. eod. & in pract. Crimin. §. Nunc videndum. à num. 25. & attestatur communem esse opinionem. Angel. Aretin. in tract. maleficiorum, in verb. Fama publica. Boërius in decis. 163. num. 1. & alij ab eo allegati. Iulius Clar. lib. 5. §. fin. pract. Crim. q. 64. num. 5. Damhauder. in praxi rerum criminal. cap. 35. & hæc opinio communis est, vt post Marsil. & alios Didac. Couarr. practic. quæst. cap. 23. num. 5. & Antonius Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 13. num. 20. docent. Atq; hæc sententia probatur per text. in L. Diuus Pius. & L. Edictum. ff. de quæst. in hac L. Edictum. sic tex. habet: Quæstiones nec semper in omni causa, & persona desiderari debere arbitror, sed cùm capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari, & inuestigari possunt, quàm per seruorum quæstiones. Ratio etiam pro Conclusione à DD. assignatur. Tortura est remedium quoddam subsidiarium eruendæ veritatis. Ergo non est deue-

nien-

niendum ad eam, nisi deficientibus alijs probandi modis. Occasione huius Conclusionis orta est controuersia inter DD. An si reus torqueatur super delicto confesso, vel probato, & neget in tortura, veræ & legitimæ probationes elidantur & eneruentur, ita vt non possit virtute earum condemnari? Pro affirmante parte, & etiam negante sunt celebres DD. Et quia ex professo materiam torturæ non hoc loco tractamus, sed tantum attingimus, lectorem remitto ad Didac. Couarr. Gomezium, & Iulium Clarum locis allegatis, qui pro vtraq; parte ad longum sententias, & eorum auctores allegant. Sed hæc relinquendo, quantum ad nostrum propositum, reus confessus, aut testibus plenè conuictus, cēsura prudentium & doctorum iudicum non torquetur super crimine de quo per probationem, aut confessionem constat, sed super alijs, de quibus indicia habentur: aut super socijs & complicibus. Itaq; quando Iudex in hoc casu torturam super confessione sociorum, aut alijs criminibus instituit, prius debet protestari, quod id faciat sine præiudicio criminis confessi, aut probati, vt communis Doctorum in praxi obseruantia habet, teste Cæpoll. in cons. 32. Qua de causa Alberic. in Rubr. C. de quæst. num. 9. dicit, quod fatuus esset Iudex, qui torqueret aliquem, contra quem esset plenè probatum, nisi id faceret cum protestatione, quod non intendat

dateum torquere super probatis, debetq; facere, vt talis protestatio appareat in actis.

Quarta Conclusio. *Tortura non est adhibēda in omni caussa & delicto, sed tantum in atrocibus & grauibus criminibus, pro quibus de iure vel consuetudine, aut statuto pœna mortis, aut corporalis notabiliter affligens infertur.*

DOCTORES in d. L. Edictum. cum textu quando ait: Quæstiones nec semper in omni caussa & persona desiderari, &c. sed cùm capitalia & atrociora maleficia, &c. Marsil. in Rub. de quæstionib. & ibidem Salycet. & alij. Francisc. Brunus in tract. de indicijs & tortur. 2. part. 3. q. Paul. Grilland. de eadem materia q. 5. princip. Iul. Clar. in d. q. 64. num. 4. & post alios Gomez. in d. c. 13. num. 2. Ratio redditur: Quandoquidem tortura est grauis afflictio, ideo non debet maior pœna inferri reo nec conuicto, nec condemnato, quàm esset inferenda ex ipsa condemnatione, si reus crimen esset confessus, aut de eo conuictus probationibus.

Quinta Conclusio. *Tortura debet adhiberi cum moderamine secundum qualitatem personæ, delicti, indiciorum & temporis, ita vt moraliter & verisimiliter reus*

tortus

tortus remaneat ſaluus & illæſus in vita & membris.

CONCLVSIONEM tradunt Bartol. Albe-ric. Marſi. & alij in L. quæſtionis modum. ff. de quæſtionib. latè Marſil. in pract. crimin. §. Expedita, à num. 85. Bald. in L. 1. C. de confeſſ. Gandin. in tractat. malefic. in princip. in verſi. Quintò nota. Ioan. Andreas in cap. Cùm in contemplatione, de reg. iuris. Anthon. Gomez. vbi ſupra num. 5. & alij alibi. Concluſio probatur ex d L. Quæſtionis modum. quæ ſic habet: Quæſtionis modum magis iudices arbitrari oportere, itaq; quæſtionem haberi oportet, vt ſeruus ſaluus ſit vel innocentiæ, vel ſupplicio. & ibidem in L. de minore. §. tormenta. verſ. Sed vt moderatæ rationis temperamenta deſiderant. Hinc iuſtè ſecundum DD. receptam ſententiam reprehenduntur iudices ſeueri & crudeles, qui nec rationem, nec modum tormentis adhibent, ſed voluntatem propriam ſequẽtes, conſcientiam rectam, & ordinatam prudentiam relinquentes, ac vanam gloriam affectantes, hominibus non magis in tormentis parcentes, quàm deliris & furioſis beſtijs: ita vt rei ſæpè vitam aut amittant, aut tam miſeram ſeruent, vt magis mori quàm viuere ſaniori iudicio exoptãdum foret: cùm ita tormentis aut membra dilacerentur, aut certè debilitentur, vt in perpetuum inutiles ſint

sint homines laboribus, & nunquam quàm diu vita agitur, tormenta desinant.

Sexta Conclusio. *Iudex in torquendo non debet adhibere modos exquisitos & non consuetos, sed solitos, & à consuetudine approbatos.*

Brvnvs in tract. de indicijs & tort. Damhauder. in rerum Criminalium praxi, cap. 57. à num. 17. Franciscus Pegna in 3. par direct. commento 110. Gomez. loco cit. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 64. n. 36. & alij passim alibi. Est autem generaliter vsu frequentior in multis prouincijs modus funè torquendi, qui etiam solus videtur ex iure colligi. L. Nullus. C. ad L. Iul. Maiest. Hinc DD. Iudices nouos & inusitatos torquendi modos inuenientes, aut inuentis vtentes, carnificibus comparant. Et sanè in hoc maleficij crimine durum & inhumanum, imò ab omni humanitate alienum est, quod quandoq; Iudices non meminerint, se agere cum hominibus, quando diros & omni tyrannide & crudelitate plenos torquendi modos adhibent, vt candelas ardentes carni apponentes, aut oleum calidum infundentes, &c. Iudicis enim officium est, iudicio, ratione & discretione vti in his, quæ circa reũ agenda sunt, & carnifici torquenti modum & regulam præscribere, ne quid nimis fiat, &

ipse sceleris & iniustitiæ particeps fiat.

Septima Conclusio. *In hoc crimine maleficij nemo aut ratione dignitatis, aut prætextu priuilegij excipitur à tormentis.*

HAEc Conclusio clara est ex L. præsenti, & communi sententia. Dictum, ratione dignitatis & priuilegij: quia ob corporis infirmitatem, & partus periculũ, nec in hoc crimine nec in alijs exceptis quispiam torquendus est, vt post alios Gomez. in d. cap. 13. num. 3. ostendit. Mulier autem prægnans, propter periculum partus nec terreri debet, vt rectè obseruauit Franciscus Pegna in 3. part. directorij, comment. 39. in lit. D. Quoniam etiam ex terrore & comminatione possit sequi abortus. Expectandum ergo est cum prægnante donec pepererit, & integram valetudinem post partum recuperauerit.

Octaua Conclusio. *Quando ex sententia & decreto Iudicis reus torquendus est, & tortura veritas eruenda, id faciendum in præsentia iudicis, & ad minus duorum scabinorum, nec non scribæ iudicij, aut notarij.*

HANC Conclusionem satis comprobat Constitutio Carolina in art. 47. & vsus omnium

omnium iudiciorum rectè constitutorum. Cùm enim tortura res sit magni momenti, & possit esse maximi præiudicij, Iudex non debet carere hominibus fide dignis, qui testimonium perhibeant veritati in casu necessitatis, de rebus gestis. Quare aliquando valde suspecta est aliquorum tortura: Vbi quidam Iudices sunt valdè imperiti, qui soli, adiuncto aliquo scriba, vt audio, pro sua imperitia, aut voluntate, tantum homines torquent, vt non mirum sit, si sæpè fateantur, quę nunquam cogitauerunt.

Nona Conclusio. *Quando plures torquendi, ab eo incipiendum, à quo verisimile est, veritatem facilius eruendam fore.*

Bartol. in L. 1. ff. de quæst. Gandin. in tract. malefic. in Rubr. de quæst. & tormen. Marsil. in pract. crimin. §. Expedita. num. 49. Angel. ab Aretio in tract. malefic. in Glossa in verb. Fama publica præcedente. Damhauder. in rerum crimin. praxi, cap. 37. num. 14. & alij alibi. Vnde hanc Gandinus ponit regulam, Quando de pluribus habenda est tortura, sagax Iudex debet considerare, à quo facilius veritas erui potest, & ab illo debet quæstionem incipere tanquam à timidiore & magis suspecto, & debet incipere à viliori, & non à fortio-

ri vel digniori. Huius Conclusionis doctrina maximè seruanda est in hoc crimine maleficorum, vbi vt plurimum primi rei confessio præbet occasionem latiorem inquirendi circa alios, & aperit quasi viam alijs indicijs: cùm ferè semper accidat, quod malefici vnius loci societatem, & vnum conuentum inuicem habeant. Quando autem non est magis verisimile de vno quàm de altero, quod veritas facilius eruetur, tunc incipiendum à magis suspecto. arg. L. 1. in principio. ff. de quæstion. Bartol. ibidem, & Marsil. loc. cit. Is autem semper iudicatur magis suspectus de maleficio, qui pluribus, & vrgentioribus laborat indicijs & suspicionibus. Indicia enim & argumenta reddunt aliquem suspectum: & quo ea sunt grauiora & vehementiora, eò magis reddunt suspectum.

Decima Conclusio. *Iudicis arbitrio relinquitur, an tortura semel illata possit iterum repeti.*

BALD. in L. 2. C. Quod metus causa. Barto. in L. Vnius. §. reus. ff. de quæstion. Marsil. in L. quæstionis modum. ff. eod. Salycet. in L. 2. C. de custod. reor. Menoch. lib. 2. de arbitrar. iudic. qq. casu 272. & alij alibi. Sed quia hæc Conclusio satis generalis, & Iudex suum iudicium latius extendere potest, quàm ratio patiatur,

fiatur, ideò distinctius res explicanda est. Sit ergò

Vndecima Conclusio. *Semel leniter tortus potest repeti in tortura, vt sufficienter torqueatur.*

Bald. in L. 2. C. Quorum appell. non recip. Marsil. in L. Repeti, de quæstio. & in pract. crim. §. Quoniam. num. 3. Alberic. in Rubr. C. de quæst. num. 8. & post alios plures Iulius Clar. lib. 5. §. fin. q. 64. num. 46. Franciscus Pegna in 3. par. Directo. commen. 39. Menoch. vbi supra. Ratio à quibusdam redditur, quoniam leuis tortura non dicitur tortura, sicut nec febricula, id est, parua febris dicitur febris. Pro huius Conclusionis meliori intelligentia notandum, quod plures sunt gradus torturæ de quibus Iulius Clar. in d. q. & alijs clarius Paulus Grilland. in tract. de quæst. & tortu. q. 4. & ita à leuioribus tormentis incipiendum est, quibus si reus tortus veritatem fateatur, cessandum est à tortura. Cùm enim torturæ locus sit, quoties veritas aliter haberi non potest, à reo indicijs grauato: sicuti non habet locum quãdo reus sine tormentis veritatem purè & simpliciter confitetur: Ita etiam ab ea cessandum, quando reus fatetur crimẽ, sicuti necessarium est. Habito enim fine, cessat motus. In casu huius conclusionis, vt notant DD. periti Iudices,

quando iubent reum deponi à prima tortura, solent curare, vt notarius scribat in actis, se eum deponere animo repetendi tormenta. Hæc tamen repetitio torturæ verius dicitur continuatio torturæ, quàm eiusdem repetitio, licet etiam interpolatis & diuersis diebus id fiat.

Duodecima Conclusio. *Quando reus sufficienter fuit tortus, ita quod priora indicia diluerit & purgauerit, & tamen nihilominus nihil confessus est, sed in negatiua persistit, tunc regulariter non possunt repeti tormenta, nisi noua indicia superueniant.*

HANC docent DD. communiter in locis allegatis in Conclus. 11. & alij in d. L. Repeti, & alij multi, quos ad longum allegant Boërius in decis. 163. & Anton. Gomez. tom. 3. variar. resolut. num. 26. Dictum in Conclusione (regulariter non possunt repeti.) Quia quãdo prima indicia sunt multum vrgentia & manifesta; tunc licet de iure tortura non possit repeti, nihilominus de consuetudine tormenta repetuntur, & ita practicatur, vt post Bartol. in L. vnius. §. reus. ff. de quęstionib. docent Alexand. lib. 1. consil. 5. incip. In casu inquisitionis formatæ. Alberic. Iulius Clar. Menoch. Gomez. loc. cit. & alij alibi. Quod à fortiori verum est in grauissimis exceptis crimi-

nibus,

nibus, quæ tendunt contra communem spiritualem, aut corporalem reipublicæ salutem, cuiusmodi sunt veneficium, proditio, crimen læsæ maiestatis tam diuinæ quàm humanæ, &c. In eis enim quando vrgentia, manifestaq; sunt indicia priora, & reus est robustus corpore, solet repeti tortura virtute priorum indiciorum. Monent tamen aliqui DD. rectè circa hanc doctrinam, cauendum esse ne quid nimis seuerum ratione huius doctrinæ intentetur. Sæpè enim contingit ob sæuitiam Iudicum, & tormentorum acerbitatem multos cõfiteri, quę nec committere cogitârunt. Etenim tortura res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat, vt ait Vlpian. L. 1. §. Quęstioni fidem. ff. de quæst. Nam pleriq; patiẽtia siue duritia tormentorũ ita tormenta contemnunt, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Alij tanta sunt impatientia, vt quoduis mentiri, quàm pati tormenta velint, ita fit, vt etiam vario modo fateantur: vt non tantum se, verùm etiam alios criminentur. Hæc in d. L. Hinc ab oratoribus, Cicerone lib. 2. de inuentione, & Quintiliano lib. 5. orator. institut. assignatur locus communis à quæstionibus contra quæstiones. Vnde infertur, quod non omnis innocens est apud Deum, & in veritate, qui purgatis per torturã indicijs, absoluitur; nec omnis sceleris reus, qui ad confessionem tormentis extortam condemnatur. Apud historiarum

scriptores non desunt exempla multorum, qui nulla tormentorum sæuitia, multitudine & magnitudine cogi & impelli potuerunt, vt veritatem confiterentur. In primis memorabile est illud de Zenone Philosopho, dialecticæ primo inuentore, qui cùm Phalaridem tyrannum plus æquo, & crudeliter dominari animaduertisset, incensus cupiditate liberandæ patriæ cum nobilissimis adolescentibus conspirauit in mortem Tyranni. At arcanum eorum consilium detectum fuit, & machinatio Zenonis patefacta Phalaridi, à quo eã ob caussam captus, & ad quæstiones raptus, conuocato in forum populo: cumq; acerbissimis tormentis laceraretur, vt consilij & machinationis participes reuelaret, nulla tormentorum vi & terrore adduci potuit, vt conscios facti proderet, sed vultu imperterrito, & magna constantia in sua sententia persistens, etiam Tyranno intimos & fidissimos familiares, quanquam insontes, tanquam coniurationis capita, suspectos reddidit: quibus sublatis, Agrigentinæ vrbis multitudinem sæuientem, eorum ignauiam & timiditatem increpando, effecit, & oratione magnifica impulit, vt facto impetu Phalaridem lapidibus prosternerent, vt post alios posteritati tradiderunt Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. & Alexand. ab Alexandro genialium dierum lib. 1. cap. 30. Simile referunt hi auctores de Theodoro viro grauis-

simo-

mo. Sed & in muliebri sexu non deest exemplum: Leæna cum per omnes cruciatus & artus à tyrannis torqueretur, nunquam cogi potuit vt consilia Harmodij, & Aristogitonis tyrannicidarum, manifestaret. Qua de causa ad perpetuam rei memoriam Athenienses illi erexerunt simulacrum videlicet leænam æneam, cui ob insignem & memorabilem taciturnitatem linguam addi vetuerunt. Huius Leænæ meminerunt Tertullianus in Apologetico, cap. vltimo. Lactantius diuinar. institut. lib. 1. ca. 2. Plinius histo. natural. lib. 7. cap. 23. Pausanias lib. 1. & Alexand. ab Alexand. loco cit. Alia plura ad eundem effectum colligit Valerius Maximus loco cit. & lib. 8. cap. 4. Ex alia parte quidam ita impatientes, vt metu tormentorum fateantur, quæ non fecerunt. Sic Magri argentarij seruus Alexandri Rafani seruũ occidisse insimulatus est, & eam ob caussam tortus à domino se id facinus admisisse, cõstanter confessus est, & Fannio deditus, supplicio affectus est. Paulo post ille de cuius nece agebatur, domum redijt, referente Valerio in d. cap. 4. Sic etiam Iulius Clarus vbi supra num. 46. testatur se intellexisse suo tẽpore de duobus, qui in tortura confessi fuerunt se occidisse quẽdam nobilem eorum inimicum, qui deinde post multos annos repertus fuit viuus in quodam castro carceratus a magno quodam Domino. Ipsi tamen

propter confessionem vi tormentorum factam, fuerunt vltimo supplicio affecti. Ex his alijsq; quæ adferri possent, satis clarum redditur id quod in d. §. Quæstioni fidem, à Iurisconsulto dicitur, quod tortura res sit fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat: idque vt ex sequentibus liquidum est, nascitur ex diuersa & varia hominum constitutione.

Decimatertia Conclusio. *Quando reus in tortura crimen contra se confessus est, potest repeti ad torturam ad detegendum socios criminis, in casibus, quibus de sceleris participibus interrogatio iure institui potest.*

L. fin. C. de accusat. & inscript. DD. ibidem. Marsil. in practica. §. Diligenter. Damhauder. in rerum crimin. praxi, cap. 38. num. 14. & alij communiter in hac materia: hoc enim omnium iudicum praxis recepta attestatur. In quibus autem casibus quis de socijs iure interrogetur, demonstratum est in secundo membro superioris tractatus.

Decimaquarta Conlcusio. *Quando reus in tortura confessus fuerit crimen & deinde ductus ad ratificandum confessionē can-*

eandem reuocauerit, potest repeti in tortura etiamsi alia indicia non superuenerint.

Bart. in L. vnius. §. reus, in fine. ff. de quæstionib. Bald. in L. Bonæ fidei C. de reb. cred. col. 2. in fine Marsil. in L. Repeti. ff. de quæst. & in practica. §. Quoniam. à num. 4. Gomez. tomo 3. variarum resolutionum cap. 13. num. 26. & hæc est communis opinio vt post Blanc. de indicijs num. 219. & Bossium in tit. de tortura, num. 34. attestatur Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 21. num. 36. Ratio pro hac Conclusione à DD. redditur, quia indicia non videntur sufficienter purgata ratione negationis subsecutæ. Deinde talis variatio & vacillatio rei nouum exhibet indicium ad torturam. arg. in L. De minore. §. Plurimum. ff. de quæstionib. Vnde vbiq; locorum receptum est, vt in hoc casu fiat repetitio torturæ. Circa doctrinam huius Conclusionis Iulius Clarus, & post eum Franciscus Pegna in 3. part. Director. comment. 39. admonent, vitandam iudicum quorundam crudelitatem, & immanem plusquam carnificum sæuitiam, qui tam diu reum detinent in tormentis, donec perseueret. Sed dubium esse potest. Quoties repeti possit tortura ob reuocatam confessionem, exempli gratia, vt casus melius intelligatur, reus fuit præcedentibus indicijs in caussa maleficij & veneficij tortus, & confessus crimen, deinde tempore statuto

ductus

ductus ad locum ordinatum, siue banchum iuris, ad ratificandum confessionem priorem, negat eandem atq; reuocat tanquam metu tormentorum factam: sic iterum reducitur ad locum tormentorum, tortus denuò confitetur, & ita iterum congruo tempore ad banchum iuris producitur: secũdò negat. Postea iterum torturæ subijcitur, denuò confitetur: Verùm tertiò ducitur ad banchum iuris, & iterum recantat, &c. Hic casus solet in facto occurrere, & quæritur quoties ob talem confessionem negatam possint tormenta repeti. Casus non est in iure decisus, vt fatetur Gomez. loc. cit. num. 27. Conueniunt DD. & meritò, quod in infinitum non est procedendum in repetitione talis torturæ, quoniam infinitas est euitanda, maximè in actu tam odioso & pœnali. arg. textus in L. qui bona fide. §. fin. ff. de damno infecto. & in L. fideicõmissa. §. Si quis decem. ff. de legat. 3. & cap. Licet dilectus, de testibus. Vnde aliquando deueniendum est ad absolutionem & relaxationem: cùm virtute talis cõfessionis, in qua non perseuerat, sed eam semper reuocat ad banchum iuris, non possit cõdemnari, vt communiter DD. tradunt in praxi receptum. Nunc ad dubium respondetur, quod in hoc casu ter ob talem negationem possit repeti tortura, & post tertiam talem negationem non repetitur tortura. Sic sentiunt Paris de Puteo in tract. Syndicatus, in verbo,

Tortu-

Tortura. cap. Viso de repetitione torti, quem refert & sequitur Marsil. in L. Repeti. ff. de quæstionibus. colu. 4. Carerius in pract. criminal. numer. 194. Boërius in decis. 163 incip. Dico præmittendo primò. num. 20. & dicit, quod ita seruatum fuit in Curia contra Heliotum de Chinal de Riberaco appellantem, qui trina vice ob variationem fuit sine nouis indicijs positus in tortura, in qua confitebatur, sed postea in crastinum negabat, dicendo, formidine tormentorum confessum fuisse. Anton. Gomez. loc. cit. Iul. Clar. lib. 5 §. fin. pract. Crim. q. 21. num. 36. & alij alibi, & hęc est communior sententia. In cuius confirmationem adducitur sententia Baldi notabilis in cap. Olim, ex literis, de rescriptis. & in cap. fin. de cõsuetud. n. 29. quod arbitri, quibus est data potestas prorogandi compromissum quoties velint, non possunt prorogare vltra tertiam vicem. Quod etiam amplectitur Ias. in L. fin. C. de sacrosanct. eccles. num. 17. & facit etiam illud Angel. in L. fin. C. de quæst. quod si testis examinatus & varius, & tortus dicit vnum, deinde repetitus dicit aliud, quod debet tertiò examinari, & stabitur illi tertiò dicto.

Verùm quibusdam alijs placet, quod tantùm bis hæc repetitio fieri debeat. Sic Damhauder. in rerum criminal, praxi, cap. 38. num. 12. qui in eum finem allegat Hyppol. de Marsil. in practi. §. Nunc videndum. num. 26. vbi tamen

tamen in eo saltem libro nihil ad propositum dicit. Imò loco cit. & in eadem practica, §. Quoniam. à num. 6. tenet cum alijs, vt eum etiam intelligit Gomez. loc. cit. Opinionem tamen hanc etiam amplectuntur Iacobus Simaneas in Cathol. instit. tit. 65. num. 82. & eo allegato Franciscus Pegna in 3. part. direct. comm. 39. Receptior ergò sententia est, quod tertia vice sit torquendus, & postea relaxandus, si in negatione iterum persistat modo prius dicto. Lepidum ad hoc propositum refert exemplũ Marsil. in d. L. Repeti, quod accidit ipso agente Officialẽ Ducis Mediolani. Habui, inquit, quendam ribaldum (id est, nebulonem) in manibus pro furto, qui in tortura confitebatur: postea ad banchum iuris omnia negabat, & ego semel dixi sibi, quare decreuisti velle totiens repeti in tormẽtis? nonne esset tibi melius affirmare illud quod confiteris in tortura, quàm velle totiens affligi in tormentis? Qui ribaldus respondit mihi & dixit: Domine, melius est mihi milies torqueri in brachijs quàm semel in gula (id est, gutture) Nam multi inueniuntur medici, qui sciunt aptare ossa brachiorum, & illa ad pristinum locum reducere: sed nullus inuenitur medicus qui sciat aptare gulam & eius ossa: ideo ego malo altiari (id est, eleuari) à milite vestro in tortura, quã pedibus meis ascẽdere scalam furcarum. Item dicebat, quare non possum ad banchum iuris,

vbi

vbi est periculum & importantia vitæ meæ, sic vertere mihi linguam ad dicendum, non, sicut ad dicendum sic, cùm tantus sit mihi labor, dicendo non, sicut dicendo sic, & tot literæ sunt in vno verbo, sicut in alio. Profectò erat ribaldus in excellentia : attamen fuit mihi necesse eum liberare : quia nunquam voluit ad banchum iuris ratificare illud, quod dicebat in tortura. Sic Marsilius.

Decimaquinta Conclusio. *Quod tam malefici, quàm rei in alijs criminibus, non confiteantur etiam in tortura veritatem, quando q̃ contingit ex incantationibus & maleficijs.*

Hanc Conclusionem communiter DD. amplectũtur Marsil. in d. L. Repeti. Paul. Grilland. in tract. de quæstio. & tort. in q. 4. à num. 12. Damhaud. in rerum criminal. praxi, cap. 37. à num. 21. Eymericus in 3. par. director. Inquisitorum, in cap. De tertio modo terminandi processum in caussa fidei per tormenta, & Commentator eius Francis. Pegna ibidem, comment. 39. in litera F. Malleus malef. in 3. par. q 15. Frater Hieronym. Menchi in compẽdio de arte exorcistica, & stupendis operationibus Dæmonum, lib. 2. cap. 18. & lib. 3. cap. 11. huius D. libri, qui tractant de omnibus operationibus Dæmonum & maleficorum, sunt

scripti

scripti in lingua vulgari Italica, & sunt impressi Bononiæ, Anno Dom. 1590. & nouissimè Nicolaus Remigius lib. 3. cap. 8. & 9. Dæmonolatriæ, & in hac re non potest esse dubium. Valde enim familiaris est hæc ars malefaciendi in crimine maleficorum, quod omni ex parte Dæmonis artificio instruitur: Atq; vt scelus scelere cumuletur, solet illis suggerere, vt infanticidia innocentum infantum, aut etiam sæpè non baptizatorum committant, & deinde in cineres igne resoluant illa tenera corpuscula, aut corda excindant, & huiusmodi rebus abutantur ad inducendum taciturnitatem in tormentis. Non desunt autem multi modi Dæmonibus inducendi huiusmodi taciturnitatem in tormentis. Ex quibus, quantum nobis nunc occurrit, placet aliquos ad huius materiæ clariorem intelligentiam subiungere. Primus modus potest esse per applicationem rerum naturalium, quæ vim habeant efficiendi insensibilitatem in doloribus & tormentis, aut saltem leniendi & minuendi dolorem. Est enim Dęmon, vt suprà etiam significatum est, peritissimus, acutissimusq; rerũ naturalium perscrutator, vnde exactè cognouit herbarum, lapidum, aliarumq; rerum, quę naturæ ordinem non transcendunt, vires & effectus. Scribit enim Albert. Magnus in lib. de secretis naturalium, vt eum allegant Paris de Puteo, in tract. Syndicatus, in c. 2. de tortura, &

Gril-

Grilland. in d. q. 4. nu. 13. quod lapis quidam Mesites dictus, eo quòd oriatur in ciuitate appellata Mesis in partibus orientalibus, in AEgypto, contritus, & aqua, aut vino mixtus, datusq; ad potandum illi, qui torquendus est, inducat insensibilitatem pœnæ & cruciatus. Hunc lapidem rectius cum Dioscoride lib. 5. pharmacorum simplicium, cap. 149. & alijs, Memphitem appellaueris, à Memphi ciuitate. Secundus modus est per leuationem corporis. Dæmon enim cùm inuisibilis & spiritualis sit, etiam inuisibiliter operatur, & sic potest sua virtute corpus malefici, aut strygis in altum eleuare, vt tortura nullum dolorem inferat. Et sicut corpus potest in altum tollere, sic etiam non est eidem Dæmoni difficile pondera eleuare, ita vt nequaquam corpus & eius membra extendant. Tertium modum taciturnitatem inducendi considerare possumus, per assistentiam dæmonis interius in faucibus & ore malefici, & eum impedientis ne possit loqui. Nouimus enim ex Euangelio, dæmonem posse hominem reddere mutum. *Matth. 9. & Luc. 11.* Hoc congruit illi confessioni Annæ Xalleæ, quæ Blainuil læ in Lotharingia Anno Domini 1587. 5. Calend. Mart. supplicio affecta est, referente Nicolao Remigio in d. cap. 8. Hæc Anna dixit, se inuis faucibus Dæmonem suum, cùm torqueretur, occlusum habuisse, quò faciliùs locuturæ vocem inhiberet, si fortè per doloris impatientiam

tiam ad fatendum vrgeretur. Sic qui torturæ assistebant, aduerterunt tortæ fauces in eum tumorem excedere, vt mentum ipsum sua elatione ferè adæquare viderentur. Haud multũ dissimile, vt Grillandus narrat, accidit eo iudice Romæ. Malefica quædam antequam in tortura eleuaretur, verba quædam submissa voce dicebat: deinde eleuata silebat penitus velut mortua, & nigrior apparebat in vultu carbone extincto, oculos extra caput valdè tremendos more illorum qui strangulantur, emittés, & nihil penitus loquebatur neq; boni, neque mali. Eandem silentij necessitatem sibi à Dæmone illatam confessa est Franciſca Fellæa, morte mulctata Pangæij, Anno Domini 1584. 5. id. Nouembr. Nicolao Remigio teste, quæ præterea ita occlusas ad vocem Iudicis aures se habuisse dixit, vt quàm primum is interrogaret, nihilo plus audiret, quàm si is nihil omninò loqueretur. Erat ergo huius fœminę malus spiritus non solùm mutus, sed etiam surdus, id est, sua præsentia mutum & surdum pro sua voluntate efficiebat. Quemadmodum Marc. 9. Spiritus à Christo eiectus erat surdus & mutus quantum ad effectum. Quarto modo inducit taciturnitatem malus spiritus per assistentiam exteriorem aut suggerendo ei, qui torquetur, ne loquatur, aut eum confortando, vt breuem quidem torturam fortiter perferat, spe vitæ longioris: aut etiam minando verbe-

verbera, si delictum confiteatur. Atq; hic modus vt puto, maximè locum habet in eis, qui duritia mentis, & fortitudine corporis valent, de quibus ab Vlpiano in L. 1. §. Quæstioni fidem. ff. de quæst. dicitur, quod pleriq; patientia siue duritia tormentorum ita tormenta cõtemnunt, vt ab eis veritas exprimi nullo modo possit. Sed existimo quod hic modus minus sit pernicioſus, imò & facilius vincatur torturæ applicatione, & eius lenta moderataq; continuatione: si tamen tormenta ita adhibeãtur, vt plus corpori molestiæ, quàm doloris & læsionis inferat. Notabile est ad hoc propositum tormenti genus, de quo Marsil. in d. L. 1. col. 12. testatur, se experientiam sumpsisse in duabus fœminis maleficis, dum esset Capitaneus vallis Lugani, quæ tormenta alia non timuerant & vicerant, sed adhibito hoc in spacio quadraginta horarum, omnia plenè delicta confessæ fuerunt. Est autem huiusmodi tormenti genus, quod non lædit corpus, & est maximæ potentiæ ad confessionem eruẽdam. Reus ponitur super scamno ad sedendum, & ibi adsunt duo qui eum custodiunt, vt non dormiat, nec de die nec de nocte: & cùm ipse reus inclinat caput in vnam partem, propter somnum, famulus qui est ab illa parte, dat cũ manu sibi in capite, & excitat eum, & eleuat caput: Idem facit alter famulus, quando caput inclinat versus suam partem, & quando illi

duo sunt defessi,& volunt dormire, alij duo noui subrogantur in locum illorum, & non permittunt vnquam dictum reum dormire& quiescere,donec omnia confiteatur,promissa sibi quiete,& in duab⁹ noctibus&vno die hoc modo defatigabitur,& confitebitur. Fatetur Marsil.sæpè se vsum hoc tormento contra obstinatos &nõ timentes torm̃ta,& ait:Verè nemo tã ferox inuenitur, qui huic torm̃to possit resistere. Quando aũt suspicio oritur maleficã penes se habere aliquid maleficij ad inducendam taciturnitatem,solent curare iudices, vt proprijs vestibus exuatur,ne aliquod maleficium insutum habeat.Eãdem ob caussam pilos vndique iubent abradi,vt DD.mallei maleficarum,Damhauderius, Ioannes Bodinus, & post eos alij iuniores obseruârunt.

Decimasexta Conclusio. *Reus sufficienter tortus,si nihil confessus fuerit,sed in negatiua perseuerauerit ,liber dimittendus & relaxandus est.*

HANC tenent Eymericus in 3. part.direct. in cap.de tertio modo terminandi processum in caussa fidei per tormenta. Francisc. Pegna ibid.in comment.39.Paulus Grilland. de quęstionib.& tort.q.7.num.11.Marsil.in.d. L.Repeti.Iacob.de Bellouiso in tract. crimin. in tit.de quæstionib. Marsil.& Alberic.in L. Edi-

Edictum.ff.de quæst. Anton.Gomez.in d.ca. 13.num.28. & alij alibi.Ratio est, quoniam per torturam indicia purgantur, vt communiter Doctores loquuntur,quasi sufficienter tortus ipsam veritatem dixisse videatur, iuxta illud Ciceron.in Topicis ad Trebatium,allegatum in d.L.Edictum:Verberibus torti,& igni fatigati,quæ dicunt,ea videtur veritas ipsa dicere, &c.& dicit Alberic.in d.L.Edictum, & post eum alij,quod communiter totus mundus ita tenet & seruat.

Verùm hoc loco incidit dubium apud DD. An talis qui per dura tormenta se purgauit,& nihil confessus est,absolutè sit dimittendus,& plenè absoluendus: An verò caussa indecisa sit relinquenda,& sic tortus sit relaxandus sub fideiussoribus.

Simpliciter absoluendum arbitrantur Eymericus,Francis.Pegna, Iacob.de Belloui-so,Bartol.in L. fin.num. 1. de quæst.Angel.in tractat. malefic.in verb.Fama publica,&c.prope finem.Cæpol.in cons.crimi.32.incip. Quidam rustici Vicentini. Anton. Gomez. loco cit.Hanc sententiam de iure etiam tenendam, videtur sentire Iulius Clarus lib.5.§.fin.pract. crim.q.62. num.2.& q.64.num.38. & ita etiam de iure plenè absoluendum censet Damhauder. in rerum criminal.praxi,cap.40.&alij alibi. Alij contendunt in tali casu reum relaxandum & absoluendum sub fideiussoribus, &

cauſſam indeciſam relinquendam. Pro hac ſententia ſunt Salycet. in L. Si qui adulterij. C. de adult. & in L. Ea quidem. C. de accuſat. col. penult. & in L. Quiſquis. C. ad L. Iul. Maieſt. & ibidem Angelus Peruſinus. Paris de Puteo in tractat. Syndicatus, in parte, Viſo de repetitione torturæ. Alberic. in L. Diuus Marcus. ff. de offic. præſid. Marſil. in L. Repeti. colum. 8. & in pract. crim. §. Quoniam. num. 49. qui dicit, quod communis practica totius Italiæ eſt, apud peritos ius dicentes, vt in tali caſu accipiat Iudex fideiuſſores à reo de ſe repræſentando ad mandatum Curiæ. Boërius in deciſ. 163. nu. 15. & 16. & dicit etiam Carauita ſuper ritu magnæ Curiæ, 248. num. 18. vt eum allegat Iulius Clarus in d. q. 62. num. 2. communiter obſeruari, quod hoc caſu inquiſitus præſtet fideiuſſores de ſtando iuri, & ſe præſentando toties, quoties fuerit requiſitus. Iulius Clarus atteſtatur in hoc caſu in Ducatu Mediolanenſi reum non abſolui definitiuè, ſed ſtantibus rebus prout ſtant, & tunc ſi deinde ſuperueniãt noua indicia, de nouo contra eum proceditur non obſtante tali ſententia, & alibi etiam talis obſeruantia viget. Damhaud. dicit apud eos receptum eſſe in practica, vt ſi noua indicia intra aliquod tempus pro Iudicis prudẽtia, quo in carcere poſt purgationem indiciorum per torturam reus conſeruatur, non ſuperuenerint, reus ex omnibus vinculis liberetur, priſtinæq;

finæq; libertati, qua ante capturã fruebatur, restituatur. Quousq;: hoc est, donec denuò in iudicium accersetur: sine ampliori & plenaria absolutione. Vt varietas sententiarum melius perspiciatur, & quantum fieri potest, concilietur, quid rectius & tutius sentiendum ex omnibus, quantum consequor, distinctè resoluã, præmissis aliquibus, quorum primum sit: In Iudicis arbitrio & prudentia consistere, quando indicia per torturam sufficienter censeantur purgata. Ioan. Andr. in cap. Cùm in contemplatione, de regul. iuris. Augustin. de Arimino in addit. ad Angel. in tract. malefic. in verb Comparent dicti inquisiti. Marsil. in L. quæstionis modum. ff. de quæstionib. & post hos Menoch. lib. 2. de arbitrar. Iudic. qq. casu 273. Secundum, cùm casus præsens clarè à iure non sit decisus, vt Gomez. rectè fatetur in d. num. 28. à principio, atq; notabilis, & in praxi quotidianus etiam sit, optimum est obseruare, quæ sit praxis summarum curiarum, quibus solent præesse viri eruditione & prudentia conspicui: Hi enim iudicium ferunt secundum æquitatem & rectam rationem, & certè talis practica in loco pro lege habenda, vbi recepta est. Tertium: Circa talem tortum considerandum, quod fideiussio potest concernere, seu pro obiecto habere: aut pœnam aliquã pecuniariam: aut expensas iustè caussatas ratione ipsius rei: aut corporalem aliquam cri-

minis pœnam. Nunc pro resolutione dico in primis iuri conformiorem esse primam opinionem, quod purgatis indicijs, reus simpliciter & definitiuè absoluendus sit. Hanc tenent vt plurimùm DD. primæ sententiæ, & probatur primò per regulam illam, Actore, vel Accusatore non probante, reus debet absolui. L. Actor quod esse. C. de probat. L. Qui accusare. C. de edendo. & hæc regula intelligenda de plena absolutione. Deinde per text. in L. fin. ff. de calumniatorib. seruus tortus precedentibus indicijs, & non confessus plenè absoluitur. Bald. ibid. notat expressè, & alij, & in cap. Quotiens. & cap. fin. de purgat. canon. qui stantibus indicijs cùm purgatus fuerit, definitiuè statim absoluendus. Rationem huiusmodi fundamentalem adfert Gomezius. Si talis causa remaneret indecisa, reus accusatus, vel inquisitus remaneret in maximo damno & periculo, cum esset aperta via inimicis & sibi odiosis, vt possint quotidie super illo delicto inquietare & molestare, quod non est permittendum, imo malitijs hominum obuiandum. L. 1. §. Cum quis latrones, ff. de quæstionib. & in L. 2. ff. solut. matrim. Alia adfert Gomez. & soluit fundamenta alterius partis. Dico secundo, quando indicia per torturam pro iudicis, aut iudicum prudentia & matura censura sufficienter non essent purgata, licet pro tempore veritas

non

non possit haberi, tunc Iudex possit reum relaxare, & absolùere stantibus rebus, prout nũc, cum fideiussione de se repræsentando ad requisitionem & mandatum Iudicis, toties, quoties requisitus fuerit, & in tali casu, meritò Iudicis sententia potest suspendi, & reus cum fideiussione relaxari, si fortè breui alia indicia superuenirent: & sic practica alterius sententię optimè locum habet. Tertiò, quando indicia multum sunt vrgentia, & quasi indubitata, tunc etiam post grauem torturam, & perseuerantiam in negatione potest reus condemnari ad pœnam aliquam extraordinariam, vt post Bossium in tit. de inquisitione, num. 30. Iulius Clar. in d. q. 64. num. 38. & alij docent. Et dicit Clarus apud eos obseruari, vt in tali casu, si indicia sint valdè vrgẽtia senatus reos condemnet ad pœnam extraordinariam, puta triremium ad tempus, & aliquando etiam in perpetuũ, præsertim quando reus est valdè famosus. Quartò, quando agitur criminaliter, reus pro criminis pœna corporali non dimittitur cum fideiussione. per tex. in l. 3. ff. de cust. & exhib. reor. vbi dicitur: Nisi tam graue scelus ipsum commisisse constet, vt nec fideiussoribus, nec militibus committi debet, &c. DD. communiter ibidem. Gloss. in cap. Cùm homo. 23. q. 5. Bald. in L. Neq;. C. Ne fil. pro patr. & in L. Nullus. C. de exhib. reis. Angel. ab Aretio in tractat. malefi. in verb. Pro quibus Antonius

fideiussit. Salycet. in L. Ad commentariensem. ff. de custod. reor. Petrus Ancharan. & Ioann. Imolen. in Rubr. de fideiuss. Marsil. in pract. §. Examinanda. num. 12. & in §. Attingam. nu. 2. Anton. Gomez. tom. 3. variar. resolut. cap. 9. num. 8. Couarru. lib. 2. variar. resolut. cap. 8. n. 8. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. practi. crimin. q. 46. nu. 7. & hæc est communis opinio. Ratio à DD. redditur, quia nemo est dominus membrorum suorum, nec vitæ propriæ. cap. Contingit. de sent. excomm. & L. Liber homo. ff. ad L. Aquil. Hinc nemo potest se obligare, aut fideiubere ad pœnam corporalem, exempli gratia, ad subeundam pœnam mortis, aut mutilationis, &c. pro suo principali; Nec talis obligatio, aut fideiussio valeret, aut aliquam vim haberet, iuxta Gloss. in d. cap. Cùm homo, in verb. supplicium. quæ Glossa ab omnibus recepta est, vt ait Couarru. loco cit. & videre est ex Felino cap. 2. de constit. & Marsil. in Rub. de fideiuss. q. 29. & Iulio Claro in d. q. 46. num. 18. Quintò, si reus absoluitur cum fideiussione, intelligitur, quod teneatur consignare, aut sistere reum ad iudicis requisitionem sub pœna pecuniaria certa, si sub certa conuentum sit: si autem certa non sit promissa tunc pœna pecuniaria iudicis arbitrio decernitur, nisi statutum aut consuetudo pœnam certam habeat. per text. in L. 4. ff. de custod. reor. Bart. & DD. ibidem. Salyc. & alij in L. penult. C. de custod. reor.

reor. Gloss. Archid. & alij in d. cap. Cùm homo. Abbas & Anchar. in Rub. de fideiuss. Felin. in cap. fin. de accusat. & post alios plures Gomez. loco cit. Vnde sæpè contingere solet, quod reus absoluatur sub fideiussione de soluendo certam summam, e.g. 200. aureos, quã summam fideiussor soluere tenetur, nisi reum & suum principalem consignet. Eadem ratione potest fideiussio tendere ad solutionem expensarum, & interesse, quando iustæ expensæ fiunt in causa rei.

Decimaseptima Conclusio. *Tortus ad eruendam veritatem, si in negatione persistit, & indicia præcedentia tortura sufficienter purgauit, & absolutus est, non infamatur per torturam.*

Bartol. in L. Nullam. C. Ex quibus causis infamia irrogetur. Addit. ibid. Bald. Salycet. Iacob. Butr. & Paul. Castrens. in ead. L. per text. ibid. Francis. Brunus de indicijs & tort. q. 8. secundæ partis, num. 3. Berthachinus in Repertorio, in verb. Tortura, num. 70. Vnde ait Iacob. de Bellouiso in tract. crimina. de quæst. fol. 88. col. 3. vers. Et sic ex prædictis colligo, &c. quod beatus homo, qui se omninò tenere potuit in tormentis, quoniam absoluetur, & melior quàm ante accusationem reputabitur, cùm prosperè & feliciter se purgauerit à

rit à sibi impositis, arg. Authent. Quomodo oporteat Episcop. & cleric. §. Si nemo accusauerit. Quod dictum allegat, nec improbat Boërius in decisione 163. num. 14. Hinc si quis alicui obijceret aliquod crimen etiam magiæ, super quo se tortura purgauit, & absolutus extitit, posset talis contra obijcientem & exprobrantem agere iniuriarum.

Decimaoctaua Conclusio. *Tortura etiam inferri potest die feriato & festo, etiam paschalibus diebus in maioribus & atrocioribus criminibus, in honorem Dei.*

HANC Conclusionem probant L. Nemo. C. de Episcop. audientia. & L. Prouinciarum. C. de ferijs, & eam tradunt Bald. in d. L. Nemo. Francis. Brunus de indicijs & tort. q. 5. 2. par. num. 52. Marsil. in pract. crimin. in §. Expedita, nu. 83. Iul. Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 64. num. 34. & hoc obseruatur in multis Italiæ locis, & laudat Clarus fieri in delictis capitalibus in honorem Dei. Reprehendunt autem idem auctor & Brunus in minoribus delictis id obseruari. Ratio hæc Conclusionis à Bruno redditur. Tortura est quædam examinatio extraiudicialis, vnde si præcessit iudicialis cognitio indiciorum, potest fieri postea examinatio quolibet tempore: exemplo testis qui iudicialiter iurauit, potest examinari quo-

quolibet tempore, etiam feriato, in honorem Dei, vt tenẽt Specul. in tit. de fer. §. 2. vers. Quid si tunc testis. Barto. in L. Damni. §. Sabini. ff. de damn. infect. & Bald. in L. Si quando. C. de testib. & Gloss. in Clem. 1. Maiora & atrociora crimina, in quibus diebus feriatis in honorẽ Dei potest inferri tortura, sunt: raptus virginum, adulterium, incestus, homicidium, parricidium, veneficium, maleficium, & similia, quorum mentio fit in d. L. Nullam. vbi Bald. dicit specialiter locum habere in delictis, quæ clam committuntur, sicut est, aliquem incantare, vel incantationem facere, adulterium committere, &c.

Et hanc Conclusionem maximè puto habere locum in sceleratissimo crimine maleficorum, in quo communiter plurima enormissima peccata concurrunt, quod etiam ferè semper clam committitur, summeq; Deus eodem offenditur, & periculum semper est in mora. Hoc certum est, & experientia compertissimum, periculosissimum esse maleficos diu in carcere tenere, expeditionem protrahere, & moram procedendi nimiam seruare: Cùm Dæmon tum in carcere varijs tentationibus hoc hominum genus adoriatur, vel vt veritatem taceant, vel vt confessam reuocent, vel vt sibijpsis vitam eripiant, atque in desperationem perducat, &c. Quãdoquidem in hoc maleficij crimine diaboli

boli potestas coniungitur hominis operationi, & quoddam fœdus accessit, semper insistit vexationibus & molestijs, vt hominem, quem tam immani scelere perstrinxit, in perpetua captiuitate retineat. Ea de caussa, cum nec muris, nec clausstris impediatur, quo minus suos clientulos accedere, instigare, & magis decipere valeat, etiam in vinculis, tormentis, & manibus iudicum præstò est, & suam opem quãtum fieri potest, salua Diuina permissione semper, promittit & præstat, vt plurimorum Iudicum processibus notissimum est. Quandoquidem ergo periculosissimum & pernicioſissimum est: tum respectu animarum quæ periclitantur: tum intuitu salutis multorum, quibus periculũ imminet, ab hoc scelesto hominum genere: tum quod maximũ, & omnib⁹ præponendũ ratione diuinæ maiestatis, quæ grauissimè lædi̇tur, & quãdoq; maximè offenditur, quod non maior zelus est expediendi iustitiam, iudices meritò ad hoc propositum commendatum habere debent illud Imperatorum in d. L. Prouinciarum. C. de Ferijs. Prouinciarum præsides, ait Lex, moneantur, vt in quæstionibus latronum, & maximè Hysaurorum (latrones enim de Hysauria perndiores erant alijs iuxta Gloss. ibidem) nullum quadrageſimarum, vel venerabilem Pascharum diem existiment excipiendum, ne differatur proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta

menta quærenda est: Cùm facilimè in hoc summi numinis speratur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. Sic Lex. Per hæc tamen non intendo laudare & promouere quorundam Iudicum præcipitatum potius furorem, quàm moderatum, & prudentiæ sale conditum zelum, qui in hoc crimine, vt intelligo, nimis præcipitanter procedunt, & vix vllam dantes dilationem reis, vt maturè considerare valeant necessaria ad statum suæ conditionis & salutis, sed manè reos apprehendunt, carceri statim tradunt, mox sine mora ad quæstionem rapiunt, & confessos aut eodem die, aut quàm primum sequenti ad sententiam audiendam, & executionem quæ statim subiungitur, faciendam rapiunt. Hic enim furor, non zelus iudicandus est. Res humanæ, vbi agitur de salute mentis & corporis, & vertitur periculum animarum, agendæ cum maturitate iudicij, & grauitate coniuncta moderatione. Grauissimè enim iudices peccant, quando modum excedunt in tortura, & tenentur ad restitutionem omnium damnorum in foro conscientiæ, si quæ sequantur ex eorum culpa. Et in foro exteriori pro ratione culpæ, damni, & excessus, sunt pœna afficiendi. Quomodo autem sint tales puniendi, docent Gomez. in d. cap. 13. num. 6. Iulius Clarus in d. q. 64. num. 37. & Menoch. post alios lib. 2. de arbitrar. Iud. qq. casu 340.

QVAE-

QVAESTIO II.

An in dignitate, aut honore constitutus possit puniri pœna mortis, absq; ex auctoratione siue degradatione?

VIDETVR quod non, ex hac L. in verb. præsidio dignitatis exutus & cruciatus & tormenta non effugiat. Ad idem facit Glossa singularis in L. Omnes, in verb. amissionem C. de Episc. & cleric. Nemo in dignitate mori debet. Angelus hic; quem citat & sequitur Ioan. de Anania in cap. 1. de Sortileg. Et dicit quod non licet Doctorem ad torturam ponere, antequam insignijs Doctoralib. exuatur. Ad idem accedunt Bartolus in L. Quod ait Prætor §. Ignominiæ. ff. de his, qui notantur infamia. Petrus Lenauderius in tract. de Doctoribus 4. part. q. 26. Iul. Clar. lib. 5. Sentent. §. fin. pract. crimin. q. 73. num. 2. & q. 74. num. 5. & alij alibi. in d. L. Quod ait. §. Sed & si. L. vocat exauctorare, id est, insignia militaria detrahere. Et quia Lex dicit de milite non simplici, sed fulgente dignitate siue honore militari, argumentum etiam, trahitur ad Doctores. In exauctoratione doctor priuatur cingulo doctorali, & miles exuitur cingulo militiæ. Locum exauctorationis in secularibus constitutis in dignitate subit degradatio in clericis. Sed vt ad propositum redeamus, solemnitas exauctorandi in desue-

desuetudinem abijt, vt benè attestatur illustris Iurisconsultus Andræas Gaill lib. 1. de pace publica cap. 1. num. 30. Quod præsertim in atrocioribus delictis & enormissimis locum habet, in quibus licitum est iure transgredi. Bald. in Authen. Sed nouo iure. C. de seruis fugit. Marsil. in L. Vnius. §. Cognituram. ff. de quæst. & in singulari 601. Barbatius in c. 1. de constitut. à. num. 155. & alij alibi. Confirmatur hoc Latius: in atrocissimis criminibus clericus etiam quandoq; sine degradatione reali punitur extremo supplicio, vt in clerico assassino est text. in c. 1. de homicidio in 6. Dominicus Geminian. ibidem. Ioan. Andr. in ca. Cùm non ab homine, de iudicijs. Petrus Ancharan. in consil. 158. num. 5. incip. ex narratis in facto. Marsil. in d. §. Cognituram, & in Practic. crimin. §. Diligenter. numero 160. & alibi. Barbat. in cap. At si clerici. de iudic. Menoch. lib. 2 de arbitr. Iudic. quæstionibus casu 415. num. 28. Andræas Gaill, loco citato. Et hanc sententiam ex alijs esse communem ostendunt, Iul. Clar. in d. §. q. 36. num. 30. & 33. Couarr. lib. 2. variar. resolut. cap. 20. num. 11. & practic. quæst. cap. 32. Alios ad idem allegat. Felicianus Episco. Scalens. in Enchridio de censuris, in tractat. de deposit. & degradat.

cap. 14.

QVAESTIO III.

An, quando quis probatur maleficus, vel magis duobus vel tribus testibus idoneis, etiamsi neget delictum, & in negatione persistat, possit condemnari?

QVIDAM DD. voluerunt ad condemnationem requiri vtrunque, & reum conuictum, & illud confessum esse. Sed hac sententia tanquam falsa reiecta, dicendum conuictum testibus idoneis de crimine, etiamsi in negatione persistat, condemnatum fore etiam in hoc crimine, vel in alijs. Pro hac doctrina sunt Alexand. in addit. ad Bartol. in L. Vnius. §. reus. ff. de quæst. Alberic. in L. Obseruare. C. Quorum appell. non recip. Marsil. in sing. 108. Bald. num. 4. & Felin. nu. 1. in cap. Ad nostram de probat. Andr. ab Isernia in cap. vnic. §. publici latrones, de pace tenenda, & post alios plures Didacus Couarruu. practic. quæstion. cap. 23. num. 5. concluſ. 1. non longe à fine, & in hac materia recentiores Ioannes Bodin. de magor. dæmonomania lib. 4. cap. 2. Godelmannus de magis & veneficis. lib. 3. cap. 8. num. 16. Theodericus Graminæus in inductione siue directione iudicis in causa criminali maleficorum & sagarum, pag. 149. & alij alibi. & probatur hæc sententia ex 2. q. 1. cap. Nos in quenquam sententiam ferre non possumus, nisi aut in con-

in conuictum, aut confessum, & L. Qui sententiam. C. de pœnis. & d. L. Obseruare. Constitutio etiam Carolina in art. 22. in hanc tendit sententiam, dum ad condemnationis effectum requirit propriam confessionem, vel criminis probationem disiunctiuè. Hinc in tali casu iudex exactè debet expendere probationes, & earum vim, quæ si plenè & legitimè probent, poterit reus condemnari etiamsi in tormentis, aut extra ea crimen negauerit, de quo conuictus & accusatus est, quod maximè veritatē habere videtur in criminibus homicidij, veneficorum, maleficorum siue incantatorum & magorum, & aliorum, de quibus fit mentio in d. L. Obseruare. Ex his concluditur quod etiā Bodin. & Godelman. tradunt, si duo vel tres testes idonei deposuerint veneficij suspectum ipsis videntibus sub limen stabuli posuisse ollam sortilegiorum, quæ inuenta, & pecudes mortuæ sint, etiamsi talis neget crimen maleficij poterit condemnari, ad pœnam ordinariam virtute legitimæ probationis & de similibus simile est iudicium. Quod & confirmatur per text. in præsenti L. dum ait. Si vero conuictus & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit denegando, sit eculeo deditus: vnguliscq; sulcantibus latera perferat pœnas dignas facinore proprio: Quorum verborum sensus manifestus est ad huius quæstionis dissolutionem, licet quidam verbis non bene

perpensis eum inuertant vt innuit Alberic.in hac L.Etsi excepta.

LEX VIII.

Culpa similis est, tam prohibita discere quàm docere.

QVANTVM ad libros magicos attinet,omnes eiusmodi libri sunt comburendi,& à nullo Christiano conseruandi. Actor. 19. Ephesi multi ex eis, qui fuerant curiosa secati,contulerunt libros,& combusserunt eos coram omnibus, & computatis pretijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium.Ita fortiter crescebat verbũ Dei, & confirmabatur.Et Index librorum prohibitorum editus auctoritate Concilij Trident.in Regula nona his verbis:Libri omnes,& scripta Geomantiæ,Hydromantiæ,Aëromantiæ,Pyromantiæ,Onomantiæ, Chiromantiæ,Nicromantiæ,siue in quibus continentur sortilegia, veneficia,auguria, auspicia, incantationes artis magicæ prorsus reijciuntur. Consonant leges ciuiles in hac L.& in L. Mathemat. C.de Episcopali audient:mandatur, Mathematicorum & improbatæ lectionis codices esse concremandos in conspectu Episcopi:& in L.Cæteræ. ff.familiæ Herciscendæ, statuitur magicos libros esse corrumpendos. His adiungitur illa lex

lex apud Iulium Paulum lib. 5. Receptarum Sentent. tit. 25. ad L. Cornel. de Sicar. & venefic. Libros, ait, magicæ artis apud se neminem habere licet: At penes quoscunque reperti sint, bonis adēptis, ambustisq; his publicè, in Insulam deportantur: Humiliores capite puniuntur. Non tantum huius artis professio, sed etiã scientia prohibita est. Sic Nicephorus lib 20. histor. narrat, quendam iuuenem Lollianum missum in exilium, & bona eius publicata, eò quod librum magicum descripsisset. Titus Liuius li. 5. Decade 3. docet, quomodo de vtilitate Reipub. sit quod mali libri corrumpantur & comburantur. Dum enim diutiùs bellum Punicum, inquit, secundum traheretur, & passim à ritu sacrificandi more patrio discederetur, & sacrificuli & vates cœpissent hominum mentes, re ad patres, & ad publicam quærimoniam delata, incusati sunt primum grauiter à senatu ædiles, triumuiriq; capitales, quod non prohiberent: datumq; negotium M. Aemelio vrbis prætori, qui senatusconsultum renunciauit, & edixit, vt quicunq; libros vaticinios, precationesque haberet, aut artem sacrificandi conscriptam, ad se deferret, quæ ipse combusit.

Et tempore Valentis Imperatoris circa annum Christi 370 magna & acris fuit facta inquisitio codicum artium vetitarum: & ad eũ finem rectius consequendum, cuiusq; fermè

domus penetralia accuratè perlustrata fuerunt,& innumeri codices,imo multi voluminum acerui congesti, atque in conspectu iudicum concremati, vt post Ammianum libro 29 prodit Baronius tomo 4. annalium sub anno Christi 370 pag. 226. in impressione Antuerpien.de Anno 1594. Ea de caussa innocenter etiam D. Chrysostomus in discrimen, à quo tamen diuino præsidio liberatus extitit, deuenerat, vt ipse testis est in hom.39 in acta Apost.vbi sic loquitur: Mota est olim,me adhuc adolescentulo, magna tyrannorum hostilitas: militibus etiam foris extra ciuitatem ad insidias positis, forte fortuito libellos quærebant incantatorios & magicos. Et qui scripserat librum, nondum perfectum in flumen abiecerat,& captus,cum postularetur ab eo, reddere non poterat,sed ducebatur per totam ciuitatem vinctus:& cum ita accusaretur, dedit pœnam. Tunc ego ad martyris ædem proficisci volens, transibam per hortos iuxta flumen cum alio quodam. Ille autem viso libro qui in superficie fluebat: primum quidem putabat linteum esse: proprior autem factus, agnouit esse librum, & descendens recepit. Ego aut cõtendebam, vt de communi inuento, & ridebã. Sed videamus, inquit, quid nam hoc sit. Reuoluit partem paginæ, & inuenit scripta magica. Accidit aut eodem tempore, militem transire: qui hoc animaduertens abijt, & timere nos fecit.

cit. Quis enim credidisset, quod è flumine sumptum sustulisemus, cum omnes tũc etiam qui non suspecti essent, detinerentur? & abijcere non audebamus, ne videremur: idem erat periculum si sanderemus. Concesit igitur Deus & abiecimus, & postea à periculis liberati sumus. Hinc clrum redditur quam illis temporibus fuerit periculosum & infame habere libros magiæ Quod tamen hoc tempore impunè dissimuatur maximèq; apud corruptã iuuentutem in abusu est.

Ex dicta L. comprobatur non solum magorum, sed etiam hæreticorum libros esse comburendos, & non conseruandos. Leo Papa primus in Epistola quadam ad Toribium Astorigensem Episcopum, cap. 15. sic ait. Curandum est & sacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falsati codices & à syncera veritate discordes, innullo vsu lectionis habeantur. Apocriphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum, multorum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam pentus auferendæ sunt, atq; ignibus concremndæ. Quamuis enim sunt in illis quædam, quæ videantur habere speciem pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, sed per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscunq; eroris inuoluant. Huius Epist. meminit Alphons. Castr. li. 2. de iusta hæret. punit.

Libri hæreticorũ comburendi.

punit. c. 5. qui hanc materiam omnibus latiùs discutit. Super hoc articulo digna lectione est Epist. Victoris Constantini ad Episc. & populum ex Socrate, de Ario & eius scriptis. lib. 2 cap. 15. histor. tripartitæ, in hæc verba. Malignos & impios Arius imitatus, dignum est vt illorum quoque suscipiat vltionem. Sicut ergo Porphyrius diuinæ pietatis inimicus, iniqua volumina contra religionem proferens, dignam promeruit inuenire mercedem, & talem, per quam in posterum esset opprobrium, & plurima compleretur infamia, & nunc placuit Arium & consectatores eius vocari Porphyrianos, vt quorum mores imitati sunt, eorum vocabulo perfruantur. Super hæc autem si qua conscriptio ab Ario facta reperitur igni tradatur, vt non solùm praua eius doctrina depereat, sed neq; vlla eius possint remanere commenta. Hoc etiam præcipio, si qui cõscriptiones Arij cælasse comperitur, & non repente proferens igne consumpserit, mortis supplicio subiacebit. Mox enim vt in hoc fierit captus, capitalem suscipiet vltionem. Deus vos custodiat. Hæc est Constantini Epistola. His accedunt aliæ Christianorum Impertorum leges in C. de hæret. L. Omnes vetitæ legibus diuinis & imperialibus constitutionibus hæreses perpetuo quiescant, & nemo vlterius conetur, quæ reperit prophana præcepta, el docere, vel discere, nec antistites eorunden audeant fidē

insi-

insinuare, quam non habeant, &c. Et L. Damnato. §. Nec non impios, ait Lex libros nefandi & sacrilegi Nestorij aduersus venerabilem Orthodoxorum sectam, decretaq; sanctissimi cœtus Antistitum Ephesi habiti scriptos habere, vel legere, aut describere quisquam audeat: quos diligenti studio requiri, ac publicè comburi decernimus, &c. Et in fin. L. Scientibus vniuersis violatorem huius legis publicatione bonorum esse coércendum. Vbi optimè notat Salyc. quod non est licitum libros improbatæ fidei legere, aut describere, sed debent comburi in præsentia Episcopi, iuxta d. L. Mathem. & in L. Quicunq;. §. Nulli etiam contra venerabilem Calcedonensem Synodum liceat, vel aliquid dictare, vel scribere, vel ædere, atque emittere: aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre. Nemo huiusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta seruare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. & in §. Omnes verò huiusmodi chartæ ac libri, qui funestam Euthicetis, hoc est, & Apollinarij complexi fuerint dogmata, incendio concrementur, vt facinorosæ peruersitatis vestigia flammis combusta pereant: æquum namque est, vt immanissima sacrilegia par pœnæ magnitudo percellat, scientibus moderatoribus etiam prouinciarum, earumq; apparitoribus, defensoribus etiam ciui-

tatum, quod si ea, quæ legis huius religiosissima sanctione custodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari: denarum librarum auri mulctam fisco nostro inferre cogantur: Insuper etiam æstimationis suæ periculum sustinebunt. Ad idem facit illud, quod Iurisperiti tradunt, quod quis præsumatur hæreticus, & de hæresi possit condemnari eo ipso, quod libri hæresis penes aliquem reperiuntur. Ludouicus Romanus in singulari 323. incip. Eo ipso, quod libri hæresis, &c. Alberic. in L. Quicunq;. C. de hæret. Hippol. Marsil. in pract. crim. §. diligenter. num. 92 Idem in cons. 52. incip. Misericordia domini, num. 34. Archid. & Ioan. Andr. in cap. Filij, de hæret. lib. 6. Carrer. in tract. de hæret. num 135. & alij alibi. Et lex Pontificia in bulla cœnę Domini, excommunicatione prima etiam prohibet legere, & retinere libros hæreticorum publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore, sine auctoritate & licentia sedis Apostolicæ, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cuius absolutio reseruata est summo pontifici. De qua re Martin. Nauar. tractat lib. 5. consiliorum in tit. de Hæreticis consil. 3. num. 1. & cons. 8. Si quis autem ignoranter incideret in librum hæreticum, existimans bona fide Catholicum & legeret, non incideret: Quia bulla excommunicat scienter legentes & retinentes. Nec etiam Episcopi & ordinarij

possunt

possunt suis subditis dare licentiam legendi aut retinendi libros hæreticos, nisi ex speciali delegatione pontificis, vt idem Nauarrus docet lib. 1. Consil. de Constitut. consil. 1. numero 75. Quia inferior non potest legem superioris tollere, c. Cum inferior. de maior. & Clem. Ne Romani. de elect. Neq; absolueré à reseruatis Papæ. cap. Ad eminentiam, de sent. excommu. & id etiam litera d. Bullæ Cœnæ ostendit, cum dicit. (Sine auctoritate nostra, & sedis Apostolicæ.) Omni enim tempore, quando Religio viguit, vt ex dictis constat, curæ fuit non solùm Episcopis, sed etiam Imperatoribus, vt libri à Catholica fide alieni comburerentur, & non impunè retinerentur, nec venderentur. Cuius nunc (proh dolor) in multis locis contrarium videmus, cum maxima Christianæ relegionis pernicie, & animarum interitu. Si enim Apostolus Paulus, Prophana & vaniloquia hæreticorum deuitanda pronunciat, eo quod multum proficiant ad impietatem, & eorum sermo, vt cancer serpat: multo magis profecto librorum lectio cauenda, scriptura enim manet, & vox perit, & ea quæ permanent fortius imprimunt in animum, magisq; mouēt. Hinc vt ex illo Acto. 19. citato constat, sicut testimonium & significatio apertissima veræ fidei & conuersionis est, libros curiosos, & à fide Catholica alienos incendio tradere, vt patet ex illis verbis subiectis

iectis. Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur: Sic infirmæ fidei & fictæ charitatis argumentum eſt, legere, retinere, & non velle Vulcano conſecrare huiuſmodi libros. Quare rectiſſimè ſecundum Iuriſperitorum ſententiam, contra tales eſt vehementiſſima præſumptio hæreſis.

Contra dicta, obiciunt quidam Catholici etiam ſcioli, hæreticorum lectionem eſſe licitam & admittendam, ex illo S. Pauli 1. ad Theſſalonicenſes 5. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Ergo poteſt aliquis hæreticorum libros legere, cúm etiam aliqua bona in eis contineantur, & ad effectum bonum, maximè vt eorum errores melius cognoſcat, ac rectius eis reſpondere queat. Reſpõdetur; hoc argumentum probat, quod ſi nullum præceptum Eccleſiæ eſſet, licitum fore legere huiuſmodi libros eis, qui dignoſcere & ſecernere bonum à malo poſſunt, ita vt eis nullum immineat periculum ſubuerſionis, quod qui amat, peribit in illo. Ad huius rei illuſtrationem pulchrum adfert exemplũ Euſebius lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 6. de Dionyſio Alexãdrino, cuius verba adfert ex eiuſdem li. 3. de Baptiſmate ad Philomenem Preſbyterum vrbis Romæ. Sic enim ſcribit Dionyſius. Ego & tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perſcrutor, etiamſi videar ad horam verbis illorum pollui. Sed multum mihi confert hoc ipſum, quod ex ipſorum verbis

verbis arguere eos possum. Denique cùm aliquis ex fratribus & compresbyteris prohiberet me, ne hęretica lectione tanquam cœni alicuius fœtore polluerer, visio mihi quædam à Deo ostenditur, quæ me confirmaret, & sermo ad me factus est, hæc mihi euidenter proloquens. Lege omnia quęcunq; in manus tuas venerint: quia probare singula quæcunque & discernere potes. Quandoq; ex initio hæc tibi causa fuit credẽdi. Amplexus sum visionem: quia & Apostolicę sententiæ concordabat, dicenti: Omnia probate, quod bonum est tenete. Hæc Euseb. Ex qua historia patet, eo tempore etiam habitam esse tanquam rem periculosissimam, lectionem hæreticorum, nec debere sibi vnumquemq; tribuere, quod possit discernere, sed tale iudicium à superiori potestate conferendum, præsertim cùm Scriptura nos in contrarium moneat in Euangelio. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: & iterum: Cauete vobis à fermento Pharisæorum: & iterum Ioannes. 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere. Qui ergo simplices & ignari sunt, deberent abstinere, etiamsi nulla prohibitio esset, propter imminens & euidens periculum. Nec mouet, quod etiam aliquid boni in eorum scriptis inueniatur. Quia, vt S. Gregorius lib. 5. moralium cap. 11. ait. Habent quippe hoc hæretici proprium, vt malis bona permisceant, quatenus facilè sen-

sui au-

sui audientes illudant : Si enim semper prâua dicerent, citiùs in sua prauitate cogniti, quod vellent minimè persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent: sed dum fallenti arte ad vtraque deseruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala abscondunt. Sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit, dumq; hoc quod dulce est, primo attractu delibatur, etiam illud quod est mortiferum, indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta peruersis vt ostendendo bona, auditores ad se trahant, & exhibendo mala latenti eos peste corrumpant. Et si quid boni in libris hæreticorum inueniatur, id etiam ex Catholicis haberi potest. Nihil enim dicitur, quod non prius dictum sit. Nec etiam Deus aliquid singulare boni per peruersos diffundit, quod non multo vberius per organa Spiritus sancti communicet, iuxta illud Ioannis : Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Cum ergo lectio hæreticorum librorum & alienorum à fide Catholica semper sit damnata, vt res perniciosa, nemini dubium esse potest, quod summus in Ecclesia monarcha eam non potuerit sub culpa & pœna prohibere. Atque hoc præceptum operatur, vt quod antea ex suo genere erat periculosum,

& li-

& licitum eis, qui sine periculo poterant legere & approbare, postea omnibus vi præcepti fiat illicitum, nisi licentia sedis Apostolicæ accedat, cuius etiam est ante licentiam cognoscere & iudicare, an sine periculo & cum fructu licentiam petens legere possit. Nemo enim iudex in propria caussa esse potest. Si quis autem legerit, aut habuerit sine licentia libros Catholicorum, quibus annotationes, elucidationes, aut commentaria hæretici inseruerunt, non incidit quidem in pœnas Bullæ cœnæ Domini, sed in censuram latam à Pio Quarto Anno Domini 1564. 14. Martij super approbatione Indicis librorum prohibitorũ, quæ bulla indici præfigitur: & talis etiam reatum peccati mortalis incurrit, iuxta ea, quæ bene dicit Nauarrus in manuali confessariorum, cap. 27. num. 56. & Ipsa bulla decernit. Si quis autem in dubium trahere velit, an Pontifex rectè prohibere possit lectionem & conseruationem librorum hæreticorum sub pœnis & censuris, is etiam vertat in controuersiam, an Catholici & pij Imperarores in legibus ciuilibus, sub pœnis capitalibus & temporalibus prohibere potuerint, & reuocet in litem, an potestati iusta præcipienti, sub reatu mortalis peccati sit obediendum, iuxta illud Lucæ. Qui vos spernit, me spernit: & aliud Apostoli. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, *Luc. 10.* *Rom. 13.*

nisi

nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

LEX IX. & finalis.

Quicunque maleficorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit: ilico ad publicum pertrahat, & iudicum oculis communis hostem salutis ostendat. Si quisquam ex agitatoribus, id est aurigis, seu ex quolibet alio genere hominum contra hoc edictum venire tentauerit, aut clandestinis supplicijs etiam manifestum reum maleficæ artis oppresserit: vltimum supplicium non euadat, geminæ suspicionis obnoxius, quod aut publicum reum, ne facinoris socios publicaret, seueritati legum, & debitæ subtraxerit quæstioni: Aut proprium fortassis inimicum sub huiusmodi vindictæ nomine, consilio atrociore confecerit.

CIRCA hanc L. notandum est ex Doctoribus, qui in hanc, sicut in alias leges huius tituli, breuissimè commentati sunt, quod maleficum licet cuilibet propria auctoritate capere.

pere, & Iudici præsentare. Quod singulare est, sed ita intelligendum, (quamuis Doctores generaliter loquantur) quando in manifesto crimine depræhenditur. Regulariter autem in alijs criminibus prohibitum hoc est. Commune autem est in hoc crimine & in alijs, quod nemini licet maleficum etiam manifestum propria auctoritate occidere. Deinde ex hac lege in illis verbis (*Ne facinoris socios publicare, &c.*) colligunt DD. crimen maleficij esse de genere exceptorum. Alberic. hîc & Godefrid. Glossa & Salycet. in L. fin. C. de accusat. Barto. in L. Repeti. de quæst. Marsil. ibid. Bald. lib. 1. consil. 95. incip. Regula iuris. Panormitan. Ioan. Imol. & Anthon. à Butr. in cap. 1, de confess. & alij, quos citaui ad longum in 2. memb. tractat. de confes. malef. conclus. 1, ratione 3. Quare consequenter tradunt, confessum de se in hoc crimine super aliorum scilicet sociorum criminis conscientia, posse & debere interrogari, & interrogatus in conscientia, sub pœna peccati mortalis tenetur facinoris socios iudici publicare, vt in 2. memb. d. tract. ostensum latius est. Vnde communis regula eruitur, quam ponunt Glossa cum text. in cap. 2. de cõfessis, Panorm. Anthon. Ioan. Imol. Cardinal. Zabarella, Hostiensis, & omnes Doctores ibidem, cum Iurisperitis. in L. fin. C. de accusatio. quod in criminibus exceptis de se confesso, credendum est contra socios criminis, non

quidem quantum ad condemnandum, sed ad præsumendum. Aliàs profectò non est inuenire discrimen inter crimina excepta, & non excepta, secundum mentem canonum & legum, ac Doctorum. Maximè autem inquirendum in hoc crimine de socijs, quia maleficicommuniter, vt experientia docet, habent socios, & credo haud ex multis repertum vnum, qui solus sine socijs hoc scelus commiserit. Præterea cùm malefici sint hostes communis salutis, iuxta præsentem L. contra socios inquirere etiam tendit ad communem salutē omnium. Quia nisi maleficorum crimen radicitus extirpetur, salus communis non habebitur. Præterea cum DD. aduertēdum est, quod si quis propria auctoritate notorium maleficum interfecerit, duplicem suspicionem ex hac L. incurrit, tum quod conscius sit maleficij, timueritq; ne socios detegeret, si tortura adhibeatur; tum quod ratione vindictæ fortassis fecerit. Circa hunc articulum notat Bald. singulariter, quod non licet subtrahere aliquē reum quæstioni, vel torturæ, nec facere, quod veritas non possit apparere. Ex dictis mala præsumptio sumitur contra eos, qui aliquando maleficis consulunt, aut eos admonendo instruut, vt fugiant, quando grauibus indicijs laborāt: Hi incurrunt suspicionem, aut quod socij criminis sint, aut quod veritatem velint latere & iustitiam impedire; aut quod magis

ament

ament corporis & famæ æstimationem rei contra ordinem charitatis, quàm eius animæ salutem, quæ præstat omnibus rebus in hoc mundo habitis.

Circa hanc L. cùm Doctores ex ea colligant, nominationē maleficī facere præsumptionem contra socium facinoris, breuiter tractandum est de indicijs, ex quibus crimen maleficorum deprehendi potest.

DE INDICIIS CRIMINIS maleficij.

NOTANDVM in primis, quod diuersus est gradus indiciorum. Quædam enim sunt remota: quædam propinqua: alia propinquissima.

Deinde in materia indiciorum multum valet omnium iudicio arbitrium iudicis: falluntur tamen aliqui in intelligentia huius nominis, aut saltem in iudicio, qui putant, quod arbitrium iudicis sonet, quod ipsi ex suo capite & voluntate possint definire, & quod eorum propria prudentia debeat formare iudicium. Iudicis arbitrium formandum est ita, vt sit iuri & æquitati consonum, & in hoc non debet sequi propriam conscientiam, sed publicam scientiam, vt multis allegationibus ostendunt Andreas Barbatius

in cap. Canonum statuta. de constitut. à num. 167. Marsil. in pract. crimin. §. Diligenter. à nu. 24. & Menoch. lib. 1. de arbitr. Iud. quæstion. q. 13. num. 15. Quando ergò iudex formare rectũ vult arbitrium, debet sequi canones, leges, cõsilium peritorum, & praxim doctissimorum & proborum virorum. In materia indiciorum semper hæc doctrina ante oculos habenda est, vt quoniam variæ in casibus occurrentibus circunstantiæ occurrere possunt, Iudex si sibi non sit sufficiens, peritorum consilium adhibeat. Præterea reducendum est in memoriam pro varietate criminum, varia etiam esse indicia. Quædam communia, quæ omnibus criminibus accommodantur: quædam propria particularibus sceleribus, vt adulterio, furto, homicidio.

Cùm autem latus sit indiciorum campus, & magnus numerus, vt patet ex Doctoribus, qui integros tractatus scripserunt, & ex dicendis manifestum erit, hîc tantum proponentur, quæ huic materiæ conuenient: in reliquis remittitur lector ad Doctores.

Indicia perpendenda in hoc maleficorum crimine.

Primum indicium: sumptum ex hac L. finali; Denunciatio siue denominatio malefici contra facinoris socios, secundum commumem Doctorum sententiam, quos suprà ad longum adduximus. Quomodo & in quem sensum hoc verum sit, remitto lectorem ad ea, quæ

quæ multis declarata sunt in 2. membro superioris tractatus.

Secundum indicium: maximè proprium huic materiæ, est superstitio cum suis varijs speciebus, de quibus ad longum in 1. membro superioris tractatus. Cùm enim superstitio procedat vt plurimum ex pacto implicito, vel expresso cum Dæmone, verum religionis cultum lædit, fidem Christianam labefactat, ac viam sternit ad maleficorum impietatem. Ad hoc facit etiam Constitutio Criminalis Caroli V. in articul. 44. vbi indicia maleficij ponit, dum ait. Si quis res supectas, verba, & opera, quæ incantationem sapiunt, vsurpauerit.

Tertium: Si quis alios artem magicam siue maleficium docere voluerit: ex eadem Constitutione.

Quartum: Si quis minatus sit alicui maleficia inferre, & effectus sequutus fuerit: ibidem. Ex minis enim præcedentibus oritur indiciũ ad maleficium, quando fuerunt præsertim factæ ab eo, qui consueuit eas exequi. Gandinus in tractat. de malef. in tit. de indicijs dubitatis. Hyppol. Marsil. in pract. crim. §. Diligenter, à nu. 85. Bald. in L. Metum. C. Quod metus causſæ. Francis. Brun. de indicijs & tort. part. 1. q. 3. Decius in cons. 189. num. 17. & alij multi, quos allegant Iulius Clarus lib. 5. senten §. fin. pract. crimin. q. 21. nu. 37. & Iacob. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 89. à num. 60.

Quintum: Singularis familiaritas, & frequens conuersatio cum maleficis & incantatoribus: ex eadem Constitut. in d. art. 44.

Omnium enim Iurisperitorum sententia, ex mala conuersatione oritur indicium ad torturam, si modò aliud adminiculum concurrat, vel alia indicia adiuuent. Qualis enim quisq; est, tali socio delectatur. Similis gaudet simili. Prouerb. 13. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur. Et in Psalm. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum peruerso peruerteris. Sic sentiunt Angelus in tractat. maleficiorum, in §. Fama publica. vers. Quæro an indicium. Guido de Suzar. de indicijs & tort. num. 32. Marsil. in pract. §. Expedita. num. 91. Bald. in tract. de quæst. num. 10. Albert. Gandin. in tract. de malef. in Rub. de quæst. Ioseph. Mascard. vol. 1. de probation. Concl. 451. Menoch. in d. q. nu. 125. & alij alibi. Amicitia enim reproborum, ait Salyce. in L. Nullus, supra eod. tit. est repellenda. Ex hac causa prouenit, quod aliquando in vno pago, aut loco tam multæ sint sagæ & malefici, vt (proh dolor) experiẽtia discimus, imò etiam si aliæ accedant, ex cohabitatione inficiuntur. Vna enim malefica aliam inficit, præsertim ad voluntatem & imperium Dęmonis, qui nihil magis appetit, quàm vt numerus suorum augeatur, & regnum CHRISTI diminuatur.

Prouerb. 13

Psal. 17.

tur. Quamuis etiam existimem ob magnitudinem scelerum, quæ malefici, vbi in vno loco ita morantur, committunt, cùm nolint benedictionem, accipiant maledictionem, & relinquatur Dæmoni maior potestas in commorantes in tali loco, vbi notabilis est numerus maleficorum.

Sextum: Est fama vehemens cum alijs adminiculis, contra multorum doctorum sententiam, quos Menoc. in d.q.num.32. adducit, qui volunt famam vehementem per se sufficere. Sed communior & tutior doctrina est, quod non sine alijs adminiculis, vt ostendit Iulius Clar. loco citato, num.1. Quia fama est indicium valdè remotum à delicto & fallax facilè, & sic ex nuda fama durum esset hominem tormentis subijcere, nisi esset delictum difficilis probationis, & persona vilis alijs criminibus conspersa. Vnum tamen in hoc crimine est singulare, quod (vt experientia quotidie docet) multi homines, quorum conuersatio in exterioribus omni reprehensione caret, deprehenduntur hoc nefandissimo scelere coinquinati. Quia huius criminis exercitium est occultissimum, cùm dependeat à cooperatione Principis tenebrarum, qui amat noctem, & odit lucem. Qua occasione aut impossibilis, aut saltem difficilis potest esse purgatio canonica in hoc crimine: Cùm hæc fundetur in conscientia bonorum virorum,

qui nocte dormiunt, quando malefici sua negotia expediunt, & sic non possunt de secretis & ignotis in sua conscientia maleficij aliquem innocentem pronunciare. In probatione autem famæ non satis est dicere & probare famam, sed oportet etiam eius originem ostendere. Quia fama debet originem habere ab honestis personis & fide dignis, non à maleuolis & vilibus, vt probatur ex c. Qualiter & Quando. 2. de accusat. Bart. in L. de minore. §. Pluriũ. de quæst. Marsil. ibid. Abb. in cap. Veniens. 1. num. 8. de testib. & alijs alibi.

Quare quidam arbitrantur, & hoc argumento probant, quod ea fama, quæ in hoc maleficorum crimine originem ducit à maleficorum & complicum iudiciali denunciatione, non habeat locum. Sed aduertendum est, dictum hoc commune iuxta diuersitatem rerum & circunstantiarum aliter atq; aliter esse intelligendum, in hunc sensum, quod fama debet habere originem à viris bonis & honestis, quando qualitas personæ, natura rei, ac circunstantiæ hoc admittunt, & sic subintelligendum, nisi agatur de re turpi. Nam tunc nõ est contemnenda fama, quę ortum habet à turpibus personis, exempli gratia, si agatur de peccato commisso in lupanari, poterit oriri fama à meretricibus, & lenonibus, non autem à Doctoribus, aut alijs personis honestis, quæ non solent ibidem conuersari, & similiter si

aga-

agatur de chartarum, vel taxillorum ludo, fama ortum trahit à luſoribus, & ſic in hoc crimine maleficorum & ſagarum, boni honeſtiq; viri non interſunt eorum ludis, choreis, maleficijs & coniurationibus, in profunda nocte, in abditis, remotis, agreſtibus, ſecretiſq; locis. Quare fama etiam à talibus originem trahere non poteſt, ſed à conſortibus, qui tam turpibus ſceleribus preſentes ſunt. Hanc expoſitionem docent Salycet. in L. Ea quidem C. de accuſat. non longè à fine, vlt. q. principali, & Iul. Clar. lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 6. nu. 17. Et hoc eſt quod Bartol. in d. L. de minore. Iuſtinus Amedæus in tract. de Syndicatu, nu. 51. & 55. Panorm. in cap. Qualiter & quando, ſecutus Bartol. & alij alibi tradunt, famam debere habere initium ex probabilibus coniecturis & cauſſis, vel iuſta cauſſa, ſicut etiam ex delicto aliquando docent ſumere originem.

Septimum: Fuga eſt etiam indicium ad torturam, quando aliquis præſertim fugit ante accuſationem, vel inquiſitionem contra eum formatam, vel antequam ad aliquem actum ſit proceſſum. Bart. in L. 1. ff. de bonis eorum, qui ante ſententiam ſibi mortẽ conſciuerunt. Angel. in tract. malef. in verb. Fama publica. verſ. An fuga ſit ſufficiens. Marſil. in d. §. Diligẽter. num. 41. & alij multi: quos allegant Menoch. & Clar. loc. cit. 21. & Andreas Gaill pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 109. Addit. Marſil. etiam

habere locum, quando fugit, dum habet ſuſpicionem, quod contra eum formabitur inquiſitio. Malefici ſæpè fuga ſolent ſibi conſulere. Alia tamen eſt ratio, quando quis fugit poſt inquiſitionem, & citatus redit, vel cauſſas probabiles abſentiæ & fugæ allegat.

Octauum: Si aliquod opus magiæ, aut maleficij inueniatur, aut quod ſapiat incantationem, vt olla plena vnguentis variarum rerum magicarum, aut alia inſtrumenta in ædibus diffamatæ & ſuſpectæ inueniantur. Aut etiam liber magiæ penes aliquem reperiatur, qualis ante tres ſeptimanas mihi oblatus à quodam amico, qui eum poſt mortẽ cuiuſdam, quieo vſus fuerat, repererat. Qui tam charus ſuo domino fuerat, quod eum emerat 15. daleris, ſecundum ſcriptionem in libro annotatam, & tam peſtilens erat, (vt primo aſpectu animaduerti) vt legere non vellem, ſed ſtatim in præſentia amici tradentis Vulcano, cui cum auctore debebatur, cõſecrarem. Neſcio quot miriades Dæmonum in eo continebantur, & horrẽdæ execrationes cum diris nominibus. Hoc indicium ſumitur etiam ex d. Conſtit. Carolina in art. 44. Ad idem facit ſi liber hæreticus penes aliquem reperiatur, ſuſpectus vehementiſſimè habetur, vt condemnari poſſit, ſi aliæ coniecturæ accedant, modò non habeat cum auctoritate ſuperioris, poteſtatem habentis & concedentis ad bonum finem. Ludouic. Roman.

man. in singul. 323. incip. Eo ipso, quod libri hæresis reperiuntur. Marsil. in d. §. Diligenter. num. 92. Menoch. lib. 2. de arbitr. Iud. qq. casu 374. num. 12. & alij ab eo citati. Huic congruit L. Maiorem. C. de fals. qui habet penes se instrumentum falsum, præsumitur falsarius, nisi ostendat vnde habuerit. Dictum indicium ponit etiam Bodinus lib. 4. cap. 4. quod puto esse tam vehemens, vt si quæ alia leuissima adsint, reus possit torqueri. Huic adiungere possumus, si de maleficio suspectus inueniatur in domo, aut stabulo alterius, aut loco & tempore, vbi & quando non debet, & sequatur effectus aliquis, vt mors, mutilatio, aut morbus. Eadem est ratio, si duobus testibus legitimis probetur reum exercuisse aliquem actum superstitiosum, qui ex communi maleficorum praxi ad aliquod maleficium dirigitur. Exẽpli gratia: Si duo viri viderint mulierem in aqua stantem, & aquam à tergo proijcientem in aërem, vel virum etiam tempore æstatis, dum tempestas instare animaduertitur, lapidem percutientem, aut mulierem flores de varijs arboribus colligentem, & ollæ imponentem, & desimilibus simile est iudicium: hæc sunt indicia vrgentissima, quorum vnumquodq; per se sufficit ad torturam. Eadem est ratio, si vnus testis omni exceptione maior deponat de ipso crimine, vtpote q̃ viderit sagã equo infundentem potionem, qui mortuus repe-

reperitur. Ad dictum enim vnius testis omni exceptione maioris, deponentis de ipso maleficio, potest quis rapi ad torturam, secundum communem Iurisperitorum sententiam, cui astipulatur Carolina Constitutio in artic. 30.

Nonum: Confessio extraiudicialis rei siue accusati, si duobus testibus probetur, facit sufficiés indicium ad torturam, secundum communem DD. sententiam, quam communem attestantur Felinus in cap. Olim, de rescriptis. Decius in c. At si clerici. de indicijs. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 89. num. 14. Ioseph. Mascard. vol. 1. de probat. Conclu. 349. Iul. Clar. in d. q. 21. nu. 31. & alij ab eo citati. Et quamuis, vt ipse Clarus doctè dicit, quidam Doctores teneant, quod huiusmodi confessio possit reuocari, ad euitandum torturam, licet de errore non doceatur: hoc tamen nullo modo est tenendum. Nam si sola reuocatio hoc operaretur, nunquam esset locus communi Conclus. Propter hoc enim deuenitur ad torturam, quia reuocatur confessio, quia si reus in ea persisteret, non esset opus tortura. Semper ergo confessio extraiudicialis facit indicium ad torturam, nisi error probetur. Bodinus lib. 4. cap. 4. plus videtur in hoc crimine tribuere confessioni extraiudiciali, sed à communi sine euidenti ratione, aut lege non est recedendum. Ad hoc indicium reduco verba maleficorum & sagarum, quæ aliquando proferunt, quan-

quando capiuntur, quibus quasi implicitè confitentur; vt si dicant, actum est de me, aut: ne me morte afficiatis, rei veritatem libenter fatebor. Vel quando abducitur ab habitatione, valedicit domesticis, & propinquis, petendo veniam, & de similibus simile est iudicium: de his etiam Bodinus loco citato.

Decimum indicium commune etiam alijs criminibus, tamen in hoc maximè sibi vendicat locum, est taciturnitas rei, quando scit, vel ex literis amicorum, vel eorundem admonitione, vel etiam ex aliorum obiectione siue opprobriò, se haberi pro malefico, aut mago, & tamen non contradicit, nec opponit, sed leuata mente transit, quasi non curaret. Marsil. in pract. Criminali. §. Diligenter. num. 137. Ludouicus Carrer. in pract. pag. 55. in 28. indicio. Menoch. loco cit. num. 129. Quisquis enim innocens est, ægerrimè fert infamiam sibi imponi de tãto scelere. Et vt ait Bodinus, Qui purus ab isto crimine est, calumnias à quibus in alijs criminibus metuitur, nunquam pertimescet. Dictum tamen indicium alijs adminiculis debet iuuari.

Vndecimum: Si quis scelerata iuramenta, execrabiles blasphemias, & verba impudicissima frequentet, aut Dæmonis nomen semper effutiat ore, aut pueros proprios, siue alienos, aut etiam bestias, in nomine Diaboli execrari solitus sit: vt, exempli gratia, rapiat te Dia-

Diabolus: exeas in nomine ipsius: vellem te haberet Dæmon; & de similibus similis est censura. Qui enim talia iuramenta & execrabiles blasphemias assiduè exercent, de hæresi suspecti sunt, vt docet Iacobus Simancas in comment. Catholicarum Institut. tit. 8. de blasphemis. Carrerius in tract. de hæret. quos allegat & sequitur Menoch. lib. 5. de præsumption. præsumpt. 6. & lib. 1. q. 10. à nu. 8. Alphons. Castrens. lib. 1. de iusta hæretic. punitione. cap. 12. Quomodo ergò meritò non possunt esse tales blasphemi, & immundi execratores vehementer suspecti de maleficij crimine, in quo Deus in summo gradu læditur, relinquitur & abiuratur: & Dæmon colitur, honoratur, & patronus assumitur. Quare in præludijs superioris tractatus inter causas dispositiuas ad hoc infœliciſſimum exercitium posuimus execrationem & maledicendi siue imprecandi rabiem. Huic annumerare possumus, si quis commiserit etiam alia grauissima scelera distantia à maleficio, vt Menoch. d. lib. 1. ex Simanca etiam de hæresi allegat. Nam vix fieri potest, vt homo, qui Deo adhæret, & ad Diaboli partes non declinauit, horrenda scelera perpetret. Qui autem Deo valedixit, & Dæmoni fidem addixit, portam iam omnibus sceleribus etiam fœdissimis aperuit.

Duodecimum ponunt Doctores mallei maleficarum, Grilland. & Bodinus, quod sagæ lachry-

chrymas emittere non posſint. Quod ſi intelligant lachrymas ex dolore peccatorum, aut oleo diuinæ ſuauitatis prodeuntes, facilè aſſentior: aliàs quod non poſſint excutere guttas aquarum & lachrymarum, parum fidei attribuo. Quia verum eſt de mulieribus, quod quidam cecinit.

Vt flerent, oculos erudière ſuos.

Imò ſæpè ex puſillanimitate, triſtitia, aut dolore corporali lachrymas emittunt.

Decimumtertium. Quidam indicium ſumunt ex facie de maleficis, vt ſi oculos in terram defigant, aut terribiles deformeſq; vultus habeant. Quare cõmuniter dici ſolet. Deformis, vt ſaga. Huic concordat Bodin. lib. 3. c. 3. ex Hieronym. Cardano lib. 20. de ſubtilitate. & Martin. Arles ex alijs in tract. de ſuperſtit. à n. 100. Sicut enim qui in fodina auri ſequitur ipsũ minerale, pallidus efficitur, & tremulus fit, qui tractat venã argenti viui: Ita qui ſequitur, & inſpicit horribilem & turpem viſionem Dæmonis, deformis & horribilis in facie redditur. Pro his eſt etiam Direct. inquiſitorum in 3. par. in c. de ſignis exterioribus, per quæ necromantici hæretici dignoſcuntur & magi hęreticãtes, vt loquitur. Habent enim, ait, vt cõmunius, ex viſione & apparitione, ac collocutione malorum ſpirituũ toruum viſum & obliquũ. Pro hac ſententia facit, quod Iuriſperiti tradũt, indicium ad torturam ſumi ex mala phyſiognomia. Marſil. in pract.

§. Ex-

§.Expedita.num.53. ex Baldo L.2.C. Quorum appellat. non recip. Carrer. in pract.pag.55.in 29.indicio.Menoch.lib.1.de prob.q.d.num.13 & alij ab eo allegati. Quomodo de moribus hominum ex physiognomia iudicari possit, suprà ostensum est. Etsi non sit improbabile, quod assectæ Dæmonum deformitatem in facie contrahant, tamen cùm deformitas ex multis alijs caussis originem sumere possit, valde infirmum & leue indicium hinc desumitur.

Decimumquartum ponitur à Lamberto Danæo, in Dialogo de sortiarijs, & Ioanne Bodino lib.2.cap.4.& lib.4.cap.4.& est stigma siue nota, quam Dæmon imprimit eis maleficis & sagis in aliqua parte corporis, quos timet sibi non fore fideles: vnde principes quique magi tale signum non habent. Memini me etiam audiuisse, quibusdam nostris maleficis & sagis signa impressa fuisse. Trisalanus Magus, Bodino referente, dicebat signatis magis inesse quasi vestigium leporis, & quamuis ad ossa indatur quasi acus, locum tamé sensus expertem esse. Sed quicquid sit, non puto tale signum magni faciendum esse. Facilè enim, si quis quærat huiusmodi signa, finget aut putabit esse, quod non est. Quod enim Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum. 2.q.5.cap.Consuluisti. Imò si Dæmon cognosceret suos ex tali

signo

signo cognosci, non imprimeret: Sicut etiam Bodi. exempla refert, in quibus postera die, post deprehensionem signi, fuit nota deleta. Similiter admodum superstitiosum est, quod prædicto affine est, quod quidam in fronte ex eradicatione Chrismatis sagas cognoscere volunt.

Decimum quintum. Referunt quidam in hunc ordinem indiciorum, quibus sagæ cognoscuntur, probationem aquæ frigidæ, sed hæc in canonibus, expresè reprobatur 2. q. 5. can. Mennam & in cap. Tuarum, de purgat. canonica. Sed de hac materia latiùs actum est in 2. memb. superioris tractatus, dub. 1. principali.

Decimum Sextum. Firmum putat esse Bodinus lib. 4. cap 4. indicium in diffamata, si nata sit ex parentibus maleficis, aut altero tantum. Vnde putat hanc amplissimam esse regulam, & pauciſsimas exceptiones admittere. Si saga est mater, est etiam filia. Sed hæc consequentia quomodo tam necessariò cohæreat, vt Bodinus infert, non video. Sicut enim ex bonis parentibus nonnunquam oriuntur filij mali: ita ex malis quandoq; etiam boni nascuntur, sicut è spinis rosæ producuntur. Sic ex Achaz pessimo rege & idololatra natus est sanctus rex Ezechias vt in libro. Reg. est videre. Sic etiam Iosias, rex pius, qui tulit abominationes impietatis, cuius memoria secundum Ecclesiasticum quasi mel in dulcabitur, 4. *Reg.* 18 *Eccles.* 49.

filius fuit impij Idololatræ Amon. Quamuis enim in filijs paterni criminis exempla metuantur. can. Si quis. 6. q. 1. non tamen necessariò ita contingit. Mores enim multum iuuantur gratia Dei, instructione, bona cóuersatione, ac regimine. Quando autem filia alijs indicijs grauatur, auget præsumptionem, si parens alter, vel aliqui de cognatione & familia fuerint magi & malefici. Hoc tamen refertur ad indicium malæ conuersationis & cohabitationis: Qui enim tágit picem, coinquinatur ab ea. Expetit tamen non rarò malus spiritus à sagis, vt filios, aut filias sibi in obsequium deuoueant. Quare aliquando tam malas inueneris matres in hac arte, vt prolem necdum natam Dæmoni in abominabile offerant obsequium.

Decimum septimum. Est singularitas quædam notabilis in actibus religionis. Cùm sint superstitiosi, gaudent singularitate, & in actibus exterioribus non rarò incedunt in vestimentis ouium, more magistri sui, qui se etiam trásfigurat in angelum lucis, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Decimum octauum. Est mutatio loci, currunt huc atq; illuc, præsertim quando sibi timent, vtpote quum iam sunt diffamati, vel in proximo sunt, vt deprehendantur: aut iam sciunt socios sui facinoris deprehensos, à quibus metuunt se denunciandos. Tunc enim ti-

ment,

ment, & mirabiliter in animo discruciantur propter pœnam, quam ratione conscientiæ sceleris animus quasi præsagit, iuxta illud quod Sapiens attribuit magicæ artis peritis in lib. Sapientiæ. Frequenter enim, ait, præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sęua perturbata conscientia, id est, conscius sui sceleris remorsu conscięntiæ mouetur, vt seipsum cõdemnet, & suspicetur pœnam promeritam, instare antequam etiam præsens sit, & sic nequitia efficit timidum, cùm semper propinqua esse & ante oculos versari timeat tormenta. Id quod Cicer. breuibus verbis in Orat. pro Milone significat, cùm dicit: Magna est vis conscientiæ in vtramq; partem, vt nec timeant, qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccauerunt. *Sapien. 17.*

Alia est etiam huius inconstantiæ & mutationis de loco in locum causa. Cùm enim tam magna sit inter spiritum bonum & malum pugna, quando conscięntia iam incipit remordere, mota ex tribulatione & timore extrinseco aduenienti, ob pericula & tormenta imminentia, magna nascitur etiam in animo malefici perturbatio. Quare currit de loco ad locum, quærit requiem, & non inuenit, idq; in multis obseruatum est.

Decimum nonum est inconstantia & contra-

rietas in verbis. Facit enim conscientia sceleris timorq; quo concutiuntur, vt parum sibi constent. Hæc autem indicium facere ad torturam tradunt Doctores. Marsil. in d. §. Diligenter. num. 74. Francis. Brunus de indicijs & tortura par. 1. q. 3. Angel. ab Aretio in tract. malefic. verb. Fama publica. Bartol. in L. fin. ff. de quæst. & alij multi, quos refert Menoch. in d. q. 89. lib. 1. de præsumpt. hoc tamen indicium non est tantum, vt ex eo quis debeat subijci tormentis, nisi alia, magis mouentia accedant. Habent tamen hoc proprij sagæ & malefici, vt vix respondeant ex proposito ad interrogata, sed nutant in responsionibus, vt obseruandum statuit Bodinus in d. c. 4. lib. 4.

Vigesimum indicium, efficere possunt titubatio & animi trepidatio, quando reus examinatur, & interrogatur. Marsil. loco cit. Bartol. in L. de minore, §. Plurimum. Angel. in d. verb. Fama publica. Menoch. vbi supra. num. 72. Iul. Clar. in d. q. 21. lib. 5. num. 39. & alij communiter. Huc facit illud Ciceronis lib. 2. ad Herennium. Titubatio, inquit, mutatio coloris, oratio inconstans, tremor & id genus alia: nempe si constiterit reum, cum ad eum ventum est, erubuisse, titubasse, expalluisse, inconstanter locutum esse, concidisse, policitum esse aliquid. Et illud Prouerb. 10. Pauor his, qui operantur malum. Postremò, quoniam Iudices aliquando ad inquirendam veri-

tatem

tatem maleficos captiuos duos in conſpectu opponunt, vel vt aliqui vocant confrontant, ſumma tum adhibenda eſt iudici prudẽtia, vt bene dicta examinet, quid opponatur, quomodo ab altero reſpondeatur, an alter taceat an neget, qua animi conſtantia, qua verborum arte, quia quoſdam honoratiores & prudentiores inſtruit Diabol. vt valde callidè loquãtur. Hic etiam valde bene notanda duo illa vltima indicia. Hoc loco de confrontatione maleficorum aduertendum eſt quando alter eorum tantum in vinculis, & vult alteri necdum vinculis conſtituto crimen in frontem dicere, in quo ſibi ſocius fuit, vt hoc non fiat temerè, niſi alia indicia talia præcedant, vt, ſi teſtis in frontem deponens conſtanter in confeſſione & obiectione perſeueret, cum probabili circunſtantiarum declaratione, in cuſtodia detineri poſſit, ſi rationibus legitimis opponentis dicta non elidat, ſed potius indicia facinoris præbeat. Quia magna eſt infamia ei, qui pro bono viro habetur, confrontari cum homine reo tanti ſceleris, quaſi ſocius criminis ſit, quam non licet vlli iudici alicui inferre, niſi alia ſufficientia indicia præcedant, quæ loco diffamationis ſint. Etenim indicia propinqua ſiue ſemiplena ſupplent locum diffamationis, vt multis allegationibus declarat. Marſil. in practica crimin. §. Conſtante. à num. 19. Si autem confrontatus

sufficientibus indicijs grauatus, post confrontationem iterum dimittatur, magis confrontatione suspectus redditus, quam purgatus, & ipse hoc animaduertat, facile fugiet. Hęc sunt, quæ pro ratione temporis, in commentarium de maleficis & mathematicis referre volui precando Deum optimum Max. lucis authorem, vt principis tenebrarum tyrannidem, qua nunc in multos Christianos sæuit, reprimat: lapsis manus misericordiæ ad surgendum per salutarem pœnitentiam porrigat, & huic laborem ad ipsius honorem, patriæq; salutem susceptum, fœlici fine remuneret.

Amen.

(·.·)

EXTRA-

EXTRAVAGANTES ET BVLLÆ APOSTOLICAE DIVERSORVM PONTIFICVM editæ contra Magos, Incantatores, Sortilegos, aliosq; Superstitiosos.

EXTRAVAGANS IOANNIS XXII. CONTRA Magos, magicasque superstitiones.

SVPER illius specula, quamuis immeriti, eius fauente clementia, qui primum hominem humani quidem generis protoplasti, terrenis prælatum, diuinis virtutibus adornatum, conformem & consimilem imagini suæ fecit, reuocauit profugum legem dãdo, ac demum liberauit captiuum, reinuenit perditum, & redemit venditum merito suæ passionis, vt contemplaremur ex illa super filios hominum, qui Christianæ religionis cultu Deum intelligunt & requirunt: dolenter aduertimus, quod etiam cum nostrorum turbatione viscerum cogitamus, quamplures esse solo nomine Christia-

nos, qui relicto primo veritatis lumine, tantæ erroris caligine obnubilantur, quod cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno : dæmonibus namque immolant: hos adorant, fabricant, ac fabricari procurant imagines: annulum, vel speculum, vel phialam, vel rem quamcunq; aliam magicè ad dæmones inibi alligandos, ab his petunt, responsa ab his recipiunt, & pro implendis prauis suis desideriȳs auxilia postulant, pro re fœtidissima fœtidam exhibent seruitutem (proh dolor) huiusmodi morbus pestifer, nunc per mundum solito amplius conualescens, successiuè grauius inficit Christi gregem. Cùm igitur ex debito suscepti pastoralis officiȳ, oues oberrantes per deuia, teneamur ad caulas Christi reducere, & excludere à grege Dominico morbidas, ne alias corrumpant: Hoc edicto in perpetuum valituro, de consilio fratrum nostrorum, monemus omnes & singulos renatos fonte Baptismatis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione anathematis præcipientes eisdem, quod nullus ipsorum, aliquid de peruersis dictis dogmatibus docere ac addiscere audeat: vel, quod execrabilius est, quomodolibet alio in aliquo illis vti. Et quia dignum est, quod

hi,

hi, qui per sua opera peruersa spernunt Altissimum, pœnis suis pro culpis debitis percellantur: Nos in omnes & singulos, qui contra nostra saluberrima monita & mandata facere de prædictis quicquam præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam ipsos incurrere volumus ipso facto: statuentes firmiter, quod præter pœnas prædictas, contra tales, qui admoniti de prædictis, seu prædictorum aliquo infra octo dies à monitione computandos præfata, à præfatis non se correxerint, ad infligendas pœnas omnes & singulas, præter bonorum confiscationem dumtaxat, quas de iure merentur hæretici, per suos competentes Iudices procedatur. Verùm cùm sit expediens, quod ad hæc tam nefanda omnis via, omnis q; occasio præcludantur, de dictorum nostrorum fratrum consilio vniuersis præcipimus & mandamus, quod nullus eorum libellos, scripturas quascun q; de præfatis damnatis erroribus quicquam continentes, habere, aut tenere, vel in ipsis studere præsumat; quin potius volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ cunctis præcipimus, quod quicun q; de scripturis præfatis vel libellis quicquam habuerint, infra octo dierum spacium ab huiusmodi edicti nostri

notitia computandum, totum, & in toto, & in qualibet sui parte abolere, & comburere teneantur: alioquin volumus, quod incurrant sententiam excommunicationis ipso facto, processuri contra contemptores huiusmodi (cùm constiterit) ad pœnas alias grauiores. Datum Auinione.

SIXTVS QVARTVS.

DILECTO FILIO VICARIO Venerabilis Fratris nostri Episcopi Bononiensis in spiritualibus generali.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem.

Nunciatum est nobis, nonnullos ordinis S. Mariæ de monte Carmeli fratres, tantæ fuisse temeritatis, vt veriti non sint disputando & prædicando in nostra ciuitate Bononiensi eiusq; comitatu asserere, nõ esse hæreticum, & à puritate fidei alienum, dæmonum expectare responsa: ob quod aduersus ipsius fidei puritatem scandala multa exorta videtur. Nos id indignè moleste q; ferentes, & de præmissis certam notitiam non habentes, discretioni tuæ per præsentes committi-

mittimus & mandamus, vt omni oportuna adhibita diligentia & industria veram notitiam habere cures? an sit, qui fuerint huiusmodi assertores, & quæ scandala propterea sint exorta. Quicquid autem in præmissis inueneris, in scriptis authenticè redactum, ad dilectum filium Franciscum de Toleto, Notarium & Datarium nostrum domesticum, sub tuo sigillo transmittas: vt ab eo de omnibus certiores facti, quid agi conueniat, auctore Domino, statuere valeamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 17. Iunij. M. CCCC. LXXIII. Pontificatus nostri anno secundo.

INNOCENTIVS VIII. Inquisitoribus Germaniæ.

INNOCENTIVS EPISCOPVS Seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

SVmmis desiderantes affectibus, prout pastoralis sollicitudinis cura requirit, vt fides Catholica nostris potissimè temporibus vbiq; augeatur, & floreat, ac omnis hæretica prauitas de finibus fidelium procul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiam de no-

uo con-

uo concedimus, per quæ huiusmodi pium desiderium nostrum votiuum sortiatur effectũ, cunctisq; propterea per nostræ operationis ministerium, quasi per prouidi operatoris sarculum erroribus extirpatis, eiusdem fidei zelus & obseruantia in ipsorum corda fidelium fortius imprimatur. Sanè nuper ad nostrum non sine ingenti molestia peruenit auditum, quod in nonnullis partibus Alemaniæ superioris, nec non in Moguntinen. Colonien. Treueren. Saltzburgen. & Bremen. prouincijs, ciuitatibus, terris, locis, & diœcesibus, complures utriusq; sexus personæ, propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, cum Dæmonibus incubis & succubis abuti, ac suis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, alijsq; nephandis superstitionibus & sortilegijs, excessibus, criminibus & delictis, mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas & arborum fructus, nec non homines, mulieres, pecora, pecudes, & alia diuersorum generum animalia; vineas quoq; pomeria, prata, pascua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, suffocari & extingui facere, & procurare, ipsosq; homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, & animalia diris tam

intrin-

intrinsecis quàm extrinsecis doloribus & tormentis afficere, & excruciare, ac eosdem homines ne gignere, & mulieres ne concipere, viros q; ne uxoribus, & mulieres ne viris actus coniugales reddere valeant, impedire: fidē præterea ipsam, quā in sacri susceptione Baptismi susceperunt, ore sacrilego abnegare: Aliaq; quamplurima nefanda, excessus & crimina, instigante humani generis inimico, committere & perpetrare non verentur, in animarum suarum periculum, diuinæ maiestatis offensam, ac pernicioſum exēplum ac scandalum plurimorum. Quodq; licet dilecti filij, Henricus Institoris, in prædictis partibus Alemaniæ superioris, in quibus etiam prouinciæ, ciuitates, terræ, diœceses, & alia loca huiusmodi comprehensa fore cēsentur: nec non Iacobus Sprenger, per certas partes lineæ Rheni, Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ Professores, hæreticæ prauitatis Inquisitores per literas Apostolicas deputati fuerunt, prout adhuc existunt, tamē nonnulli clerici & laici illarum partium, quærentes plura sapere, quàm oporteat, pro eo quod in literis deputationis huiusmodi prouinciæ, ciuitates, diœceses, terræ, & alia loca prædicta, illarumq; personæ ac excessus huius-

huiusmodi nominatim & specificè expressa non fuerunt, illa sub eisdem partibus minimè contineri, & propterea præfatis Inquisitoribus in Prouincijs, ciuitatibus, diœcesibus, terris & locis prædictis huiusmodi Inquisitionis officium exequi non licere, & ad personarum earundem super excessibus & criminibus antedictis, punitionem, incarcerationem, & correctionem admitti non debere, pertinaciter asserere non erubescunt. Propter quod in Prouincijs, ciuitatibus, diœcesibus, terris & locis prædictis excessus & crimina huiusmodi non sine animarum earundem euidenti iactura, & æternæ salutis dispendio remanent impunita. Nos igitur impedimenta quælibet, per quæ ipsorum Inquisitorum officij executio, quomodolibet retardari posset, de medio submouere, & ne labes hæreticæ prauitatis, aliorumque excessuum huiusmodi in perniciē aliorum innocētium sua venena diffundat, opportunis remedijs, prout nostro incumbit officio, prouidere volentes, fidei zelo ad hoc maximè nos impellēte, ne propterea contingat, Prouincias, ciuitates, diœceses, terras, & loca prædicta sub eisdem partibus Alemaniæ superioris debito Inquisitionis officio carere, eisdem Inquisitori-

toribus in illis officium Inquisitionis huiusmodi exequi licere, & ad personarum earūdem, super excessibus & criminibus prædictis correctionem, incarcerationem, & punitionem admitti debere, perinde in omnibus & per omnia, ac si in litteris prædictis Prouinciæ, ciuitates, diœceses, terræ, & loca ac personæ, & excessus huiusmodi nominatim, & specificè expressa forent, auctoritate Apostolica, tenore ꝯ præsentium statuimus. Proq; potiori cautela litteras & deputationem prædictas ad prouincias, ciuitates, diœceses, terras, & loca, nec non personas, & crimina huiusmodi extendentes, præfatis Inquisitoribus, quod ipsi & alter eorum accersito secum dilecto filio, Ioanne Gremper Clerico Constantien. diœceses magistro in artibus eorum moderno, seu quouis alio notario publico, per ipsos, & quemlibet eorum pro tēpore deputando in Prouincijs, ciuitatibus, diœcesibus, terris, & locis prædictis contra quascunq; personas cuiuscunq; conditionis & præeminentiæ fuerint, huiusmodi Inquisitionis officium exequi, ipsasq; ꝯ personas, in quas præmissis culpabiles reperierint, iuxta earum demerita corrigere, incarcerare, punire & mulctare. Nec non in singu-

lis

lis Prouinciarum huiusmodi parochialibus Ecclesiis, verbum Dei fideli populo, quotiens expedierit, ac eis visum fuerit, proponere & prædicare, omniaq; alia & singula in præmissis & circa ea necessaria & oportuna facere, & similiter exequi liberè & licitè valeant, plenam ac liberam, eadem auctoritate de nouo concedimus facultatem. Et nihilominus venerabili fratri nostro Episcopo Argentinensi, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios præmissa vbi, quando, & quotiens expedire cognouerit, fuerit q; pro parte Inquisitorum huiusmodi seu alterius eorum legitimè requisitus, solemniter publicans, non permittat eos per quoscunq; super hoc contra prædictarum & præsentium litterarum tenorem, quauis auctoritate molestari seu alias quomodolibet impediri: molestatores & impedientes, & contradictores quoslibet & rebelles cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, præeminentiæ, nobilitatis, & excellentiæ, aut conditionis fuerint, & quocunq; exemptionis priuilegio sint muniti, per excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac alias etiam formidabiliores, (de quibus sibi videbitur) sententias, censuras & pœnas,

omni

omni appellatione postposita, compescendo, & etiam legitimis super his per eum seruandis processibus, sententias ipsas, (quotiẽs opus fuerit) aggrauare, & reaggrauare, auctoritate nostra procuret, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cõtrarijs quibuscunq;. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunq; tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quacunq; toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, extensionis, concessionis, & mãdati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli

Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1484. Non. Decembr. Pontificatus nostri anno primo.

ALEXANDER VI. DILECTO FILIO ANGELO de Verona, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professori, in Prouincia Lombardiæ hæreticæ prauitatis Inquisitori.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Cùm acceperimus in Prouincia Lombardiæ, diuersas vtriusq; sexus personas, diuersis incantationibus, & diabolicis superstitionibus operam dare: suisq; venefitijs, & vanis obseruationibus multa nefanda scelera procurare, homines & iumenta, ac campos destruere, & diuersos errores inducere, magnaq; inde scandala exoriri: decreuimus pro pastoralis officij nobis ex alto commissi ministerio, scelera huiusmodi compescere: ac scandalis & erroribus præmissis, quantum cum Deo possumus, occurrere. Ea propter tam tibi: quàm etiam successoribus tuis, per Lom-

bar-

bardiam constitutis, de quibus in his & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, cõmittimus & mandamus; vt etiam soli, honesto tamen comitatu per vos eligendo associati, contra easdem vtriusq; sexus personas diligenter inquiratis: easq; iustitia mediante puniatis, & compescatis. Et vt melius cõmissionem huiusmodi exequi possitis, contra illas vobis plenam & omnimodam harum serie concedimus facultatem. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non indultis & concessionibus, ordinarijs forsan pro tempore factis, cæterisq; contrarijs quibuscunq; non obstantibus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die, &c.

LEO PAPA X.

VNIVERSIS ET SINGVLIS locorum Ordinarijs, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoribus in dominio Venetorum consistentibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

HOnestis petentium votis libenter annuimus, eaq; fauoribus persequimur op-

portunis. Alias ad petitionem dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis & Dominij Venetorum, cùm in Brixiensi & Pergamensi ciuitatibus & diœcesibus, quoddam hominũ genus pernicioſiſſimum ac damnatiſſimum labe hæretica, per quam ſuſceptore nunciabatur Baptiſmatis Sacramento, Dominum abnegabant, & Satanæ, cuius conſilio ſeducebantur, corpora & animas conferebant, & vt illi rem gratam facerent, in necandis infantibus paſſim ſtudebant, & alia maleficia & ſortilegia exercere non verebantur, quod ita factum eſſe videbatur, vt ad eorum errorem extirpandum opportuna adhiberẽtur remedia. Volentes etiam eiuſdem generis nonnullos indicibili pœna obſtinatè vitam potius perfidè amittere, quàm errorem ſuum cognoſcere maluiſſe, & propterea de rigoroſo nimium (vt dicebatur) veſtri ordinariorum contra tales proceſſu, dubitãtes, Venerabilem fratrem Epiſcopum Polenſem noſtrum & Apoſtolicæ ſedis apud eoſdẽ Ducem & dominium Nuncium vobis adiungẽdum duximus, cum facultate per ſe vel alium, ſeu alios proceſſus per vos habitos, ſeu factos examinandi, & reuidendi: & ſi vos Inquiſitores proceſſus prædictos rite & rectè, ac iuxta

for-

formam iuris habitos fecisſetis contra tale heminum damnatorum genus vnà vobiſcũ procedendi & inquirendi; nec non procuratores & aduocatos, ſcribas, cæteroſq; ad Inquiſitionis præfatæ exercitium neceſſarios & opportunos, officiales & miniſtros cum competentibus ſalarijs deputandi, & homines prædictos (quod redire ad Eccleſiæ vnitatem vellent) clementer ſuſcipiendi, eiſq; pœnitentiam ſalutarem iniungendi, & eos abſoluendi, etiam in vtroq; foro, & incorrigibiles condemnãdi, & brachio ſæculari tradendi, cæteraq; quæ vos de iure, vel conſuetudine facere poſſetis, & deberetis faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi, prout in litteris deſuper confectis continetur.

Cùm igitur commiſſionis huiuſmodi vigore præfatus Nuntius, venerabilem fratrẽ Epiſcopum Iuſtinopolitanum in partibus illis commorãtem, ad præmiſſa vnà vobiſcum pertractanda & exequẽda ſubdelegauerit, voſq; & ipſe ſubdelegatus in valle Communica Brixienſis diœceſis, vbi maximè huiuſmodi damnati generis homines vigent & pullulant, proceſſeritis; ac nonnullos culpabiles repertos, & curiæ ſeculari tradendos, necnon iam condemnatos habueritis, videtur,

quod per Venetorum Collegium Prætori Brixiensi mandatum fuerit, ne sententias huiusmodi exequeretur, & vobis & eidem subdelegato, ne ad executionem illarum procederetis inhiberet, prout inhibitum fuit: ac expensas & salaria pro huiusmodi Inquisitionis negotio necessaria submoueret, & retraheret: necnon processus contra culpabiles prædictos habitos & factos eis transmitteret, seu transmitti faceret: &, quod deterius est, subdelegatum prædictum ad coram eis in ciuitate Venetiarum comparendum cogeret & cõpelleret, prout coactus & cõpulsus fuit. Et quia propter dictas literas, in quib. dictus Nuncius adiunctus fuit, ab aliquibus hæsitatur, an propter hoc facultas vestra diminuta existat, ita qd prout ante datas huiusmodi litteras potuissetis, procedere non possitis: indecensq; & contra iuris & sacrorũ canonum dispositionẽ, ac Ecclesiasticam libertatem existat, laicos de personis & caussis ecclesiasticis se intromittere, nolleq; iniunctã à vobis executionẽ adimplere, nisi processibus, ac sentẽtijs p eos visis & examinatis, ac si ipsi in clericos caussasq; ecclesiasticas superioritatẽ & iurisdictionem haberent: cùm tamẽ in clericos causasq; huiusmodi, laicis nulla

facul-

facultas attributa sit, quos obsequẽdi & exequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, propter quod inter Christifideles nõ modicum surgit scandalum. Nos igitur, ne quod ad salutem animarum, & dictarum caussarum faciliorem expeditionem introductum est, in damnum & percellationem conuertatur, & propterea ob diuturnitatem tẽporis infœlices animæ huiusmodi peccatis magis grauẽtur, & ad omne circa hoc dubiũ tollẽdum, vos prout antea datas dictas literas de iure & cõsuetudine seu priuilegio procedere poteratis, nec non etiã contra maleficos & sortilegos ac à fide apostatãtes, prout criminis postulauerit qualitas, procedere posse & debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentiũ decernimus & declaramus; vobis cõmittentes & mandãtes, vt eosdẽ Venetos, & illorũ Ducẽ, ac officiales suos, ne ipsi vlterius in huiusmodi caussis se intromittant, sed quod iniunctas sibi executiones, & fortè iniungẽdas, postquãrequisiti fuerint, sine aliqua processuũ, p dictos ecclesiasticos iudices factorũ visione, vel examinatione prõptè exequãtur moneatis & hortemini. Et si hoc facere neglexerint, vel recusauerint, vos eos p cẽsuras ecclesiasticas & alia iuris opportuna remedia

appellatione postposita compellatis. Præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis q; & consuetudinibus ciuitatum & diœcesum prædictarum, iuramento, firmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteris q; contrarijs non obstantibus quibuscunq;.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15. Februarij. M. D. XXI. Pontificatus nostri anno octauo.

ADRIANVS VI.
Inquisitori Comensi.

Dilecte fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum, vti nobis exponi feciſti, per fœlicis recordationis Iulium Papam II. prædecessorem nostrum, non sine magna tunc animi sui displicentia accepto, quod per quēdam Georgium de Casali, ordinis fratrum Prædicatorum professorem, & in ciuitate Cremonensi hæreticæ prauitatis Inquisitorem deputatum, in nonnullis Lombardiæ partibus, & præsertim in locis, in quibus dictus Georgius Inquisitor deputatus erat, repertæ fuerunt

runt quamplures vtriusq; sexus personæ, propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, certam sectam facientes, fidem quam in sacri susceptione Baptismatis susceperant, abnegantes, sanctam Crucem pedibus conculcãtes, & opprobria super eam perpetrantes, ecclesiasticis & præsertim Eucharistiæ sacramentis abutentes, diabolum in suum dominum & patronum assumẽtes, eiq; obedientiam & reuerentiam exhibentes, & suis incantationibus, carminibus, sortilegijs, alijsq; nefandis superstitionibus, iumenta & fructus terræ multipliciter lædentes, aliaq; quàm plurima nefanda, excessus, & crimina eodem diabolo instigante committentes, & perpetrantes, in animarum suarum periculum, diuinæ maiestatis offensam, perniciosumq; exemplum, & scãdalum plurimorum. Contra quas cùm dictus Georgius tunc (vt asserebat) in dictis locis suæ Inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgij incumbebat officio, ipse Georgius processisset: nonnulli autẽ tam clerici quàm laici illarũ partium, quærentes plus sapere quàm oportet, præmissa delicta, ad eiusdem Georgij Inquisitionis officium non pertinere temerè asserentes, præsumẽtes in populo errores & scandala semi-

nauerunt: sic q; eundem Georgium in populo odiosum reddere, & dicti Georgij officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebāt: ita quod propter præmissa, personæ prædictæ delicta huiusmodi perpetrantes, remanebant impunitæ, & aliæ eorum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, & scandalum plurimorum. Dictus prædecessor volens (ne inquisitionis officij executio quomodolibet retardaretur, & labes hæreticæ prauitatis lōgius venena diffunderet) prouidere, dicto Georgio per quasdam suas in forma breuis litteras, commisit & mādauit quatenus in locis eiusdem Georgij inquisitioni deputatis, de excessibus huiusmodi cognoscere, & cōtra quascunq; personas, cuiuscūq; conditionis & præeminentiæ forent, inquisitionis officium exercere & exequi: ipsasque personas, quas in præmissis culpabiles reperiret, vnà cum locorum ordinariorum Vicarijs, quatenus voluissent interesse, iuxta dictarum personarum demerita, corrigere & punire deberet, secundum modum contra alios hæreticos à iure ex sacris canonibus statutum: cōtradictores quoscunq; per censuram ecclesiasticā,

& a-

& alia iuris opportuna remedia compescendo. Eos verò qui in præmissis, cõsilium, auxilium, vel fauorem præstarent, præfatus prædecessor noster, eisdẽ indulgentijs vti & gaudere decreuit, quibus crucesignati contra alios hæreticos, ex indulto Apostolico eis concesso, tunc gaudebant & vtebantur, prout in dictis literis plenius cõtineri dicitur. Et sicut eadẽ expositio subiungebat, nõ solùm delicta & crimina huiusmodi contra fidem Catholicam, & Christianã religionem, sub iurisdictione inquisitoris Cremonensis committũtur, & perpetrantur; sed in omnibus alijs locis & diœcesibus, sub iurisdictione aliorũ inquisitorum dicti ordinis congregationis Lõbardiæ, indies perpetrantur & cõmittuntur. Et cùm eadem sint delicta, eadem profectò prouisione & castigatione eis est earundẽ literarũ tenore prouidendum. Quare tu, sicut asseris, in ciuitate Comẽsi, vbi dictæ prauitatis Inquisitor existis, tã tuo, q̃ omniũ aliorum dictorum ordinis & congregationis hæreticæ prauitatis Inquisitorũ vbilibet consistẽtiũ & deputatorũ nominib⁹, feciſti nobis humiliter supplicari, vt litteras prædictas ad vos extẽdere & ampliare, aliasq́, desuper opportunè dignaremur prouidere. Nos igitur huiusmodi

sup-

supplicatione inclinati, litteras prædictas, cum omnibus in eis cõtentis clausulis, in omnibus & per omnia, prout in eisdem litteris continetur, ad te & ad alios ordinis congregationis huiusmodi Inquisitores, tam in præsentiarum deputatos, quàm in futurũ perpetuis futuris tẽporibus deputãdos, ac si tibi, & cuilibet Inquisitorum prædictorum dirigerẽtur, & directæ fuissẽt, Apostolica auctoritate tenore præsentiũ extẽdimus. Ipsasq; litteras tibi & illis, vt præmittitur, eisdem auctoritate & tenore concedimus. Non obstantibus omnibus illis, quæ idem Iulius prædecessor voluit non obstare, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Et quia difficile foret præsentes litteras, ad singula loca, in quibus de eis fides forsan fuerit facienda, deferre: volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum transumptis, manu cuiuscunq; notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Curiæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis: in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forẽt exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XX. Iulij, M.D.XXIII. Pontificatus nostri anno I.

SIXT.

SIXT. V. PROHIBITIO CONTRA IVDICIARIAE ASTRO-logiæ artem, incantationes, diuinationes, & sortilegia, & libros, in quibus huiusmodi continentur, &c.

SIXTVS EPISCOPVS, Seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

COeli & Terræ Creator Deus, quem vnũ Omnipotentem corde credimus ad iustitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem, & similitudinem suam creauit, mentem dederit, quæ non solũ diuino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inuestigaret, at q; intelligeret, Tamen, vt superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam conditoris sui maiestatem, humiliratus veneraretur, sibi soli eorum, quæ euẽtura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionẽ reseruauit. Solus enim ipse, cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & cõsequẽtes eorum actiones intuetur, solus ipse,

qui

qui vocat ea, quæ non sunt, tanquã ea, quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus deniq; omnia, & singula quæcũq; totius temporis decursu, & seculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia disposuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec Dæmones ipsi præsentire possũt. Quare Idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem, & eorum qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spi-

Isaiæ 41. *ritus S. apud Isaiam illis verbis.* Annunciate quę ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis. *& in nouo Testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris euentis paulò cupidius inquirẽtium, interrogationem grauiilla responsione retudit, qua etiã omnium fidelium suorum curio-*

Actor. 1. *sitatem coërcuit.* Non est vestrum scire tẽpora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Nec verò ad futuros euẽtus, & fortuitos casus prænoscendos (futuris euentibus ex naturalibus caussis necessario, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) vllæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum a-*

stutia,

stutia, & Dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis diuinatio dimanat, siue quod expressè ad futura manifestanda inuocentur, siue quod ipsi prauitate sua, & odio in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudant vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum pernicios is vanitatibus, & fallaci contingentiũ prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere deprauẽtur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, nõ diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum sciẽtia, sed naturæ subtilioris acumine, & alijs quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum nõ est, in huiusmodi futurorum, contingentium, & fortuitorum euẽtuum inquisitione, & præcognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, vt sua fraude ac dolis, miseros homines à via salutis auertat, & laqueo dãnationis inuoluat. Quæ cùm ita sint, nonnulli hæc fideliter, & religiosè, vt debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipsi, & alios in errorem mittentes; tales in primis sunt Astrologi olim Mathematici,

Gene-

Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanã, falsamque syderum, & astrorum scientiam profitentes, diuinæq; dispositionis ordinationem, suo tempore releuandam præuenire audacissimè satagentes, hominum natiuitates, seu genituras ex motu syderum, & astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura, siue etiam præsentia & præterita occulta, atq; ex puerorum ortu, & natali die, siue quauis alia temporũ & momentorum vanissima obseruatione, & notatione, de vniuscuiusq; hominis statu, cõditione, vitæ cursu, honoribus, diuitijs, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cædibus, varijs discriminibus, alijsq; prosperis & aduersis casibus, & euentibus præcognoscere, iudicare, & affirmare temerè præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis; cùm S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumẽ eum, qui hæc obseruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, & Baptismum præuaricasse affirmet, vt illos meritò Apostolus arguat, atq; increpet illis verbis: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne fortè sicc causa laborauerim in vobis.

ad Gal. 4.

Hi

Hi igitur leuissimi, & temerarij homines in miserandam animarum suarum ruinam, graue fidelium scandalum, & Christianæ fidei detrimentum, futuros rerum euentus, & quæcũq; prosperè, vel aduersè obuentura sunt, ac actus humanos; ea denique quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris, syderibusq; ascribunt; eisque eam facultatem, vim seu virtutem, & efficaciã tribuunt significandi futurà, & ad præcognita ita inclinandi, vt sic omninò, nec aliter euentura sint, atq; ob eam causssam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palam venditare non dubitant, quibus non pauci rudes, & imperiti, alijq; nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, vt ex huiusmodi iudiciorum, & prædictionum præscripto, aliquid certò esse credãt, aut sperent, quorum sanè, & mendaciũm magistrorum temeritas, & infœlicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis literis admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui cæli & Stellæ, & clarissima Cæli sydera Sol, & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inseruiunt, sic enim Moyses populum Dei,

vt hunc errorem caueret, præmonebat. Ne
Deut. 10. fortè eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministeriũ cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini seruire? nonnè nobilissimæ intelligentiæ Angeli ipsi, omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationales oues ita diligit Deus, vt
Li. 2. in Lu. non solum Episcopos, quemadmodũ à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiam Angelos destinauerit. Præclarè etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab
Lib. 3. in Matth. ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersus Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sunt comparanda? Nec sanè hoc loco prætereunda est, eximij Ecclesiæ Doctoris, & Beatissimi Pontificis Magni Gregorij sententia, qui
Homil. 20. in Euange. Priscillianistas hæreticos vnumquemq; hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, & verborum pondere

dere confutat. Absit (inquit) à fidelium cordibus, vt aliquid esse fatum dicant, vitam quippè hominũ solus hanc conditor, qui creauit administrat, neq; enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, etsi stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, Leui. 20.
nec ab Ariolis aliquid scisciteminí, vt polluaminí per eos: Neq; enim quæ Christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio inuestigarent, ijsdem miserè se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impij, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarũ aliarum rerum notitiam adeò anxie habere student, vt ob eadem prænoscenda, & inuestiganda in diuinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, aliisq; sortilegijs, & superstitionibus, non sine Dæmonum saltem occulta societate, aut tacita pactione, operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeo-

rum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per crucis victoriam proſtratæ Idololatriæ reliquias, retinentes, quibuſdam auguriis, auſpicijs, ſimilibusue ſignis, & vanis obſeruationibus ad futurorum diuinationem intendũt. Alij item ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactũ faciunt cũ inferno, qui ſimiliter ad occultorũ diuinationẽ adinueniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarũ, nefarias magicæ artis incãtationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent circulos, & diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones inuocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliaue ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel ſacramentis, aut ſacramentalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia præſtãt, cultũ veneratioñẽue tribuunt, aut annulũ, vel ſpeculũ, aut paruas phyalas ſibi fabricãt, aut fabricari curant ad dæmones in eis alligandos, ſeu includẽdos, vt putãt, ad reſponſa

ab ip-

ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis & phanaticis mulieribus Dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, vt meritò ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendaces q; referant responsiones. Alij quo q; præstigiatores, frequentius verò mulierculæ quædam superstitionibus deditæ in phyalis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sancti, & albi, Diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in vnguibus, aut palma manus, quãdo q; etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum architectum orant, vt similiter futura, vel occulta quæuis per spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacij Diabolo alijs incantationibus, aut varijs superstitiosis obseruationibus, futurorũ; & occultorum huiusmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumerauimus consimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod Dæmonis præstigijs, ac dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinatio-

nem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur. Ita q̃ cum futuros euentus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, vt Astrologi, & alij prædicti, qui huiusmodi futura præuntiare, aut prænoscere quocũq̃ modo, nisi Deo reuelante audent: iniuste at q̃ impudenter, quod Dei est sibi assumãt, & vsurpent. Sic fit, vt dũ ab eis, quod solius est creatoris perperam creaturis tribuitur, diuina Maiestas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis, pestis, at q̃ exitium importetur. Et licet iampridem regulis indicis librorum prohibitorum ex decreto sacri Generalis Trid. Concil. confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, vt Episcopi diligenter prouiderent, ne huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisue casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid euenturum affirmare audent, permissis tamen iudicijs, & naturalibus obseruationibus, quæ nauigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuandæ gratia conscripta fuissent. Libros vero omnes,

& scrip-

& scripta Geomantiæ, Hidromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus reiici, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi usq; adeo prouisum est, quin etiã adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cum valdè frequenter, detectis Diaboli insidijs, diuinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarũ saluti prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea Sanctã illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim vbi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & prouidentia ab omni erroris labe integram, atq; incorruptam, vt par est, retineri: Volentes quoq; prædictæ falsæ credulitati

tati, ac huiusmodi illicitarũ diuinationum & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitijs atq; impuritatibus occurrere, vt de Christiano populo meritò dici possit quod de antiquo Dei populo scriptum est. Num. 23. Non est augurium in Iacob, neq; diuinatio in Israël. Hac perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, & mãdamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunq; dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris, contingentibus successibus, fortuitisq; casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserant, aut protestantur, quam contra alios vtriusq; sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernitiosas diuinandi artes, siue scientias exercẽt, profitentur, & docent, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt,

tunt, cuiusq; dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati, superiores, ac alij ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbiq; gentium deputati, etiamsi in plerisq; ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atq; in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, artis Magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continẽtur, ac vt supra in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscunq; Christifidelibus legi, aut quomodolibet retineri; sed illos Episcopis, & ordinarijs locorũ, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere.

Et nihilominus eadem auctoritate, statuimus & mandamus, vt contra scienter, legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè, & licitè

procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere possint.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;.

Vt autem præsentes nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur: Iubemus illas in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranens. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisq; detractis ipsarũ exemplaria etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui. Et insuper vniuersis, & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum ordinarijs, & prælatis, necnon Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se vel alium, seu alios easdem præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis, & singulis parochialibus Ecclesijs, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deinde vero semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

Quia

Quia vero difficilè foret præsentes litteras adsingula quæq; loca, in quibus de eis fides facienda erit deferri. Volumus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac paruo sigillo Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius prælati, vel Curiæ Eccles. munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omnino hominũ liceat hanc paginam nostrorum statutorũ, mandatorum, prohibitionis, iussionis, commissionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum. Anno Incarnationis, 1585. Nonis Ianuar. Pont. nostri Anno 1.

INDEX

INDEX RERVM PRAECIPVARVM IN *hoc libro contentarum.*

A.

ACHILLEVM Bonzinibij argumentū cōtra realē maleficorū delationē ſoluitur. fol. 266.
Adorans Dæmonē ſub ſpecie Chriſti quomodo peccet. fol. 82.
Aëromantia diuinationis ſpecies, & vnde dicta. 419.
Alchimia ſcripto à nullo traditur. 484. poteſt habere verum effectum. 486 Non eſt ex natura rei illicita. ibidem. Vana eſt, ſtulta eſt. 489. & 491. Coniuncta vt plurimum magiæ. 495 Multos homines depauperauit. 485.
Angeli ſunt incorporei. 72.
Angelus & Dæmon mouent per voluntatem. 113.
Angeli & Dæmonis voluntas ad plura ſe extendit volendo quam mouendo. 114. & 115.
Angelus capillo Abacuc portauit, ſed totum corpus mouit. 116.
Angelos bonos apparuiſſe in ſpecie exercitus. 118.
Angelos malos, Deo permittente, ſub forma exercitus poſſe apparere. ibidem. Milites arte malefica apparentes, aut ſunt præſtigiæ, aut Dæmones ſub forma militum. 119. In campum educti, nec vulnerant, nec vulnerantur. ibidem.
Angelus bonus vnicuique homini ad tutelam. 186.
Angelicæ cuſtodiæ tres effectus generales, plures autem particulares. 188.
Angeli boni cur dæmones à tentationibus non prohibeant. ibidem.
Angelus malus an vnicuique ad exercitium deſignatus. 189. & loco mutato, mutetur. 190. & in opera maleficij quidnam procuret. 191.
Animalia imperfecta, vt ranas & ſerpentes, magi faciūt, quomodo. 211

Anima-

Animalia signa futurorum. 506.
Animarum reuocatio à magis attentatur. 97.
Animæ beatorum operibus magorum non se immiscent. 98. Nec qui igne purgatorio detinentur. 99.
Animæ damnatorũ gehennæ addictæ se operibus magorum non admiscent. ibid.
Anima Samuelis vi magiæ euocata non fuit. 100.
Anima Samuelis an reuera, vel spectrum tantum apparuerit, vtrumq; probabile. ibidem.
Animę separatæ reunio, vt verè informet, Dæmonis naturalem vim excedit. 101.
Apparitiones nocturnæ aliquando fiunt à sagis. 102.
In apparitionibus ad orationem confugiendũ. 83.
Apostata recedit à Deo, Quomodo. 632.
Aqua benedicta contra Magicas artes & operationes efficax. 55.
Aquæ frigidæ probationem adhibens in cognoscenda malefica, peccat mortaliter. 357. Quo sensu dicatur vulgaris. 358. Pactum implicitum habet cum Dæmone. 359. Credentes ei vim in esse ad manifestandam innocentiam vel culpam, mortaliter peccant, nisi ignorantia excuset. 360.
Aquæ frigidæ, vel calidæ, aut ferri candentis prolatione, postmodũ intormentis extorta cõfessio, nullius est roboris, nec Reus ex ea potest cor.demnari. 360.
Arma ad euertendas potestates aereas oportuna. 9.
Ars magica quæ. 527.
Artes magicæ alię diuinatrices aliæ operatrices. 433.
Artium magicarum primus apud Persas inuentor Zoroastres Pactrianorum Rex. 407. 410.
Artes magicæ veris Christi cultoribus nihil obsunt. 396. 367. Per artem magicam puella rebus diuinis non vacans, omnibus equa videbatur. 210.
Arbitrium hominis Diabolus incitare, cogere præter voluntatem non potest. 20. Ad maleficium necessariò debet accedere. ibidem.
Arbitrio iudicis relinqui, quo sensu. 307.

Astra

Astra voluntatem hominis non cogunt. 447. hominũ mores astris asscribere, superstitiosum. 448.
Astrologiæ species duæ, quæ licita, quæ damnata. 449
effectus de quib⁹ iudicat Astrologus varij sunt. 450.
De quibus infallibiliter possit prognosticare. 451.
Vnde fiat vt de futuris euentibus vera sæpè prædicat. 453
Astrolabij inspectione furtum Ecclesiæ recuperare cupientis presbyteri peccatum. 455
Auaritia multis maleficij & magiæ caussa. 173
Auaritia facit mammonæ nummorum Deo sacrificare, vt diuites fiant. 171
Aurum verum per Alchimiam fieri manet dubiũ. 483
Sophisticatum vendere non licet. 494
Aruspex vnde dicatur. 500. Augures qui sint. 501. Aruspicum & Augurum pœna. 503

B.

Bona Maleficorum quare non confiscantur. 148
Bonorum testimonium in negotio maleficij ex natura rei & actus haberi non potest. 321. & 323
Bullæ Pontificum contra maleficos. 767. & sequentib.

C.

Campanarum apud Christianos primus inuentor. 380. Vsus earum. 381. Figuræ in veteri testamento tubæ argenteæ. ibidem. Non baptizari campanas sed benedici. 382. Non ex virtute quæ insit campanæ, sed omnipotentis potestate ac voluntate maleficorum conatus impedit. 383. exempla. 384. 385.
Cap. Episcopi, non damnat sectam maleficarum, sed aliam longè diuersam. 388. Mulieres illius. cap. in quibus à nostris Sagis differant. 389
Cap. Episcopi, non intendebat corporalem fagarum delationem improbare, sed quæ fidei erant contraria. 390
Casus excepti à regula confessorum de se. 274
Casu quo testes integri non possunt haberi, vt in maleficio, admittendi non integri. 320. & 323

Ceduntur maleficæ si nil mali fecerint. 66. & maximè si ad Deum redire voluerint. 231. & 236.
Chrisma non eraditur vnguibus Diaboli. 49. ritum erasionis cur fingat. ibidem. Signum erasionis in quibus potissimum adhibeat. 50
Cyprianus martyr, An magus fuerit. 33
Cometæ materia, & caussa efficiens. 459. In triplici figura apparet. 460. Cometæ color. 461. Ex caussa vel naturali vel supernaturali ortum potest habere. 462. Vtriusque significationes. 463. Exempla. 465.
Confessarius maleficorum de quibus eos admonere debeat. 285. & 312
Confessioni malcficorum contra socios & participes criminis, An habenda sit fides. 272. & 282
Confessio malefici contra socium, quando sufficiens indicium ad torturam. 297. & 299
Confessio duorum vel trium contra participes in maleficio, regulariter facit indicium ad torturam. 316. & sequentib. Casus in quo tam paucæ denuntiationes non sufficerent. 317
Confessio in extremis facta, An elidat primam confessionem in tortura & iudicio factam. 308. & sequent. Et cum varij sint in confessione denuntiantes, cui cõfessioni standum. 314
Confessi de se crimen maleficij, quamuis infames, testes tamen esse possunt; & quare. 341. & sequentib.
Confessio à iudice extorta promissione impunitatis, An sit valida, vt quis ex ea possit cõdemnari. 372. 373.
Conuentus maleficorum in tres distinctus ordines. 71. Morum censorem habet, eiusq; officium. ibidem.
Conuentui maleficorum non raro vnus superior Dæmon præsidet. 192. Quibus anni temporibus solenniores conuentus fiant. 43. 70. 71. Quare de nocte, & in locis desertis. 324
Conuentui an in persona, vel repræsentatione per suũ Diabolum interssint, vnde cognoscatur. 85. & 87.
Conuentus ad nomen DEI, IESV, & signum crucis

crucis quandoq; disparuerũt. 259. 262. 263. In conuentu quam disciplinam tenere debeant. 67. Impeditus ne in conuentum possit apparare, Diabolum suum cum pleno consensu substituit. 70.
Corpora Dæmonum quomodo sint vera, quomodo non. 92.
Corporaliter de loco ad locum, & suus conuentus sæpè Magi transferuntur. 250.
Corporalis translationis exempla. 252. & sequentib.
Corporalis translatio fit virtute Diaboli, nec vlla virtus in est vnguentis. 269. In ea sicut etiam in conuentu, honoratiores sæpè vultu & forma teguntur. 365. Obiectio ex historia. S. Germani refutatur. 401. & sequentib.
Crucis Christi & nominis Iesu efficacia. 65. & 67.
Curiositas quę est libido sciendi non necessaria plerisq; caussa maleficij. 170. hanc quidam animarum suarum commercio à Dæmonibus mercati. 171.

D.

Damnato ex indicijs & coniecturis non imponenda vera pœna delicti, sed alia mitior. 366.
Dammati ad ignem, an viui sint comburendi. 375. Apud Christianos mos prius strangulandi. ibidem. Impœnitentibus tamen hunc morem non suffragari. ibidem.
Damnatis ad mortem & pœnitentibus sacramentum Eucharistiæ non denegandum. 376. Ipso executionis die non dandum, nisi moram executio non patiatur. 377. Pro eis sacrificium offerri potest, non tamen solemnes exequiæ fieri debent. 379.
Dæmones esse, fidei est. 7.
Dæmones plura non possunt quã illis permittantur. 10.
Dæmonis potestas humanæ naturæ vi perfecte sciri nõ potest. 51. Aequè potestas eorum ac angelorum vim habet in corpora inferiora. 52. Et dona naturæ integra in eis permanserunt. ibidem.

Dæmon primò ligatus à Christo 13. Quomodo ligatus, qui tantum adhuc prævaleat 11. & sequ. Dæmones etiam in sanctos suam potestatem exercere permittuntur 9. aliter longè in sanctos quã maleficos 18

Dæmoni leuis sæpè occasio viam aperit, sed quæ grauiora peccata præsupponat 16. vt animam inuadat diabolus, quæ se non prius gratia Dei priuarit prouidentia Dei non permittit 17. & 395

Dæmonem Christo potentiorem faciunt, qui negant maleficum posse conuerti. 21

Dæmoni hominem deuotum B. Basil. Christo reconciliauit. 28. intercessione B. Mariæ Virginis, Theophilus qui se dæmoni deuouerat, pœnitens ad Deum redit. 29

Dæmones in promissis aliquando fallunt 36. Diuitias & gloriam promittentes, ex se tradere non possunt 37. Pro pecunia dant stercora; & tamen veras quandoque pecunias, quare. 37. & 40.

Dæmones possunt assumere corpora, & apparere hominibus, exempla. 74. & 75.

Dæmones posse in hac vita videri in sua natura, error tam fidei quàm rectæ rationi contrarius. 75

Dæmones varias formas pro negotiorum varietate assumunt. 80. Nunquam ouium & columbarum; At hircorum, coruorum, & canum formas assumunt sæpius. 81. In corporibus apparent mortuorum, sed non bonorum. ibidem.

Dæmones vnde in corpore assumpto cognoscantur. 85. & in corporibus assumptis num verè loquantur. 90 Fœtorem producunt. 92. Aliquando à Sagis in loco torturæ videntur 93. quomodo videantur ab vno & non altero 95. Simulant se animas esse defunctorũ 96

Dæmones sibi subordinatos esse, idq; naturale ipsis esse. 55. & 58. quomodo sibi sint concordes. 56. Secundũ scientiæ magnitudinem, habent amplitudinem præsidentiæ. 59. Præsidentia Dæmonum, est locorum, personarum, & vitiorum. 59. & 61

Dæmones ad fraudem & tentationem segnes, à superioribus flagellantur; industrij coronantur & laudantur 62. & 63

Dæmonum quisq; ad illud maximè peccatum conatur inducere cui præsidet 59. vnus fornicationis spiritus, an seducat eum qui in Britannia, & eum qui fornicatur in India ibid.

Dæmonum diuersitas colligitur ex diuersitate animalium, quibus in sacris literis comparãtur, aut quorum nomine significantur 60 & 61

Dæmones in operationibus suis sciſmata lunæ obseruant, quare 5. & 132. in maleficijs diuinorum operũ imitationem affectant, & per quæ 20. & 53

Dæmon cur Onocentaurus & Lamia dictus à Propheta 88. quandoq; etiam ad longum tempus sic conuersatur, vt verus homo putetur; lepida historia ibid.

Dæmon qui 249. annis in templo Dianæ habitauerat à quo, & quibus verbis expulsus 124

Dæmones à suis adorationem & sacrificia expetunt, & si negligatur, irascuntur. 184

Dæmones cum maleficis rem veneream exercent, & singulæ singulos habent Amasios 212. modus dæmoniaci coitus explicatur 215. & sequent. cuiusmodi semẽ infundat 229. Dæmoniaco coitu forsan natus, cuius erit filius 220. cum Dæmone coeuntes, an delectationem percipiant 223 & 225

Dæmon in forma merulæ B. Benedictum infestans, & crucis signo fugatus, quantam carnis tentationem in eo reliquerit 224

Dæmon proprio adiacente marito quandoque muliere abusus 231. à B. Bernardo anathematizatur 232

Dæmon non semper operatur, à malefico inuocatus. 562. delectatur libidine 222. Libido eius pulchritudine capillorum muliebrium prouocatur. 229. Dæmones incubi mulieribus pulchros crines habentibus maximè infesti ibid.

Dæmones delectantur sanguine humano 669. possunt grandi-

grandines facere 553. possunt occidere 555. possunt imbribus intempestiuis mouere cœlum & terram; exempla 563. & 564

Dæmones vitam hominis ad 800. vel 900. annos sicut olim viuebant homines, non possunt protrahere 246

Dæmones triplici vigent acumine scientiæ. 421. cognitionem Dæmonis nihil rerum naturalium effugit, cordium cogitationibus exceptis. ibidem. cognitio & experientia dæmonis indies augetur & crescit 422. & 424. minores à maioribus addiscunt astutias quas ignorant. 423. Reuelatione supernorum spirituum aliqua præsciunt, quomodo 426. futura in seipsis, nisi à bonis angelis reuelentur, non cognoscunt. 428 futura quandoque prædicunt, quæ ipsimet facturi sunt 428. ab alijs hominibus intelligunt, quæ facere velint, & suis maleficis prædicunt ibidem. futura merè contingentia, haud cognoscunt 430. Thesauros absconditos, furta secreta, & deperdita norunt. 433

Dardanarij qui sint, ad restitutionem eos, & eorum hæredes obligari 143. 144. 145. Dardanarij pœna arbitraria pro damni quantitate, & exercitij frequentia 144

Denuntiatio malefici contra socium, facit indicium graue 298

Denuntiatio socij vt faciat indicium, an fieri debeat cum iuramento. 303

Denuntiatio hunc in cursu fuisse, magis meretur fidem quàm si diceret, ipsum hominem aut equum occidisse 333. in denuntiationibus maleficorum error fortè contingens, non adimit eis omnem fidem. 294. Denuntiationibus maleficorum, aut semper, aut ferè semper veritas adest 298. Denuntiationibus maleficorum contra socios fides habenda, etiamsi noctu ea conuenticula fiant 403. efficere dæmon potest lumen ad videndum, quod non facilè à vento extinguitur. 404

Denuntiationibus incantatorum aut diuinatorum non licet ad capturam vel torturam deuenire 363.364
Denuntiationes incantatorum aut diuinatorum quare reijciantur,& maleficorum admittantur. 365.366
Denuntiationibus consortum in crimine maleficorum si non detur fides,non est via extirpandi hoc crimen, nec inquirendi 328
Diuinatio quid,& ad eam quæ pertineant 161. diuinatio omnis vtitur ad præcognoscendum futuros euentus Dæmonum auxilio 417. Diuinationis variæ species 419.& sequent.

E

Ecclesia malignantium æmula est Ecclesiæ Christi & Sanctorum 62
Emanatio sanguinis de corpore occisi ad præsentiam occisoris,diuino tribuenda miraculo 136
Emanatio huiusmodi sanguinis, An indicium sufficiens ad torturam ibid.
Emens aut præbens venenum ad occidendum,an pœna ordinaria teneatur, si nõ sit subsecutus effectus. 442.
Execratio sui & suorum, sæpè maleficij occasiõ. 175
Exorcismi pellunt Dæmones , sed non semper habent certam vim. 126
Expelli Dæmon herba vel melodia non potest. 130. Per melodiam cytharæ, & iecur piscis non est Dæmon expulsus, sed per orationem Tobiæ & meritum Danidis. 133
Exempla eorum qui abnegarunt Deum. 27. 28. 29. 30.

F.

Fiscus aut Dominus succedens in acquisitione bonorũ, tenetur de damno dato satisfacere. 139. 140.
Fistulatores in conuentu maleficorum, lucrantur pecuniam. 71
Futura in seipsis considerata à solo Deo cognosci possunt. 427

G.

Gigantes ante diluuium ex quibus nati. 216

Gregor. Nazianzen. Iulianum Athenis conſpiciens, ex Phyſiognomia quale tulerit de eo iudicium 466

H.

Hęredes tam malefici quàm alterius Rei, tenentur damnum ab illis illatum reſarcire 139
Hæredes ad huiuſmodi damnorum reſtitutionem à iudice Eccleſiaſtico compelli poſſunt 141
Hæredes protrahentes damnum & iniuriam paſſos, vt prius Legatarijs ſatisfaciant, in foro conſcientiæ non abſoluuntur 142

I.

Indebitus Dei cultus duplex: falſus, & ſuperfluus 161
Idololatria quid, & quomodo malefici exerceant 160
Idololatria non eſt Sanctis cum Chriſto regnantibus, debitum honorem impendere ibid.
Inſcitia miniſtrorum Eccleſiæ, multis occaſio maleficij 152
Inſcitia ſacerdotum, ſtratagema diaboli in Philiſtæis præfiguratum 155
Indicia quot requirantur ad torturam 306. in criminibus exceptis, quale eſt maleficium, ſufficiunt ſuſpiciones leuiores, quàm in non exceptis 306 308
Inimicitia capitalis à teſtimonio repellit 344
Inimicitia capitalis ex quibus naſcatur 345. 346
Inimicus reconciliatus, quando poterit eſſe teſtis 349
Iudex Reum de ſe confeſſum interrogare tenetur de ſocijs, in caſibus exceptis 276. 277. 282. omittens duplici ratione peccat 284 Iudici quid cauendum, quãdo facienda eſt de complicibus interrogatio 285. Quando licitum ſit iudici in ſpecie interrogare, Eſtne hic tibi ſocius 286
Iudici de ſocijs interroganti tenetur maleficus reſpondere 282. aliàs non abſoluendus 285. de ſe confeſſus, ſi nouerit aliquem de ſua ſocietate conuerſum, non tenetur cum iudici interroganti denunciare 288. Iudici obſeruãdum, An reus confeſſionem contra alios ſæpius reiteret 316

Iudici non licet à magis veritatem mendacijs eruere 387. omne mendacium diuino & humano iure prohibitum 368. maximè autem in iudice 369. argumenta Bodini soluuntur 370.371

Iudex non sepeliens eum qui ante confessionem aut probationem criminis mortuus est, peccat 652. In corpus defuncti in carcere sæuire illi de iure nō licet, sed praxis habet 655. per denuntiationes ad inquisitionē & torturā procedens, æquissimè facit 340. Ipsius gloria est, indifferenter sine exceptione personarum omnes punire, nisi Reipub. perturbatio esset sequutura 668. expectans non conuersos maleficos ad pœnitentiam, vt eos liberet, crudelis 634

Innocentes Dæmon in nocturnis conuentibus repræsentare non potest 393. Nec enim potest operari nisi ex permissione diuina, & tantum saltem, & non plus ibid. Multa potest ex suæ naturæ potentia, quantum ad actum primum, quę non potest, quantum ad secundum 394. nec appetit quidem diabolus talem iustorum repræsentationem, & quare 400.

Innocentem extraordinaria potentia si repręsentari permittat Deus in conuentibus nocturnis; innocentia eius manifestabitur; exempla 396

Innocentes posse à Dęmone repræsentari in conuentu maleficorum ad infamandum eos, qui dicunt; Latronibus, homicidis, & similibus patrocinium pręstant 397.398

Iudex quando possit reum tortum relaxare 712

Iudex sibi non sufficiens, adhibeat peritorū iudiciū 740

Indicia ad crimen maleficij cognoscendum assignātur viginti ibidem

L.

Lamię cur vocentur malefici. 412

L. Plus est hominem veneno extinguere, quàm occidere gladio, duplex sensus 435. quid venenum 437. ad interpretationem L. verba Philonis 438

Libe-

Liberare maleficos è manibus iustitiæ & custodia publicæ potestatis cur dæmon non possit 399
Luxuria non solùm vt incidant, sed vt etiam in maleficio perseuerent, caussa est 174
Libri magorum & hæreticorum comburendi 724.727

M.

Maleficia fieri certum est 2
Maleficia negare hæreticum 3
Maleficij variæ significationes 2. Per Antonomasiam Magis & sagis attribuitur 413
Maleficium vt fiat, tria necessaria 8
Maleficia Deus quare permittat 9
Malefici instrumenta Diaboli 20
Malefici aut Magi effectus portentosos qui sint supra diaboli vires, non edunt 51
Maleficorum operationes effectum sortiuntur, vel ex applicatione naturalium agentium, vel occulto pacto cum Dæmone 53
Maleficorum operationes quæ ex occulto pacto dæmonis per signa procedunt, eæ potius per Reliquias Sanctorum, & sacramentalia impediuntur, quàm aliæ operationes in quibus rebus naturalibus vtuntur 54
Malefici multa faciunt ope diabolica, quæ imperitis videntur impossibilia 51. 195 possunt vim generatiuam inter coniuges impedire 237. 238. possunt ad amores mouere 531. Exempla ibid. possunt morbos inferre, homines & pecora interficere 243. venationem ferarum impedire 600. possunt tempestates mouere. sterilitatem procurare. 248. 249. possunt multos curare morbos, quibus nulla medicorum scientia mederi valet 245. Exemplum 240. omnia procurare possunt quæ Dæmon 553
Malefici nostri nihil confitentur noui, quod olim non fuerit à Dæmone factum 235
Malefici quando nocte domos ingrediuntur, quomodo iuuet & concurrat Dæmon 591

Malefici sunt Rei læsæ maiestatis diuinæ 291. 336. sunt sacrilegi 292. maleficorum crimen multa grauissima & horrenda in se scelera continet 326. 604
Malefici opera diaboli ad conuentum feruntur, sed in eo faciunt opera humana, & functione sensuum corporeorum vtuntur 365
Maleficorum principes cum Dæmoniorum Principe cõcludunt, & inferioribus executionem mãdant 329
Maleficorum competens forum 147. 339. maleficium quando manifestam sapiat hæresim. 148
Malefici morte puniendi sunt, etiamsi tantum in cursu fuerint 630. Cur morte puniãtur tres causse generales 528. Iustè puniũtur pœna ignis 630. Quod puniri possint, iudicibus à Deo potestas data est, & mandatũ 643 Nec illis parcendũ quia multi, sed indifferenter punire sine personarum acceptione, iudicis gloria est 663. 668 in carcere moriens ante criminis confessionẽ aut probationem, in loco sacro sepeliendus 651. maleficium confessus sed pœnitens, si moriatur in carcere, regulariter non est sepultura priuandus 653
Maleficorum opera in tollendis maleficijs vti non licet, etiamsi parati fuerint 247
Maleficus non potest semper dissoluere maleficium ab alio inductum 573. & 576 Superior potest inferioris curare ibid. potest dæmonem suum cogere per superiorem 71. expellunt malefici aliquando Dæmones, & quomodo 128
Malefici sæpè violant sepulchra, & mortuorum, præsertim infantium corporibus abutuntur 136
Malefici tenentur damna illata restituere 139
Magiæ, in eam quæ fit ministerio substantiæ separatæ, & naturalem; diuisio 195
Magia naturalis, quę sit, & quando fiat vitiosa 195. & 196 exempla magiæ naturalis 195. & 197
Magi vera miracula nõ faciunt 194. Magi Pharaonis 194 veros serpentes & ranas fecerunt, non tamen miraculũ Magi ope dęmonis mirabilia faciunt, tribus modis 198

Magi seu malefici nec se nec alios realiter possunt in lupos transformare 200. B. Augustini de transformationibus hominum in bestias sententia 204. transformationes huiusmodi cùm verè non fiant, quomodo appareant 209
Magistratus peruersus instinctu dæmonum præficitur, bonus deijcitur 61
Magistratus negligentia non minima tot maleficorum caussa 156
Mandatarius quis sit, & mandatarij dictum solum sine alijs indicijs, an faciat indicium ad torturam contra mandantem 304
Minorennes an contra maleficos testari possint 350

N.

Nabuchodonosor non verè mutatus in bouem, sed in amentiam versus 207
Necromantia quæ diuinationis species 419

O.

Obseruantia vana absque tacita Dæmonis inuocatione non est. 161
Operis diuisio 1
Opera magica scripturis prohibita & legibus 3
Operationum mirabilium circa mortuorum corpora, quædam species 134
Operationes huiusmodi mirabiles qua virtute fiant 134.135
Occultas hominum cogitationes non cognoscunt Dæmones 431. indirectè & cognitione coniecturali quandoq; cognoscunt. 432
Opera maleficorum fiunt ex pacto cum dæmone. 22

P.

Pactum de facto interuenire in magorum operibus doctrina Catholica. 23
Pacti forma in verbis diaboli: Si cadēs adoraueris me 23 similis formæ pacto sagas & maleficos diabolus aggreditur 24. Pactorum explicitorum exempla 27. & sequent. Doctoris cuiusdam, pactum cum Dæmone

fieri posse negantis, argumenta soluuntur 43. & seq.
Pacisci cum spiritu potest homo, nec impedit naturarum disparitas 47
Pacti non tam essentia quàm manifestatio requirit mẽbra corporea. 48
Pactum non impedit, quod per dolum & astutiam malefici decipiantur ibid.
Pactum cum Dęmonibus multi passim non dormientes, sed vigilantes & solutis sensibus ineunt 49
Perseuerantię in maleficij scelere, quęnam sit caussa 177
figura Philistęorum Samsonem captum excęcantium 177. sub maxima pœna dęmones imperant ne cui extra societatem consilia sua detegant 178
Physiognomia an ad indicia pertineat, vt quidem bona prosit, mala Reo noceat 467. Physiognomo quę obseruandę regulę 469. propter signa exteriora non statim iudicandum de moribus hominum 470. Physiognomia de quibus iudicare non debeat 470. Physiognomię cura præcipua consistit in vultu & oculis 471
Planetas quosdam efficaciter inclinare ad furta, alios ad luxuriam, impium est asserere. 454. planetarum nomina cur diebus septimanæ gentiles assignarunt ibidem.
Pusillanimitas pręsertim mulieribus, plerunqúe caussa maleficij 176
Pater, An filium maleficum teneatur denuntiare, & filius patrem 278.
Puerum signo crucis à parentibus munitum, malefica occidere non potuit, quinquagesies ad hoc à diabolo deportata 261
Pueri quando & quomodo puniendi maleficio obnoxij 644

R.

Remedia contra desperationis errorem, & quod deceptus à diabolo redire possit in gratiam. 179

Reme-

Remedium optimum, vt homo se delusum cognoscens statim confiteatur 180. & 183
Resistentibus vt formica debilis, timidis vt leo crudelis, diabolus 181. constantis animi continuatione, diaboli vis deijcitur, exemplo S. Anthonij 182
Reus crimen de se confessus, non potest interrogari de alijs, de quibus nulla sunt legitima indicia 28
Reuelatio duobus fit modis: illustratione mentis, & sola prędictione 426
Reus in authoritate constitutus potest puniri morte sine degradatione 720

S.

Sagę diaboli asini. 19
Sagę insidentes scopis per caminum euolant, & ab hircis transferuntur 69
Socius de socio criminis quando interrogādus 274. 288
Socij criminis in testes admittuntur, non ad condemnandum, sed ad torturam tantum 352
Sociorum denuntiationibus & testimonijs multiplicatis, An quis possit condemnari. 353
Somniorum duplex causa 550. non sunt omnino contemnenda 513. Licet eis aliquando intendere 513. ex ijs prædicere futura contingentia, quomodo malum sit 514.
Sors quid 518. quotuplex ibid. Diuisoria licita 519. Diuinatoria damnata 524. consultoria quomodo licita 521. vti licet in officijs secularibus. 523. vti non licet in Ecclesiasticis electionibus 520
Sortilegorum professio alia tacita, alia expressa 42
Sortilegæ professionis tam tacitę q̄ expressę modus 43
Sortilegorum professio solennis, vbi, quando, & quomodo fiat 43
Superstitio dispositio ad maleficium 159. Superstitio quid, & quot eius species 160. Superstitionum exempla 162. & sequen. Superstitiosi sunt, non solùm exercentes ea, sed fidem etiam habentes, & interrogantes 168. Superstitiones tanto periculosiores, quāto plures adhi-

adhibentur res sacræ 167. Superstitiosum non est, ex auro vel alia materia, vt signa adeptę sanitatis, imagines in templo suspendere 164. Superstitiones & obseruantiæ vanæ, effectum quare nonnunquam consequantur 167. Superstitiosa à non superstitiosis discernendi quinq; regulæ 168
Striges quare vocentur malefici 321.413

T.

Testes singulares qui sint; An probent, ita vt quis possit ad eorum denominationes torqueri 331
Tortura modicè adhibenda 660. adhibenda tantum in atrocioribus criminibus. 687. Non adhibenda regulariter, quando 681. & 682. adhiberi potest maleficis, etiamsi sint personæ exceptæ 680. In tortura confessus non habitis legitimis indicijs, sibi non præiudicat 686
in Tortura sunt soliti modi, nō exquisiti adhibendi 689
à Tortura nemo excipitur ratione dignitatis 696
Tortura in præsentia Iudicis fieri debet 691
Tortus leniter potest postea plenè torqueri 693
Tortus & nihil confessus, sine indicijs nouis torqueri iterum non debet 694
Tortus & crimen confessus potest iterum torqueri ad detegendum socios 698
in Tortura crimen confessus & postea reuocans, potest repeti in tortura 699
Taciturnitas in tormentis à Dæmone quomodo procuretur 705
Tortus sufficienter & nil confessus, dimittendus est 709
Tortus quando non infamatur per torturam 715
Tortura potest adhiberi etiam die festo 716
Tumultus & perturbationes nocturnæ vt plurimum à Dæmonibus fiunt 104
Tumultus nocturnos certis quibusdam in locis contingere, exempla. 104. & seq. cur in his & non in alijs locis fiant, haud certa semper ratio 110. conductor domum conductitiam potest propter spectra relinquere ibid.

Tumultus & vexationes nocturnæ, nunc sine vllo damno, nunc minori, nunc maiori cum damno atque molestia 111. & 112. Sunt dæmones ioculatores, qui fatigare potius quàm nocere studeant 111. contra locorum infestationes, remedia; Sacrificium corporis Christi, Reliquiæ Sanctorum, Exorcismi 120. & seq.

V.


Vetularum remedia in curandis morbis & maleficijs valdè suspecta 577. Maleficis vetulis familiare, vt infantes fascinent, & modus 244. Maleficium in mulieribus quàm in viris frequentius 415. eius aliquot rationes 416

Visiones non facilè admittendæ, & probandi modus 83 & 84. Visionibus non statim credendum, exempla. 83. Visionibus occurrentibus, cor signo crucis muniendum, & nomen Iesu inuocandum 84

Vxor Loth non creata, sed diuina potestate in statuam salis conuersa 208. cur potius in statuam salis, quàm aliam substantiam conuersa 208

Soc.tis Jesv Paderborne.

FINIS.


Th
2244
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN